














87


XXXIV

SCHOOCK

Serp. Caus.

Papat.

Ex legato D.ni Equitis Antonii Francisci de Marmis



DESPERATISSIMA CAUSA
PAPATUS,

Nuper miserè prodita,

Nunc

Turpiter deserta à

CORNELIO IANSENIO

LEERDAMENSI Episcopo Iprensi,

Et postremò

Magno auctario locupletata à LIBERTO FROMONDO Theol. Doct. & Prof. in Academia Lovaniensi;

Authore

MARTINO SCHOOCKIO Historiarum & Eloquentiæ Professore ordinario in Academicâ Scholâ Daventriensi.

Durandus de Conciliis tit. 27. & 32.

Desperata est salus Romanæ Ecclesiæ: de qua verificatur dictum Esaiæ: Erit cubile Draconum.



AMSTELODAMI,

Typis JOANNIS JANSSONII, ANN. DOM. cIↄ Iↄ c XXXVIII.

Reverendissimo, Clarissimoque viro

D. GISBERTO VOETIO

SS. Theologiæ Doctori, & Professori in Inclyta Academia Vltrajectina dignissimo, Ecclesiæque quæ Christo ibidem colligitur, Pastori longe vigilantissimo

MART. SCHOOCK S. D.



Ffero tibi, virorum præstantissime, primitias agelli, quem magno labore ante hac coluisti, & rore eloquii non semel, sed sæpius irrigasti. Etiamsi ad alium eas mittere voluissem, sua tamen sponte ad te confugissent: te enim colonum, te patronum prædicant. Agnoscunt se præcoces esse, nec decerpi auderent, nisi cortice inexpugnabilis veritatis obductæ forent, alimentumque Ecclesiæ, si non gratum, saltem necessarium se præbituras crederent. Tu jugulum præcidisti Papatui, ego pellem ei detraho. Iansenium compescuisti, ego Fromondum castigo. Tibi cum Academico Rhetorculo negotium fuit, mihi cum timida ranuncula. Ita exarmasti sophistas, ut præter mollicellas palmas, ac inexercitatos pugnos nihil eis reliqueris. Qui formidabiles Gorgones se putabant, & non nisi cum rudiariis committi volebant à novitio myrmillone (quia unxisti eos) non timentur. Iactant quidem retia, sed in vanum. Gladius Spiritus non formidat laqueos, aut tridentes sophistarum. Fateor, non sustinuissem Fromondi conspectum, si cuculum nunquam cantantem audivissem. Asini coccysmos admirantur. Parcunt reliquæ aves suo generi, sola coccyx ab eo interimitur, teste Plin. lib. 9. cap. 9. Quotquot hactenus ex Papanis Duellatoribus prodierunt, utut etiam Reformatis obloquantur & obsistant, sibi tamen, & sociis parcunt. Frigide quidem, & insulse Papæ causam agunt, sed tamen agunt, nec condemnant. Soli Iansonius, & ejus Gnatho Fromondus dum ei patrocinium parant, produnt: & ille quidem desperatam, hic desperatissimam esse arguit. Occidunt misselli præceptores suos, nec eos tantum, sed se ipsos quoque. Nisi Doctores se Lovanii esse jactarent, putarem Endymionis socios esse qui hactenus stertuissent, & Lunaribus somniis, ac osculis pasti essent. Quæ Doctores quique inter eos velut Athomen aut Æthnam tollere horrent, festucas esse credunt, & uno spiritu se difflare somniant. Ridiculi homunciones: vivere debuissent Patrum seculo: formidanda illa Antichristo nomina, Lutherum, Melanthonem, Zuinglium, Oecolampadium, Bucerum, Calvinum, *&c. aut compescuissent, aut jugulassent. Quam amabilis est insania? Quia verba multa, & ampullas omnes quassabundi capitis profuderunt, diluvio religionem nostram inundatam esse credunt. Telis ipsi pharetram evacuarunt, & nos scutum abjecisse, hastasque combussisse gloriantur. Vtinam captivi qui inter triumphi fercula à Romanis Imperatoribus ostentari solent, tam amabiliter insanivissent, nec in vinculis libertatem nec in carcere patriam desiderassent. Vnum miror, eos qui tam feroculi in arenam descendunt, tam subito ex ea se subducere. Qui semel vicit, iterum vincere affectat, nec strenuo duci unus triumphus satis est. Verum conscientia Thrasonicâ gloriatione est potentior; non verbis, non vana persuasione, non obstinatâ*

 pertinaciâ

pertinaciâ ea obtundi potest. Penetrat integumenta omnia, & vellicat animum, contra omnes ejus morsus obfirmatum. Protrusit Fromondum Iansenius, quia per delicata mitræ honores mendacia, calumnias & ignorantiam nec fateri audebat, nec per conscientiam negare poterat. Idem de Fromondo auguror. In antrum se recipiet, & ex cicada fiet piscis. Si hyperaspisten sibi similem invenire poßit, gloriabitur apud imperitos. Invito eum blandè, exagito etiam asperè, nihilominus de successu despero. Imitabitur regem suum & post prostitutam loquentiam, silentium summum bonum ducet. Sin vero iterum cornicari incipiat, iterato contundemus, veritatisque & Dei Patrocinium non antè destituemus, quàm nos & lingua, & manus. Interim velim, hanc qualemcumque opellam, quàm erga te pietas, erga religionem reformatam amor, & pro bona causa zelus expreßêre, æqui bonique facias. Omnia tibi debeo, sed non omnia simul præstare possum. Opusculum hoc grati animi depositum erit, usque dum per occasionem paria facere potero. Si Fromondus essem, excurrerem in laudes tuas. Sed scio viros magnos gloriari tantum in testimonio conscientiæ, nihilque gravius illis esse, quàm proprias laudes audire. Suspiciunt te omnes boni, admirantur eruditi, metuunt Ecclesiæ hostes, imitari student pii, & quibus religio cordi est. Invidi si ringantur? quid mirum. Indocti & leves homunculi quia in tenebris consident, lucem insectantur. Excellere & surgere per se non possunt: & alios prohibere laborant. At quid efficiunt? cum omnia egerunt, ridiculi sunt & dolent. Quid vero metuas, aut cures eos? Opprimere dum student evehunt. Triumphabis aliquando de iis, ipsi vero te laudabunt, & desiderabunt, cum præter memoriam, & cineres nihil amplius colere poterunt. Sed satis de his. Venerari te, quàm laudare malo. Apud Augustinum aliquando lib. I. Retract. cap. 2. hæc legi: Displicet quod Mallio Theodoro, ad quem librum ipsum scripsi, quamvis docto, & Christiano viro plus tribuerim, quam deberem. *Viri serii quippe à laudando abstinere malunt, quàm in eo modum, quem observare difficile est, negligere. Vale, vir incomparabilis, & si merear, amare perge. Trajecti prid. Kalend. Octob. Anno temporis ultimi* CIↃ IↃ C XXXVII.

Lectori

SUbsiste, quisquis hæc lecturus es, paulisper in vestibulo, ne inter legendum quid culpes, quod deprecatur, & excusatum vult ipse author: aut ante lectionem à præjudicio non necessario, candorem tuum expelli sinas, & librum non lectum, aut examinatum, invisum tibi, invisum aliis reddas. Scio à variis argui meam ætatem, & propter eam contemni, quidquid zelus, quicquid amor erga Deum, & Ecclesiam dictavit. Iuvenem me admodum esse, & multarum rerum imperitum ingenuè agnosco. Sed an ideo tacere debeo? neque juveni licet in Theologia quid commentari? *Ab ore infantium, & lactantium Deus disposuit laudem suam.* Psal. 8. vers. 3. Omnis ætas Christo servire debet. Ne puerulos quidem exemptos vult Iohannes. 1 Ioh. 2. vers. 14. Nec quis putet excipi docendi officium? Expresse pro Timotheo suo Paulus: *Nemo tuam juventutem contemnat.* 1 Tim. 4. vers. 12. Non enim novum, aut insolens sub priori fœdere erat, pueros Doctores, & antecessores in Ecclesia esse. Egregie Ignatius ep. ad Magnesianos: *Samuel,* inquit, *cùm adhuc parvus puer esset. Videns est vocatus, ac in prophetarum numerum cooptatus. Daniel adhuc juvenis consenes quosdam* (ut vulgò creditur, aliàs acta Susannæ subleстæ fidei sunt) *judicio damnavit, eosque non seniores, sed perditè libidinosos esse probavit. Hieremias cum juventutis causâ, eam, quam Deus ei tradebat, prophetandi provinciam recusaret, à Deo illa audit: Te juniorem esse ne dicito, ad quoscunque enim te misero, proficisceris. Solomon autem ille sapiens, cum duodecim haberet annos, magnam quæstionem de ignoratione mulierum non agnoscentium suos liberos, dijudicavit.* Et cur non? ut enim Bernard. epist. ad Theobald. dicit: *Multos certè juvenes videmus, qui gravitate morum, & eruditione dies seniorum præveniunt, & quod deest ætati, virtute compensant.* Non eô hæc adduco, ut mihi quid eruditionis, aut probitatis super æquales deferatur. Absit. Eam solùm eruditionem in me agnosco, quòd ignorantiam non ignorem: & probitatem quòd quotidie magis magisque mea vitia, Christumque eorum expiatorem experiar. Hoc solùm mihi citra invidiam concedi velim, quod licuit Augustino catechumeno. Scripsit ille contra Ecclesiæ hostes, cum ejus necdum membrum esset, ingeniumque simul in percipienda & defendenda Christi veritate exercuit. Desperatæ causæ, & ridiculæ malevolentiæ indicium est, quem erroris non possis, juventutis arguere. De Iohanne Antiocheno testatur Cyrillus, quòd cùm novitius esset Episcopus, eadem tamen senserit, quæ senes. Ferte ergo, qui hæc legitis juvenem, & si mereatur, favete. In patria mea plus lactis præbere solent capellæ, quàm annosi, & promissâ barbâ superbientes hirci. Quæsituros multos scio, cur non Cl. Voetius ipse adversario suo responderit, & ego obscurus secutor cum tam celebri scilicet retiario congressus sim. Qui subornatum me ab incomparabili viro suspicantur, falsi sunt. Vltro hanc provinciam suscepi. Et cur non suscepissem? Tantum etenim deferre debui dilectissimo præceptori, quantum parasitus suo regi. Spe offæ, ac præmii patrocinium mendaciorum suscepit Fro-

mondus, & mihi vitio dabitur, quòd amore veritatis, Ecclesiæ, & præceptoris veritatem contra rabiosos clamores, & ineptias, pro exiguo modulo assertum ivero? Ita pro Luthero sæpe scripsit Melanthon, pro Calvino Beza, & quod exemplum me maximè respicit pro nobilissimo Sadeele studiosi Genevenses. Nonnulli quoque culpabunt scribendi rationem, quòd ineptias adversarii, quas indicasse suffecisset, alicubi uberius diluam. Fateor. Chartæ & laboris compendium facere potuissem. nolui tamen, idque in tui gratiam, Lector. *Vanitas vanitate non semper depellenda est*, teste Tertull. lib. 4. adv. Marc. Fastidium ac nauseam pariunt scripta sterilia. Quædam fusius tractavi, ut prodessem infirmis: quædam etiam ut prodessem iis, qui ex orthodoxis docti audiunt. Realia illi desiderant, non apinas, & Fromondi ineptias. Detestantur vesaniam, si pretio ejusmodi fumos emerint. Sed dicat quis nova non esse, quæ profero? Quid tum? Erro fuissem si talia captassem. Adversarius non nisi rancidas calumnias, & quibus millies responsum est, promit, & ego quid novi responderem? Consilium fuit vestigiis ejus insistere, & per avia omnia sequi, ut aut se captum esse fateretur, aut alii saltem agnoscerent, quibus imposuit.

Libertinos etiam, & neutrales, quorum seculum hoc feracissimum est, alicubi offendet aut libera redargutio, aut styli asperitas. Sed quid tum? Beati quicunque talibus Aristarchis displicent. Quia ipsi ex omnium sectarum excrementis balsamum distillare laborant, absinthium venenum esse putant. Miselli ut omnibus hominibus placeant, grandem contumeliam, & intolerandam injuriam esse putant, unumquodque verbum, quod in hæreticum, aut blasphemum aliquem sannionem dicitur, aut scribitur. Si gustulum tantum melioris spei percepissent, Christo aures commodarent, qui ita apud Iohannem cap. 15. vers. 18. *Si mundus vos odit, scitis me prius quàm vos illis odio habitum. Si ex mundo essetis, mundus quod suum est, amaret: quia verò ex mundo non estis, sed ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus.*

O stultas hominum mentes! ô pectora cæca!

Deo se placere credunt, quando mundo primogenitæ diaboli filiæ placent. Ego quidem contemnere didici tales Censores: & quô vehementior eorum bilis est, eô magis in tranquilla facti conscientia me oblecto. At, si qua fides illis adhibenda, nihil proficitur polemicis scriptis. Interim omnes spectat hæc Iudæ admonitio: *Decertate pro fide, quæ semel tradita est sanctis.* Et an non hoc magnum operæ pretium est quod diabolus commoveatur in filiis suis, & *vaniloquis os obturetur*? Tit. 1. vers. 10. 11. Si quis in possessiones eorum involasset, etiamsi omnes homines inimicos habituri essent, per judicem tamen deturbari illos cuperent. In Dei possessionem involant hæretici, mendaciis & calumniis onerare laborant, quoscunque in Dei vinea strenuè laborare vident, nec tamen viro bono impune licebit existimationem, ac famam eorum, quorum consortio se in cælis fruiturum credit, propugnare? Præclarè Basil. ep. 65, *Ad calumnias tacendum non est, non ut*

contradi-

contradicendo nos ulciſcamur , *ſed ne mendacio inoffenſum progreſſum permittamus, aut eos qui ſeduli ſunt* , *damno inhærere ſinamus*. Et Ambroſ. lib. 14. de Off. & hab. q. 5. *qui non repellit à ſocio ſi poteſt injuriam* , *tam eſt in vitio, quàm ille qui infert*. Libri qui contra divinæ veritatis hoſtes ſcribuntur, non omnes eo fine evulgantur, ut ipſi reſipiſcant, & convertantur: ut plurimum enim (quemadmodum Epiphan. inquit Hæreſ. 19.) eorum ἀθεράπευτον ἐστι πάθος, καὶ μὴ δυνάμενον διορθωθῆναι: ſed ut ſaltem detegantur, & mendacii, ac veſaniæ manifeſti fiant. Quàm acriter uſque ad convitia, & maledicta inter literiones & criticos pro voce, & ſyllaba non contenditur: quæ ratio, quæ cauſſa, cur eodem fervore (ſed temperato magis) pro Dei gloria, & veritate contra ejus mangones certare non liceat? O tempora! patroni religionis facti ſunt occulti ejus proditores. Fluctus plus quàm decumanos leniſſimi quoque inſtigati ab indocta invidia, concitant, ſimulac quis ex noſtris ſtylum ſtrinxit in errorum patronos, & digitum intendit in purpuratos, aut togatos populi ſeductores. At quis veſtem ſcindit, ſi ſatyris, canticis, & libellis æterna veritas, ejuſque fervidi παραστάτῃ conſcindantur? Enimvero neque rex, neque ſacerdos, neque populus. Si non ſcripta, ſaltem tacita lex, ſive conſuetudo nunc pro hæreticis militat. Væ vobis Hilari, & Nazianzene, ſi hodie in Arrianum Conſtantium, aut apoſtatam Iulianum ſcribere præſumeretis! Bidental contrectaſſe creditur, qui hac ætate hæreſium magiſtros indicat, aut maledicis veritatem loquitur. Non licet Chriſtum imitari, & coloribus ſuis delineare Phariſæos. Aut omnia concedenda inſanientibus, aut tacendum eſt. Sed patres conſcripti manſuetudinis, & moderatores ſunt? Mali ergo cives ex ſententia Solonis, & peſſimi Chriſtiani. Apoc. 3. verſ. 16. At habeant viſcera lenitatis, & à ſcriptis polemicis, ut anguibus abhorreant, modò eodem odio deteſtentur ſcripta adverſariorum. Tantum verò abeſt, ut ea deteſtentur, aut avidè & cum voluptate legunt, aut operæ precium non putant, ea cum neceſſariis & legitimis Apologiis componere. Sed de his ſatis. Si Fromondo alicubi inanis loquentiæ plumas detraham, propter ſimplices lectores feci, qui ut Tertull. adverſus Hermog. cap. 1. inquit: *Loquacitatem facundiam exiſtimant: impudentiam conſtantiam deputant, & maledicere ſingulis officium bonæ conſcientiæ judicant*. Multa reticuiſſem, ſi ipſe maledicentiæ, ac impudentiæ ſuæ moderari ſciviſſet. οἷ τ' αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ, ἄλλῳ κακὰ τεύχων. *qui alteri perniciem parat, eum paratum eſſe oportet, ut participet parem.* Verum Democriti verbum eſt apud Ariſtot. lib. 3. Rhetor. Niſi Cenſor hanc menſuram nobis menſus eſſet, nunquam remetiri inſtituiſſemus. Meminerit ergo verborum Chriſti: *quâ menſurâ metimini aliis* , *illâ remetietur vobis*. Si neget ſaltem à Voetio hoc ſe promeritum eſſe, quia fucatis blanditiis, & dulci *fratris* nomine inſulſiſſimè ei in Præf. paraſitatur. Hieron. audiat lib. 1. Dialog. adv. Pelagium: *Fruſtra*, inquit, *ſervus Dei blanditias, & dulcedines ſervaſti, cùm hoc propriè ſit eorum* , *qui decipere cupiunt audientes* , *dicente Apoſtolo* , *hujuſmodi Chriſto Domino noſtro non ſerviunt* , *ſed ſuo ventri. Et per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium.* Quanquam autem

tem

tem (ut verba Lactantii ex lib. 5. Divinar. Instit. cap. 1. pro meis adoptem) *non dubium apud me est, quin hoc opus si quis attigerit ex istis ineptè religiosis, ut sunt nimiâ superstitione impatientes, insectetur etiam maledictis, & vix lecto fortasse principio affligat, projiciat, execretur, seque inexpiabili scelere contaminari, atque astringi putet, si hæc aut legat patienter, aut audiat.* Nihilominus *ab his, si fieri potest, humanitatis jure postulamus, ut non prius damnent, quàm universa cognoverint.* Exuant solummodo præconceptam persuasionem, & præsumptionem, ac capaces erunt veritatis. Rectè Augustin. lib. 2. de Trinit. in proœmio: *Duo sunt, quæ in errore hominum difficillimè tolerantur; præsumptio priusquam veritas patefiat, & cùm jam patuerit, præsumptæ defensio falsitatis.* Examinate quæso quicunque offensionem pro vobis fertis fidem, & professionem vestram: exigite eam ad infallibilem regulam sacræ Scripturæ, ei si respondeat, pertinaces in statu consistite; si discrepet, quid cessatis in castra veritatis discedere? Non mihi majores vestros, fallacem persuasionem, & quæcunque amplius sunt opinionis choragia, objicite, ut plurimùm secundum Pindarum τὸ δοκεῖν ἀλήθειαν βιάζεται. Nolo sine examine mihi credi, tantummodo Lectores meos rogo, ut affectus inter legendum deponant, Fromondi Crisin cum meo scripto componant, & de omnibus sincerè judicent. Sed quid surdis auribus cano? & obloquentium benevolentiam sollicito? Pro dolor! verum nimis est quod Basil. inquit ep. 73. *Impoßibile est ut literis nostris accusantium nos ora cohibeamus: imo credibilius est, nostris illos Apologiis irritari quoque, ut majora, ac pejora contra nos machinentur.* Quidam ex illis famoso carmine, alii Archilochio edicto, nonnulli sacro libello errores, & scabiem suam contra veritatem munire studebunt: non deerunt quoque qui stultitiæ me arguent. At quid tum? Ita ab exarmati Coffætæi contubernalibus exceptus Clariss. Rivetus, & nuperrimè ego à legitimis Arrii, & Pelagii filiis: nihilo saniores, & clementiores futuri Papani. Fero autem libenti animo. Insanire ipsum Paulum judicat Festus. Act. 26. vers. 24. eundem garrulum, sive σπερμολόγον non è vulgo homines, sed Atticæ sapientiæ antistites Stoici, & Epicuræi vocant Act. 17. vers. 18. Libentissimè cum tanto Apostolo *stulti sumus propter Christum.* 1 Cor. 4. vers. 10. Non moror quid de me sentiant homines hujus seculi, modò tranquilla & nullius flagitii mens sibi conscia sit. Non ambio eorum favorem, non inhio dapibus. Portionem illam relinquo Gnatonibus, omnibusque iis, qui ventri magis, quàm Christo serviunt. De famosis libellis, quibus jam olim instructæ fuerunt famosæ illæ Iesabelis filiæ *Priscilla*, *Maximilla*, & *Quintilla* Montani sociæ, minimè etiam sollicitus sum. Asinorum crepitus sunt. Socrates est Socrates etiamsi in scena eum rideat Aristophanes. Exurgent aliquando vindices, qui sacros, & intestabiles homines merito supplicio destitui non sinent. Existiment alii, qui soli sibi sapere videntur, talibus impudentiæ pennis justè feriri innocentes veritatis, & communis caussæ patronos, *ac pilam solummodo retorqueri*: seculum aliquando erit, quo publicè tam infames habebuntur (quicquid jam somnient de inconcussa magnitudine domus suæ) hi judices, quàm exosi erunt architecti. Quia ipsi præter Christum aliud

intendunt

intendunt in eo profitendo, idem eos facere credunt, qui secundum conscientiam immotæ ejus veritati, obstrepente universo pene mundo, patrocinari laborant. Non ignoro me in hypocriseos suspicionem adductum iri ab iis. Quid tum vero? Clament meam conscientiam (hoc enim termino novi metaphysici utuntur) *oralem* tantum esse: animum meum ad suum exigant: histrioniam certò facere credant, quia ipsi perpetuò faciunt. Testis meus in cælo habitat, ille tam mea, quàm eorum viscera explorat, & in intimis cordis recessibus præsens est. Quia autem ab hominibus non audior, ad eum me recipio:

Tu ergo infinite, & excelse Deus, cujus oculi perambulant totum terrarum orbem, cui omnia nuda, & aperta sunt, coram cujus facie jam consisto, & extremo die iterum cum adversariis veritatis tuæ consistam judicandus: tu nosti in hoc negotio integritatem cordis mei, & quòd veritatis, & gloriæ tuæ, pro exiguo (quod dignatus es conferre) dimenso sincerè patrocinium susceperim, non ut hominibus placerem, aut in adversarios bilem exonerarem, sed tantùm ut conscientiæ satisfacerem, & quantum in me à tua majestate fugarem ignominiam, quâ stulti mortales, non à tuo, sed diaboli spiritu acti, eam afficere satagunt. Si deceptus sum, tu me decepisti; si erro, tu errare docuisti. Quanquam interim, mi Deus, toto animo meam imbecillitatem, & infinitos nævos recognosco, & deploro. Eos si considerare velis, jam jam subsideo usque ad inferni penetralia. Sed oculos levo, ex profundis peccati tenebris, ad lucem infinitæ tuæ misericordiæ: respice igniculos Spiritus sancti, quos in corde servi tui ex mera gratia suscitare dignatus es. Acceptum illud habe, quod ipse ei contulisti, nec peccatorum molem, propter infinita Christi merita considera. Vides, ô Deus, quòd veritas tua projecta jaceat in plateis, & nemo prope hospitio, nemo patrocinio dignetur. Suscita quæso vindices, qui tam contemnant homines, quàm te timeant. Si non placeat tibi ex Doctoribus eos legere, saltem ex parvulis collige. Per pueros etiam, ac agrestes gloriam tuam asserere potes. Corda quoque adversariorum tuorum præpara, ut capacia sint veritatis, aut justo judicio ea excæca, & obdura, ut manifesta fiat tua potentia, omnibusque constet, eos contra stimulos calces levare, qui tibi se opponunt. Detege seductores, detege blasphemiarum architectos, ut simplices, eos agnoscere, & fugere possint, atque ex tanta errantium turba, aliqui saltem nobiscum per rectam, & angustam viam quæ ducit ad cælum, ab ὁδηγῷ Spir. sancto ducantur. Audi, imo exaudi clementissime pater, servum tuum, propter pretiosa merita filii tui, cui tecum, & cum Sp. sancto sit laus, & gloria in omnia secula, Amen.

Syllabus Capitum.

Cap.

SYLLABVS CAPITVM.

Cap.

Cap. XXXII. *Apposité citavit Voetius Gersonem. Non aperit Voetius omnibus erronibus fenestram ad turbandas Ecclesias. Fromondus cum umbra sua luctatur. Nullibi dixit Voetius primos Reformatores extraordinariam habuisse vocationem.*

Cap. XXXIII. *Insubidè Fromondus de arcta via ineptit. Rectè à Muncero miracula postulavit Lutherus, quæ tamen ab eo flagitari non possunt. Non fuit in Ambrosium & Augustinum inclemens Lutherus. Defenduntur Professores Leidenses.*

Cap. XXXIV. *Voetius non in dubium vocat vera miracula. Fromondus suspecta facit omnia Papana miracula. Xaverius non claruit miraculis. Ioannes Baptista nulla quoque edidit miracula.*

Cap. XXXV. *Lutheri vaticinia vindicantur à sarcasmis Fromondi. Papanorum miracula pleraque ridicula & mendacia sunt. Vindicantur Professores Leydenses. Ipsi Papani DD. fatentur ægrè agnosci posse diaboli miracula.*

Cap. XXXVI. *Ridiculè & absurdè probat Fromondus Ecclesiis nostris non competere successionem doctrinæ. Ipsi Papani DD. fatentur successionem non esse propriam Ecclesiæ notam.*

Cap. XXXVII. *In Conciliis legitimis primas obtinet Scriptura. Fromondus Concilium Papæ præfert. Apostolica Ecclesia non est similis arbori primo vere turgidæ. Papismus non fuit implicitè notus tribus primis sæculis. Papana templa & Altaria non habuerunt aut noverunt primitivæ Ecclesiæ. Nullus ex antiquis martyribus supplicium sustinuit pro uno etiam dogmate Papano.*

Cap. XXXVIII. *Per calumniam Fromondus nos hæresium insimulat. Patres sæpè præcipites & nimis vehementes fuere. Injuriè accensemur Simoni Mago, Eunomianis, Marcionitis, Manichæis, Ioviniano, & Aërianis.*

Cap. XXXIX. *Papismus non fuit notus sæculo septimo, octavo & nono. Probatur contra nota fuisse iis nostra doctrina. Vindicantur & deteguntur plurimæ Fromondi ineptiæ, & calumniæ. Quales Gothescalcus, Ioannes Erigena, & Bertramus fuerint.*

Cap. XL. *Seculo decimo nota fuit doctrina nostra. Occurritur Fromondi ineptiis. Vindicatur quoque ab ejus calumnia pientissimus Dn. de Plessis.*

Cap. XLI. *Seculo undecimo plurimos invenimus testes doctrinæ nostræ. Vindicantur à variis calumniis Berengarius, Petrus Brusius, Tanchelinus, item Potrobrusiani, & VValdenses. Respondetur ad caput* XXXIX. & XL. *Crisios.*

Cap. XLII. *Quales fratricellos pro nostris agnoscamus. Respondetur calumniis, quibus Fromondus sanctissimos viros VViclefum, Hussum, & Hieron. Pragensem onerat.*

Cap. XLIII. *Respondetur variis Fromondi nugis, quibus successionem doctrinæ nostræ, liquidam, & manifestam nimis, obscurare studuit. Successio doctrinæ nostræ in fundamentalibus articulis manifestè ostendi potest, Papanæ verò neutiquam. Successio sedis Romanæ abrupta jam olim fuit.*

Cap. XLIV. *Ecclesia aliquando occultatur fatentibus ipsis Papanis DD. Refelluntur Fromondi nugæ. Defenditur contra ejus ineptias Cl. Plessæus, & Rivetus. Lutherus in Germania viam complanatã ad Euangelium invenit.*

Cap. XLV. *Quanti faciendi sunt scriptores, quos Iesuitæ edunt. Malè Apostolicis accensentur VValdenses. Duplices fuerunt pauperes de Lugduno. Pilichdorffius Iebusiticus author nihil derogat Rainerio.*

Cap. XLVI. *Deteguntur, & diluuntur variæ Fromondi nugæ. Mulieres baptizantes habendæ sunt hæreticæ. Quid apud Irenæum sit principalis successio? Voetii* ἁμαρτήματα μνημονικὰ *deliria Fromondi sunt. Defenditur Cl. Rivetus contra garrulam Corniculam. Dn. Cyrillus Patriarcha Constantinopolitanus alienissimus est à factione papali.*

Cap. XLVII. *Probatur authentia & divina authoritas sacræ Scripturæ ex ipsa Scriptura. Respondetur ad triginta tres sceptico-Libertinas Iansenii quæstiones. Solidè ostenditur Scripturæ authoritatem non dependere à traditione.*

Cap. XLVIII. *Protestantes purgantur à Manichaismo, Novatianismo, Simonianismo, Iovinianismo, Eunomianismo, Vigilantii erroribus, & Aërianismo. Calvinus defenditur contra stolidam vehementiam Iansenii.*

Cap. XLIX. *Proponuntur Iansenio, & Fromondo* XCIX. *Quæstiones.*

DESPERA-

DESPERATISSIMÆ CAUSÆ
P A P A T V S
CAPVT PRIMVM,

Quo ineptiæ, ignorantia, calumniæ, mendacia, ac totus Liberti Fromondi genius detegitur: & simul etiam ad Præfationem illius respondetur.

I. Renæus lib. 1. adv. Hæref. cap. 13. Hæreticos phreneticis comparat, quò enim utrique plus rident, & gaudent, eo magis miseri, & deplorandi sunt. Verum hoc esse, bruta Liberti Fromondi ἀναισθησία, & canina impudentia, quam in CRISI sua contra *Gisbertum Voetium* prodidit, fidem faciunt: In ipso quippe vestibulo sacri operis, quasi Calvinianos omnes in sinu, Voetium autem in corde gestare vellet, ingemiscit super eorum duritiem, & stultitiam. Instar crocodili aliorum callum deflet, cùm miser non animadvertat ita se vitiorum, ac errorum squamis esse obsitum, ut nec tangere, nec sentire queat. Voetio primam sapientiæ regulam γνῶθι σεαυτὸν *nosce te ipsum*, ut quis in Ecclesia Apollo præscribit, & se tamen ne in speculo quidem intueri dignatur. Vt illi, quibus graveolentus est halitus, etiam tum non odorantur, cùm omnes ut quam mephitim eos fugiunt: ita & hircosus hic Doctor, ubi omnes Apostolos, Prophetas, & Patres hæresium, ac mendaciorum fœtore ultra Sauromatas, & Indos abegit, videri tamen vult bene olere: immo dolet, quòd multi adhuc trucem erroribus caprum sub alis alant. Quis chalybeam hanc frontem, non dignam ducat ferreo corpore? Ego quidem simul ac aspexi, continuò mecum:

— *Neque est quisquam*
Quem non in aliqua re videre suffenum
Possis.

Mirarer crassam hanc hypocrisin, si non Fromondus esset, qui eâ tumet. Turgidam fatuo succo cucurbitam, aut inani vento vesicam videre, quid novi est? Pro Corn. Iansenio etenim, reverendo illo ex fabrica Leerdamensi Episcopo adornata est *Crisis*. Auctor & pater est Libertus Fromondus. Fromondus, inquam, ille, qui princeps est apud Iprensem Episcopum parasitus, ejusque in cathedra Theologica apud Lovanienses suavissimus quondam congerro

Τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ.
hoc est,
Cicada cicadæ, & formica formicæ est amica.

Mendax, vanus, inflatus, & ineptus ubique in *Spongia* est Iansenius, talis & in *Crisi* ubique laboravit esse Fromondus. Laurum scholastici declamatoris, cùm non posset disputatoris, affectavit Iansenius: excludo verò oculum, si non *Criticus*, aut palmam, aut auream cicadam, aut saltem argenteum crepitaculum à suis jam acceperit. Pinguem Doctoris togam, cum levi & aurato pallio commutare Iansenius suadebat, cum linguâ suâ, velut spongiâ, sordes, & stercora Romanæ Ecclesiæ, à Voetio objecta, abstergere laboraret. Diu etiam quæsivit Fromondus nigrum suum pileum, cum bicipiti mitra permutare. Quem enim in collegii pulvere consenescere juvet? Sed miser huc usque tantùm quæsivit. Æternum non invenisset, ni Voetius debacchandi, & in comico plaustro triumphandi occasionem præbuisset. In ærarium legem hanc Hispanicus senatus deposuit, ut qui cum Voetio, crucis Sylvæ-Ducensis hoste, & redivivo Luthero congressus fuerit, Phillida accipiat. Animadvertite hoc Abbates, Prælati, Iesuitæ, Doctores omnes: & gnaviter in

roſariis veſtris precamini,ut minutulus,& pauperculus ille Voetius,diu perennet. Quam diu enim ſuperſtes erit , nunquam ſtrenuo Pyrgopolinici præcluſa erit via graſſandi ad mitræ delitias. Non eò hoc dico, ut moleſti ſitis Fromondo. Enimverò primus qui per mortem, aut ſuperiorem promotionem derelictus erit baculus , ex lege, & æquitate ei debetur. Aſſeruit enim reverendiſſimi ſui Ianſenii exiſtimationem : & quod caput,ſatisfecit bonis Catholicis , qui per Hollandiam annuum tributum pendunt,ad reficiendos famelicos Suitarum, & cucullatorum Morionum ventres. Ad nos quantum,utroque pollice favemus Doctori,& libenter ferimus,ut ex Academico agro,in quo linguâ , & ſtylo ſine miſſione eſt laborandum, ac nocte dieque ad alterius arbitrium aratrum trahendum,

Dum nova canities , dum prima , & recta ſenectus.

In ſtabulum prope bonum Ianſenium cogatur,ac ex Cumano aſino, per plumbum ſanctiſſimi patris Vrbani VIII. in Phryxeum arietem,aut aureum bovem transformetur.

II. Sed ad rem. Pro φιλζώτῃ κεφαλῇ Corn. Ianſenio ὀβελῷ & ſtylo contra *deſperabundum* Voetium (ſic cenſet Antonius Loverius Ariſtarchi ex cæca filia, & polypoſo genero vigeſimus primus abnepos) ſe armavit Fromondus, ut quicquid bilis,mendaciorum, & trivialis loquentiæ in jactabundo capite habebat repoſitum,ſimul ac ſemel,ad oſtendendam heroicam magnanimitatem , in Hæreticos , & qui inter eos αἱρετικώτατος audit, Voetium poſſet effundere. Si roget quis,cur non ipſe Ianſenius digitum ori inſeruerit , ad evomendum repotia diabolicarum calumniarum, & mendaciorum, ex arcanorum omnium conſorte Fromondo diſcet , bolum novi Epiſcopatus ita fauces hominis comprimere , ut vix inter maxima hilaria , & plenos culullos tremulum riſum excutere poſſit , ad comprobandam convivalem gnatorum ſuorum pugnam contra Calvinianos. Ecce,ita enim ad Voetium ipſe Fromondus : *Ego* , inquit , *Reverendiſſimo D. Cornelio Ianſenio, novis, & gravioribus impoſiti nuper Epiſcopatus curis jam diſtricto, id à me tibi officium deberi exiſtimavi.* Novis, & gravioribus curis, quam ut libros ſcribere poſſit diſtrictus tenetur mitratus Ianſenius. Intentus quippe eſt totos dies audiendis canonicis, & monachis, locandis decimis,accipiendis pecuniis,exigendis rationibus , laute & Saharem in modum excipiendis hoſpitibus,confirmandis pueris, conſecrandis ſacerdotibus,dotandis monaſteriis,ſtabiliendæ Hiſpanorum dominationi, & ſexcentis ſimilibus negotiis , quæ longè (teſte Fromondo) utiliora,& Epiſcopi perſonâ digniora ſunt, quàm Euangelium prædicare , aut contra Lutheranos aut Calvinianos libros ſcribere.

Enimvero ita etiam judicabat,qui fidem dabat ſe Chriſtianum fore , ſimul ac creatus eſſet Epiſcopus. Crederem hanc ipſiſſimam cauſam eſſe,ni ipſe Fromondus in mendicante,& mendaci ſua dedicatione de reverendiſſimo Dn. Epiſcopo teſtaretur , quod *fere decies à capite ad calcem opera omnia Auguſtini evolviſſet.* Fieri enim non potuit,quin inter reliquos libros,eos ſaltem viderit , quos doctiſſimus Patrum , cùm Hipponenſem Epiſcopatum adminiſtraret contra Pelagianos,Donatiſtas, Manichæos,ſimileſque Antichriſtianæ Eccleſiæ fautores magno zelo, & diligentiâ elucubravit. Niſi forte inter legendum mente per Hiſpanicam aulam , aut Romanam curiam divagatus fuerit. Sed alia ratio eſt , quam profundè ubique Lovanienſis criticus diſſimulat,quam ἐχεμυθίαν garrulæ ſuæ linguæ impoſuit Ianſenius.Omnes bullatæ eloquentiæ ληκύθους jam in *Spongia* exhauſerat: & in mendaciis, atque calumniis tam aperte ab Hueſdano miniſtello eſt deprehenſus, quàm in Plauti comædia mæchus. Puduit hominem mitram infamiæ exponere,& culpam fateri. Exiſtimationi Papatus , ſimul & Epiſcopatus inter bonos Catholicos , nonniſi per novum, ac inexpertum Sophiſtam potuit conſuli. Vt apes ſimul ac aculeum effudêre, avolant;ita quicunque hæreticos Calvinianos oppugnant, biſulcum tantum telum habent mendaciis , & calumniis aſperum : ſimul ac illud emiſere,terga vertunt,& latebras quærunt. Velites ſunt omnes Antichriſti ſatellites : tunc demum utcunque in ſtatu perſiſtunt, ſi identidem majori numero integri læſis & fugientibus ſuccedant. Vincere non poſſunt niſi cacatorum libellorum numero , & inſipidarum chartarum pondere.

dere.

dere. Horrent colloquia, trepidant ad mentionem Scripturæ: odere disputationes, & quia calamitatum, quas accepere, probe sibi conscii sunt, edictis, & legibus cavent, nequis ullibi cum Calviniano, aut Lutherano ministro congrediatur. Mahometi in hoc per omnia similes, qui cùm auguraretur, superstitiosam & dissonam suam Theologiam facillimè explosum iri, si in eam inquirere liceret, sub capitis pœna sanxit, nequis unquam de ea disputet. Prudenter equidem, & politicè. Nos minimè invidemus, aut ringimur. Libenter credimus Servatori nostro, qui apud Iohannem cap. 3, v. 20. dicit: *Quicunque male agit, odit lucem, nec venit ad lucem, ne arguantur opera ipsius.* Si bene frontem & supercilium Iansenii novi, respondisset jam diu, si ullam elabendi rimam vidisset, Episcopaliter, hoc est superbissime, & virulentissime: Sed ita undiquaque à ministellis, & pygmæis se obseptum, ac obsessum animadvertit, ut sibi cum ruinoso papatu, si iterum congrederetur, cadendum fuisset. Quare satius duxit pallio se velare, & Fromondum, novitium Thrasonem in Voetium concitare. Præstat enim in Cane, quàm in Episcopo periculum famæ, & honoris fieri.

III. Et hæc ipsissima causa est, quæ cum longo mendaciorum, & calumniarum syrmate in theatrum protrusit Fromondum: qui nisi in absurdissimæ *Crisios* frontispicio, se ordinarium Theologiæ Professorem apud Lovanienses esse, professus foret, certò credidissem authorem esse prætextatum quem declamatorem, aut novitium Iesuitarum discipulum. Ita pueriliter, indoctè, negligenter, & insipidè ubique pro corona mentiendi, & calumniandi certat. Musculo, simul ac vidi, comparavi hominem. Ferrea, & invicta argumenta quæ arrodere non audet, immundâ & venenatâ salivâ, nonnunquam etiam lotio perfundit. Adeo inverecundus, & sordidus est! Præcipuas controversias de quibus Iansenius cum Voetio contendit, & de quibus certò se triumphaturum existimabat, ut de Vocatione & Successione ministrorum, silentio pertinaci præterit: & ne videatur nihil egisse, alicubi probationem, aut locum ex authore quo laudatum, vellicat. Et id quidem tam supinè, ut ubique ferè seipsum plumbeo pugione juguler. Quod infra cum bono Deo tam clarè ostendam, ut etiam talpæ animadvertere possint. Si quid autem ei probandum sit, quasi in Vtopia, aut Endymionis antro hactenus stertuisset, suos authores & domesticos testes adducit, ad exemplum sacerdotum, & Pharisæorum, qui nunquam benedictum nostrum Servatorem morti adjudicassent, nisi ejusdem notæ testes subornassent. Et ut quisque norit, quàm venerabilis hic Doctor, in Controversiis, & Theologia Elenctica versatus sit, singulis ferè paginis authores per quos profecit, citat. Inter quos præ cæteris eminent: *Cochlæus, Bolsecus, Surius, Tiletanus, Florimundus de Ræmondis*, similesque diaboli, & mendaciorum patroni. In Panibus verò, quos ubique ad vomitum usque rhapsodiis suis interserit, tam peregrinus est, ut conceptis verbis jurare ausim, eum nunquam vel unum ex iis, quos citat, legisse. Quicquid ex scriniis eorum adducit, converruit ex Eclogis, & locis communibus ut suo loco non semel ostendam. Sales, quos ubique affectat, tam sunt inficeti, rustici, ac crassi, ut suâ ineptitudine Crasso etiam risum exprimere possent. Admiratus antehac sum novam ejus Philosophiam: quæ tam longè ab exacta, & nitida illa Platonis, Aristotelis, Zenonis, Averrois, Avicennæ, & Thomæ regula distat, ut non Oriens ab Occidente remotius. Quid enim eâ tumidius, vanius & verbosius? Auferto ex Meteorologia ejus omnes sarcasmos, dicteria, exclamationes, & ineptæ eloquentiæ bullas, & spissum volumen ad paucas pagellas redegeris. Philosophiæ per omnia respondet nova ejus Theologia. Bullata hæc, pellucens, mordax, ridicula, frigida, & stulta est. Ipse verò, architectus ejus, intus & in cute inflatus asinus, criticus ridiculus, ineptus, garrulus, præ exarmato Iansenio σὺν ἀξίῳ ὀβελῷ, ac prorsus formatus & compositus ad eam vaniloquentiæ regulam est, quam per calumniam Germanicis Theologis applicat *Ioannes Huart*, in libro Hispanico, cui titulus est, *Examen de Ingenios para las Sciencias* pag. 194.

IV. Conscientiam, prudentiam, & eruditionem ex vestibulo crisios, cognosce quæso, quisquis hæc legis. Ita enim pag. 2. ad Voetium dicit: *Crede, mi frater, majori misericordiâ,*

quàm tu putas, viscera nostra commoventur, dum vos in illis tenebris, tanquam in media luce exultantes, & apertissimæ veritati assultantes conspicimus. Quâ conscientiâ, quâ fronte, quo pudore Lovaniensis censor Voetium fratrem vocare potest: quem non pro simplici hæretico, sed seductore, filio Gehennæ habet? Nisi fortè vanissimus homo volupe, ac honorificum esse ducat, frater diabolorum dici: quomodo ab ejùs gregalibus (cùm in furoris paroxysmo sunt) Voetius, & omnes fideles Iesu Christi ministri passim salutari solent. Sed video: fratrem vocat Voetium, ut Ioab Amasam 2 Sam. 20. libenter eum in retia Papanorum araneorum pelliceret, & dein per otium interficeret. Meminit bene successisse in Marco de Dominis.

Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni.

Nullas etiam hypocritæ gratias habemus, quod ita de nobis est sollicitus, ne in ignem qui *paratus est diabolo & angelis ejus* conjiciamur. *Gratiâ Dei sumus id quod sumus*, 1 Cor. 15. Et cum Origene perpetim *Deo gratias agimus, quod ignorantiam nostram non ignoremus.* Vtinam suam aliquando norit Fromondus! Nolo autem eum obtestari in præsens, & veritatis margaritas, impuris ejus pedibus subjicere. Rectè ad Demetrianum Cyprianus dicit: *Labor irritus & nullius effectus, offerre lumen cæco, sermonem surdo, sapientiam bruto: cùm nec sentire brutus possit, nec cæcus lumen admittere, nec surdus audire.*

V. Non video verò quo prætextu à sacrilegio se excusare possit censor, quando iterum nobis signum dat in Injusti Lipsii hypocrisin, & Manes perorandi. Etenim nos libentissimè vitia, & infirmitates hominis apud delicatam animulam, & tenellum corpusculum composita vellemus, modò per Fromondum, similesque νυκτικόρακας, quibus volupe est perpetuò cum larvis luctari, liceret. Discipulis suis, & insulsis Lovaniensibus persuadeat Lipsium *nunquam in sacra & ritus nostros transisse:* Vivunt etiamnum inter nos, per Dei gratiam, qui personatum literionem Leydæ noverunt, & etiam si ad unum omnes essent mortui & extincti, ignotus tamen esse non posset per authorem Dissertationis de Diva Virgine Hallensi, & Thomsonum doctissimum; qui duo tam heroice larvam homini detraxere, ut ad hunc usque diem nemo adhuc eam tollere, & iterum cadaverosæ fronti aptare sustinuerit. Iudicate omnes, qui homines haberi vultis, qualiscunque etiam religionis sitis, an non ille in *sacra & ritus* Lutheranorum, & Reformatorum Belgarum transire videatur: qui cum Lipsio Ienæ ab Augustanæ professionis Theologis sacram σύναξιν accipit: & ore, ac manu leges, & statuta consistorii Hagæcomitani dictat, scribitque: & qui in Epigrammate præfixo libro Feuguræi, S. S. Theologiæ apud Batavos Professoris, scripto contra tenebrionem quendam, & edito Leydæ apud Andream Schoutenum Anno 1576. ita Zeelandos alloquitur:

Duplicia Hesperii rupistis vincla tyranni,
Mattiaci: atque armis asseritis patriam:
Asseritisque fidem: patriam sed turbat Iberus,
Ecce iterum, ecce fidem turbat hic ardelio.
Verum alii patriam: sed, tu Feugræe, tueri
Perge fidem, & fidei qui faciunt tenebras.
Scriptis illucere tuis, sunt vera ministri
Hæc Munia, ingenio digna tuo & Genio.

Nunquam novissem hanc camarinam (Lipsium enim tantum in *Crisi*, & Romana antiquitate veneror, quantum in religione detestor) si ipse Fromondus necessitatem non imposuisset. Somniat verò, quod quis meritò albis dentibus rideat: omnes qui inter nos vivunt viros doctos (quibus invitus etiam accensere compellitur Voetium) similes esse Lipsio, & plures nævos, ac errores in religione nostra videre, quàm profiteri audeant. Per Dei Opt. Max. gratiam, inter tot pios, doctos, & egregios viros, de quibus jure ac meritò gloriari possent nostræ Ecclesiæ, si non cum Antichristiano jugo Antichristianum etiam typhum excussissent, præter hypocritas & Lipsios, nulli adhuc inventi sunt, qui legendo sacram Scripturam, & cum ea comparando Papanam doctrinam, non magis ac magis in fide, & conscientia confirmati sint. Cum contrà plurimi ex Papalibus scriptoribus, iis, præ cæteris, qui in Scripturam commentati sunt, volentes nolentes, doctrinam Ecclesiarum nostrarum probare, ac divinæ veritati fasces submittere cogantur. Adeo in sinuosis, ac incurvis animis

ὀρθὸν

ὀρθὴν ἡ ἀλήθεια ἀεί: hoc est *veritas semper recta est*. Imo, quò quis in Papatu est doctior, & diligentior in Sacris literis, & Theologis nostris legendis, eò acriori etiam stimulo pulsatur ejus conscientia. Sexcentis, quod dico, exemplis comprobari posset, si non manifestissimum esset, facturus cum Deo simul ac Fromondus, aut alius quis, æquè in domestica, ac externa Theologia hospes, negaverit. Numerabam antehac Fromondum inter eos quoque, qui Papæ ob solam offam, lucellum, & commoditatem adhærent, eique applicabam illud Augustini lib. 1. de Ordine: *Philosophi hujus mundi sæpe aliter docuerunt, quàm senserunt.* Sed quàm longè me deceptum esse video? Theologiæ Doctor inter fratres Ignorantiæ adhuc desidet, cæcoque duntaxat zelo religionem propugnat, cujus mysteria non novit ipse. Ita parum versatus est in domesticis Doctoribus!

VI. Quandoquidem autem in certa capita, & classes rhapsodias suas dispunxit Censor, sequar eum ut *iniquæ mentis asellus*. Et quamvis augurer tumidissimum Doctorem sannis excepturum esse meam juventutem, & Responsionem, digitum tamen non verto. Patronum habeo B. Paulum, qui pro me omnibus papicolis, & pseudo-Christianis edicit 1 Timoth. 4. μηδείς σε τῆς νεότητος καταφρονείτω, hoc est. *Nemo tuam juventutem contemnat.* Quod si forte alicui nimis asper, & acer esse videar, cogitet is quæso deplorata vulnera cauterio indigere, & inveteratis ulceribus mordacia lixivia, ac pungentes scalpellos adhiberi solere. *Imperitus est medicus* (inquit Cyprianus de Lapsis) *qui tumentes vulnerum sinus manu parcenti contrectat.* Tempora sunt, quibus obest mansuetudo, ac lenitas exasperat: *perversa* quippe *mens* (ut ait ad Olympium Basilius) *nullâ æquitate, aut mansuetudine flectitur.* Cæterum quicquid Fromondo respondeo, non stylo tantùm, sed linguâ quoque, idque semper per Dei gratiam defendere paratus sum: Gratias ei maximas acturus, si de his controversiis, aut cum ipso Fromondo tutò Lovanii, aut cum desertore Coloniensis cathedræ Mario Amstelodami, aut hic Vltrajecti cum latitante patre Societatis Iebusiticæ Isero (quem validum Hæreticorum malleum esse in Theatro Honoris more ordinis sui, Carolus Scribanius jactat) aut cum quocunque etiam alio, sive clerico, sive laico, coram conferre, colloqui, & disputare possim. Non pudet me veritatis, nec pro ea detrecto certamen. Experiatur quis. Cedam veritati, si illa argumentis, rationibus, & sacris testimoniis me de sententia dimovere, ac in sui assensum rapere possit.

CAPVT II.

Defenditur Titulus Voetii libri. Sex rationibus evincitur non desperata tantum, sed desperatissima esse Papatus vulnera. Quòd Ecclesiæ Catholicæ tribuitur Matth. 16. insulse ad conciliabulum Romanum trahitur à Fromondo. Verbo ostensa ejus ignorantia, & puerilis gloriatio.

PRima Fromondi Philippica titulum Voetiani libri petit. Ex re quippe tot χαστέρων ἀρχῶν nunquam desperare Ecclesiam Romanam. Qui ad desperationem usque ægrotat deseritur ab amicis, & proximis, nullaque donaria, nisi ad supremum forte officium, accipit. Iure ergo pro Helenæ suæ vita certat Censor. Vtinam verò vinceret, qui tot bullas ore efflat. Nullum argumentum, nullum telum, nullum pugionem, ne quidem papyraceum in toto primo Capite ipse Lynceus viderit, quo Voetius aut lædi, aut moribundus Papatus defendi queat. Nisi forte hoc ariete prosternatur *pusillus furunculus* (ita altus bucco Voetium vocat pag. 5.) quòd ad exemplar miseri transfugæ Samuelis Cudsemii (condignè à Brantio nostro excepti ob conscriptam *Desperatam Causam Calvini*) *Desperatam Causam Papatus* enixus fuerit. An non pueri Lovanienses me sibilis exciperent, si dicerem Fromondum ideo Rhapsodicas suas quisquilias *Crisin* inscripsisse, quod antè seculum, alii eruditione, & prudentiâ longè eo superiores, talem titulum Tractatibus suis præfixerint. Enimvero ipse censeret grandem eruditioni suæ injuriam fieri, nec ego quoque, ingenuè fateor, calumniam defendere possem: utut enim in Theologia infans est, versutus tamen & doctus est in seligendis titulis. Ianua aurea etiam haram commendat.

II. Sed fastuosus fortasse Voetii titulus est. Vellet hoc quidem Lovaniensis Doctor: sed probare non audet. instar furum, qui in αὐτοφόρῳ deprehenduntur, ne in carcerem conjiciatur, duntaxat quid de honestate, existimatione, stabilitate, & diuturnitate Ecclesiæ suæ garrire scit: quæ χελιδόνων μουσεῖα, hoc est *streperæ cornicationes*, qualia sint pòst videbimus. Ego confidenter, & mecum omnes, qui stabilem spem vitæ æternæ habent, desperatum, & incurabilem esse Romanæ Ecclesiæ statum affirmant, nec solùm ut Lovaniensis Pythagoras affirmant, sed sequentibus etiam rationibus probant. *Primò.* Quia odit lucem à qua illuminari potest: & ridet antidota, quæ sola sufficiunt fugandis illius morbis. Scriptura sacra est sol ille, panacæa, & *sanum verbum* Tit. 2, vers. 8. Quam ut angues fugiunt contubernales Fromondi, cujusque authoritatem in dubium vocare, vellicare, & omnibus modis obscurare laborant. Quid mirum? noctuæ fulgidum solis jubar intueri non possunt, nec qui cancro, aliove desperato morbo laborant, lenientia fomenta pati. Hinc tot apud Papanos lucifugas emblemata de scripturis occurrunt. Costerus Iesuita cap. 1. *Scripturæ sunt litera mortua, scripta atramento in membrana, vel charta, quam si quis vel truncare velit, vel pravis expositionibus corrumpere nihil sentit.* Serarius Iesuita Prolog. 10. quæst. 2. *Scriptura,* inquit, *ad causarum auditionem surda, ad examen stupida, ad proprie dictam sententiæ dictionem muta, vicaria Dei judicis perinepta est.* Turrianus Iesuita contra Sadeelem pag. 99. *Si Scripturam solam fidei Regulam Christus Ecclesiæ reliquisset, quid aliud quàm Delphicum gladium haberemus?* Stapletonus Relect. prim. controv. 4. quæst. 5. *Ecclesia* (hoc est Pontifex) *est Scripturâ superior, sicut legislator est superior ipsâ lege, in quantum lata, & promulgata.* Bailius Iesuita in Catechesi q. 9. *Scriptura nobis suppeditat solam literam mortuam, & mutam; sed traditio, mediante prædicatione Ecclesiæ, verum sensum nobis dat, qui in Scriptura distinctè non habetur, in quo tamen potius consistit verbum Dei, quàm in sola litera scripta.* Salmeron Iesuita comment. in Epist. Pauli in genere disp. 8. §. *Tertiò quia. Scriptura,* inquit, *muta est, at Iudicis vox lites terminans, viva esse debet.* Hos antecessores suos longè superavit Gretzerus Iesuita, quando in colloq. Ratisbonensi, Sess. 9. ita blasphemè cum Spiritu sancto expostularet: *Iudex supremus debet pronunciare sententiam, ut constet nobis evidenter. Ego Gretzerus contra vos Lutheranos disputo: dicat nunc Spiritus sanctus in Scriptura. Tu, Iacobe Gretzere, malè sentis, cecidisti causâ: & ego statim transibo ad vestrum scamnum.* Melchior Canus Loc. Theolog. lib. 3. cap. 2. *Protestantes falsò negant, Scripturam esse veluti nasum quendam cereum, in omnem sensum flexibilem.* Pighius Hierar. Eccles. lib. 1, cap. 4. & lib. 5, cap. 3. *Demonstramus,* ait, *authoritatem traditionis Ecclesiasticæ magis idoneam, quàm Scripturarum, ad fidem, certitudinemque faciendam in re dubia; etiam ubi id de quo agitur, ex Scriptura constare posset. Cùm clarior sit, & magis aperta, planèque inflexibilis communis Ecclesiæ sententia, traditioque Ecclesiastica: cùm contrà Scripturæ plurimum frequenter obscuritatis habeant, & horsum illorsumque, velut nasus cereus, trahi se permittant, & velut plumbeam quandam regulam applicari impiæ cuivis sententiæ.* Denique Thomas Hoskinsus Anglus, tantopere laudatus à Possevino in Apparatu sacro Tom. 3. Lit. T. ut *Thomas Hardingius*, in libro, quem inscripsit *Comitia Parlamentaria*, & edidit Anno 1566. post plurimas blasphemias in totam Scripturam ita tandem lib. 1, cap. 2. in Canticum Salomonis debacchatur: *Quam parum* (inquit) *ad virtutem incitamenti in Canticis Salomonis esse videtur? Imo verò quàm impia, & lasciva, primâ fronte apparent, lasciviam potiùs, quàm pietatem instillantia? Quid indocti obsecrò, in plurimis sententiis invenire possunt, quòd non potiùs ad petulantiam provocet, quàm ad pietatis ædificationem vergat? neque verò aliæ partes meliores sunt, sed his universus ille liber similis existit.* Et tandem concludens dicit: *Hinc clare liquet, quàm periculosa res sit, si Laici Scripturas legant.* Iudicent omnes quibus ingenii gutta superest, an non certissimum hoc judicium sit desperatissimæ causæ? Fures, sacrilegi, & omnes malefici judicem aut fugiunt, aut contra eum excipiunt. Qui benè sibi conscii sunt, ultrò ad ejus tribunal se recipiunt: probent Pontificii, probet Fromondus superiorem de religione constitu-

tum esse judicem, quàm ipsum Deum loquentem in sacra Scriptura, & Romanam Helenam spei plenàm esse putabo. Narrabit, sat scio, ad vomitum usque fabellam de Ecclesia, Ecclesia: sed exponat primò, sitne Ecclesia, aut tota multitudo fæcis Romanæ, aut tantùm curia Romana, aut Tridentinum Conciliabulum, aut Papa cum Prælatis omnibus, aut denique solus Papa, repræsentativa, scilicet, illa universitas. Hoc si rectè expediverit, & Cadmæos fraterculos ad concordiam redegerit, virum agnoscam, & Professorem πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων. Sed tum faciet, cùm iterum Phænix comparebit. *Secundò*, Verè Seneca dicit epist. 28. *Deprehendas te oportet, antequam sanes.* Romana Ecclesia, nunquam aut se excutere, aut intercutaneum morbum cognoscere potuit. Imo quoties arguitur, se à vitiis ac nævis prærogativâ aliquâ immunem esse gloriatur; albisque dentibus ridet, à quibus maculæ alicujus insimulatur? quæ omnia tam infallibilia desperatæ valetudinis; & obdurati animi sunt πικρήεια, ut neque Galeni, neque Averrois, neque Paracelsi schola certiora optare possit. Apud Ioannem cap. 9, v. 41. Servator noster Pharisæis, & qui in eorum locum successere, toti repræsentativæ Ecclesiæ Romanæ, dicit: *Si cæci essetis, non haberetis peccatum; nunc verò dicitis videmus, itaque peccatum vestrum manet.* Nihil clarius, nihil apposite magis, in Romanam meretricem dici potest, manet illius peccatum, & manebit, ut perpetuò desperata sit. *Tertiò.* Gentilis Roma cum immersa quondam jaceret cæno scortationis, defendebat adhuc se cum argueretur & bilem stomachumque in censores evomebat. Vt venustè versibus suis significat Iuven. Sat. 6. ubi canit:

Sed jacet in servi complexibus, aut Equitis, dic,
Dic aliquem sodes hic Quintiliane colorem.
Hæremus. Dic ipsa. Olim convenerat, inquit,
Vt faceres tu quod velles; nec non ego possem.
Indulgere mihi; clames licet, & mare cælo
Confundas, homo sum: nihil est audacius illis
Deprensis, iram atque animos à crimine sumunt.

Eadem, eadem δὶς διὰ πασῶν, hoc est, *bis per omnia* modernæ Romæ facies est. Immersa jacet altissimo fimeto idololatriæ, & sordium. Cloaca, ac sentina, omnium vitiorum, omnium hæresium est. Nihil in ea sani, nihil integri est. Et tamen tam impudens, tam inverecunda existit, ut quotiescunque etiam arguatur, nunquam tamen interroget: *Quid feci, aut cur arguor?* Calumnias has esse clamabit Fromondus, cum fautoribus suis Iansenio, ac Loverio. Sed quando mecum expostulat, sciat quoque se cum suis antecessoribus, & Episcopis litigare, qui deploratam hanc urbis faciem in speculo mihi primitùs ostendêre. Ita enim Corn. Mussus Bipontinus Episcopus tom. 2. serm. 2. Domin. 5. Quadrag. proclamat: *Nomen Romanum,* inquit, *apud omnes nationes exosum est, & ipsa Ecclesia videte quæso quàm exiguo sit in precio, propter scandala, quæ audiuntur, videntur, tanguntur. Non jam loquor de inimicis, qui eam vocant Babylonem, infernum, meretricem; qui dicunt eam omnium errorum esse sentinam; sed de amicis loquor, qui gemunt, & in semetipsis suspirant quotidie, dicentes: ô civitas sancta, quomodo sic es profanata; ô civitas gloriosa, quomodo sic viluisti, sic contempta es, & neglecta!* Nec Mussus solus, sed & Espensæus, ita quiritatur. Postquam enim Romam *deformatissimam* vocasset, in hæc tandem verba in Epist. ad Titum pag. 79. præ stupore erumpit: *Et ubi,* ait, *sub sole major malorum omnium licentia, clamor, impuritas, ne dicam infamia, & impudentia? talis sanè ac tanta, ut nemo credat, nisi qui viderit; neget nemo, nisi qui non viderit.* Sed scio, dicet Censor, hæc mores spectare. Cæterum in doctrina non posse errare Romanam Ecclesiam, aut desperare. Subsistat ergo quæso aliquantisper: usquedum hoc probavero. Ex immenso autem errorum acervo, unum, eumque eminentissimum, Idololatriam nempe, seligo, & dico: *Ad desperationem non tantum vulgus pontificium idololatricum esse, sed & idololatriam doceri à præcipuis Romanæ Ecclesiæ Doctoribus.* Quod dico, probo I. ex cultu quem Papani deferunt Mariæ virgini. II. Imaginibus. III. Ex honore Crucis.

I. Quòd ad Mariam virginem benedictam, ea tam superstitiose in cæco Papatu colitur, ut non injuriâ Cassander magni nominis Pontificius in Consultat. art. 21. dicat: *Eo ventum est, ut Christus etiam jam in cælo regnans Matri subjiciatur.* Verum illud esse, tam clarè ostendam, ut cæci quoque videre queant. Illud principio

cipio fundamentum sterno, quod ut immobile etiam statuit Gregorius de Valentia Celeberrimus Iesuita in lib. de Idololat. nempe: *Idololatriam esse omnis generis orationem, quæ laudes continet divinitatis proprias.* Si ergo tantùm evicero Mariam invocari ut Deam, & orationibus divinitati propriis, certissimò probavero Idololatriam exerceri à Papanis in cultu Mariæ. Nolo verò jam Bernardini de Busio commentarium de Excellentiis Reginæ cæli, tantopere laudatum à Possevino in Apparatu Sacro tom. 1. lit. B. aut Psalterium Mariæ, falsò Bonaventuræ adjudicatum, in proscenium adducere. Recentiores tantùm ad testimonium vocabo, ut omnibus appareat Romam semper Romam fore, hoc est desperatè idololatricam.

Primo. Nomen tetragrammatum Iehovæ quod Triuni Deo peculiare est, Mariæ attribuunt. Ita enim Vega Iesuita Comment. in Apocal. 12. sect. 1. num. 9. *Tetragrammaton est nomen sacerrimæ virginis, nec hoc solùm, sed etiam suo modo ineffabile, non solum hominibus, verùm & ipsis Angelis.* Hinc & Salazar Iesuita comment. in Proverb. Salom. ad cap. 8, v. 19. Vocat eam *complementum Trinitatis.* Quid ergò mirum si Dea, & diva vocetur? Sic enim delirans, aut veriùs furibundus præ superstitionis fermento Lipsius Aspricollensem Virginem in Comm. cap. 5. alloquitur: *An sudas DEA sanguinem hoc ævo? de qua sacra profantur hanc fore quæ serpentis conteres caput improbi, Fecisti ô Dea.* Et denique post sexcenta somnia, inaniora iis quæ vidit Luciani gallus, sic ei accinit cap. ult.

Tunc tibi laudes Dea dicet omnis
Sexus, & ætas.

Secundò. Quia æquiparant eam Christo. Delrio Iesuita Comm. in Cant. cap. 1. Sect. 2. in hæc verba, *Et collum tuum*; ita loquitur: *Obedientia Mariæ similis facta est obedientiæ Christi, magna ergo in hoc laus Mariæ, magna ejus gloria, quod imitatio ejus gloriæ exæquatur obedientiæ Christi, quam imitatur.* Vega Ies. Comment. in Apocal. 12. sect. 2. num. 3. *Constituta quippe* (Maria) *est super omnem creaturam, & quicunque Iesu curvat genu, Matri quoque pronus supplicat: & filii gloriam cum Matre, non tam communem judico, quàm eandem.* Horatius Tursellinus Iesuita in Dedicatoria Epistola Virginis Lauretanæ ad Cardinalem Aldobrandinum: *Virgo*, inquit, *Maria salute undique juncta, periculis expedire, vitam veris, & salutaribus bonis cumulare, & vult, & potest. Matrem quippe suam omnipotens Deus divinæ potestatis, & majestatis sociam* (quatenus licuit) *ascivit. Quatenus* autem illud, sic postea ibidem limitat: *Huic*, inquit, *olim cælestium, mortaliumque principatum detulit: ad hujus arbitrium (quoad hominum tutela postulat) terras, mare, cælum, naturamque totam moderatur: hac annuente, & per hanc divinos thesauros mortalibus, & cælestia dona largitur.* Ozorius Iesuita tom. 4. Concion. de Devotione Mar. Virg. parag. *Assimulatur. Caput*, inquit, *est Christus, Maria collum: quia omnis influxus à capite per collum derivatur.*

Tertiò, Parũ adhuc foret si Christo æqualis esset Maria, eam illi præferunt cæci Doctores: docentque relicto Christo, mox cuniculo ad eam confugiendum esse. Sic enim Salazar Iesuita comm. in cap. VIII. Prov. 5. v. 18. *Satis imprudenter, ne dicam temerarie agit, qui statum, seu rationem vitæ electurus, inter multas vitæ conditiones, quasi inter plures vias transversas constitutus, non statim Mariam invocat, ut ab ea discat quamnam ingrediatur. Nam quemadmodum veteres in Triviis Dianæ, seu Hecatis simulachrum erigere solent, &c. Ad eundem modum Deus Opt. Max. in intellectualibus illis, dissimilium vitæ rationum triviis, Mariam statuit, ut cuique eam denunciet, ostendatque viam, quæ illum in patriam suam, hoc est, cælum inferat.* Et cur non? Vt enim Ozorius Ies. dicit tom. 3. Conc. in Assumpt. 5. Bartholomæi. §. *Quid ergo. Dubitant*, inquit, *aliqui, an Maria adeo bona mater Christi dici debeat, ac bonus est pater æternus.* Et hac de causa quoque hanc coronidem Iesuita Gregorius de Valentia imposuit opusculo de Satisfactione, *Gloria Deo, & B. Virgini Mariæ Dominæ nostræ, Item Iesu Christo.* Sic & Bellarm. lib. 3. de cultu Sanctor. in fine impresso Lugduni, *Laus Deo, Virginique Matri Mariæ, Deo item Iesu Christo, æterno Dei filio.* Benedicto nostro Servatore velut claudicante equo, post matris tergum propulso. Liber scribendus foret, si rosaria, missalia, breviaria, & officia excuterem. Liquet ex paucis his testimoniis

ſtimoniis deſperata Papatus turpitudo. Experire, Fromonde, an lixivio aliquo maculam hanc, & dedecus, quo integerrimam virginem Matrem afficitis, eluere poſſis.

II. Accedo ad imagines, in quibus honorandis craſſiorem Idololatriam vulgus Papanum committit, quàm qui inter gentiles in obſcuriſſimis tenebris errarunt. Scio Bellarminum non ſine ſtomacho dicere in præfat. lib. de Beat. Sanctis: *Quis Catholicorum divinum honorem Imaginibus unquam detulit?* Sed tantum verba ſunt: reclamat praxis, reclamant doctores, reclamat ipſe Bellarminus. Ita enim Polydorus Virgilius lib. 6. de Invent. cap. 13. *Sunt,* inquit, *bene multi rudiores, ſtupidioreſque, qui imagines colunt, non ut figuras, ſed perinde quaſi ipſæ aliquem ſenſum habeant, magiſque iis credant, quàm Chriſto.* Et Corn. Agrippa lib. de Vanitate cap. 57. *Dici non poteſt quanta idololatria apud rudem populum alatur per imagines.* Belle verò hoc convenit opinioni multorum Doctorum. Aſorius Ieſ. lib. 9. Inſtit. cap. 6. §. *Tota hæc. Conſtans*, inquit, *eſt Theologorum ſententia imaginem eodem honore, & cultu coli, quo colitur id cujus eſt imago.* Item Vaſquez lib. 2. de Adorat. Diſput. 8. cap. 3. *Veteres*, ait, *Scholaſtici abſolutè dicunt, imagines Chriſti eſſe colendas adoratione latriæ: Eadem fuit opinio Thomæ.* Et ibid. paulo poſt: *Si loquamur de imaginibus in actu exercito, ut notat Cajetanus, quæ nihil aliud ſunt, quàm exemplaria in imaginibus, nemo dubitabit aſſerere, tribuendam eſſe eis latriam in ſpiritu, & veritate.* Non ignoro Bellarminum & Suarez, acriter hanc Vaſquez opinionem oppugnare: ſed ita, ut probent manifeſtius ſe idololatras eſſe. Ita quippe Bellarm. lib. 2. ad Eccl. Triumph. cap. 2. in princ. *Sit*, inquit, *hæc noſtra propoſitio: Imagines Chriſti, & Sanctorum venerandæ ſunt, non ſolùm per accidens, vel impropriè, verum etiam propriè; ita ut terminetur adoratio in imagine, non ſolùm ut vicem gerit exemplarium.* Similia occurrunt apud Suarezium Diſp. 54. ſect. 4. ad quæſt. 25. art. 3. Vt ut ſit, ſive imago adoretur & colatur per ſe tanquam *objectum quod*, ut vult Suarez & Bellarminus, ſive ſolùm *ut exemplar* ſecundum Vaſquez: nihilominus Papani non tantum in quotidiana praxi idololatriam exercent, ſed etiam docent. Veriſſimum enim illud Auguſtini oraculum eſt lib. 1. de Trin. cap. 6. *Idololatræ dicuntur, qui ſimulachris eam ſervitutem exhibent, quæ debetur Deo.* Intende ingenium, Fromonde, age, molire omnia, nec minutos tantum Coſteri, Becani, Tiletani, & ſimilium vulgarium ſcriptorum libellos, ſed grandia illa Bellarmini, Suarez, Vaſquez, ac Gretzeri volumina evolvito, & ſi in hac controverſia litem inter Doctores veſtros componere, & Eccleſiam ab Idololatriæ crimine aſſerere poſſis, digniſſimum te rubro galero judicabo.

III. Supereſt, ut probem ςαυρολατρείαν exercere & docere Papanos. Facio autem illud expeditiſſimè. Nota ſunt Thomæ Aquin. verba part. 3. quæſt. 25. artic. 4. *Illi*, inquit, *exhibemus λατρείας cultum, in quo ſpem ſalutis ponimus. Sed in cruce Chriſti ponimus ſpem ſalutis. Cantat enim Eccleſia: O crux ave ſpes unica, Hoc paſſionis tempore, Auge piis juſtitiam, Reiſque dona veniam. Ergo crux Chriſti, eſt adoranda adoratione λατρείας.* Eſt vero *Latria*, ſecundum Auguſtinum epiſt. 42. *Illa religionis ſervitus, quæ uni & ſoli Deo debetur.* Quis audivit, quis legit unquam, de craſſiore idolomania? Fruſtum lapidis, aut ligni honoratur, ut infinitus Deus. Scio conari Iebuſitas ſtultitiam hanc rhetoricis pigmentis colorare, ſed fruſtra ſunt. Proclamat contra eorum hypocriſin Ioannes Chryſoſtomus Profeſſor Ciſterzienſis tomo 1. de verbis Dominæ Mariæ inſcripto Clementi VIII. lib. 6. cap. 7. ſub finem: *Ipſam crucem alloquimur, & deprecamur, quaſi ipſum crucifixum, & in ipſa ſpem ſalutis ponimus.* Iudicate omnes pii, judicate quæſo, an non *chalybea, & ferrea* (Ierem. 6. v. 28.) ac deſperatiſſima Roma ſit, quæ hæc permittit, & tolerat. Scio vos omnes juxta mecum ita cenſere. Sannioni Fromondo cynicum ſpaſmum voveo, ſi nolit alterutrum facere, aut fateri Eccleſiam ſuam deſperatam eſſe, aut idololatriæ ejus patrocinari. Evolvat Bellarminum, Vaſquez, Suarez, Valentiam, Sanderum: ungues arrodat, caput ſcabat, pluteum cædat, nunquam idololatriæ ſordes eluet. Si autem vir & profeſſor haberi velit, de cultu Mariæ, imaginum, & crucis diſputet: nos ξὺν Θεῷ, cum Lentulo ſuram.

Quartò eſt & alia ratio, quare Papatus cauſa

B deſpe-

desperata sit: contra quam neque Iansenius, neque Fromondus, etiamsi ipsâ impudentiâ impudentior sit, vel hiscere potest. Primæ classis DD. & viri docti, magnique inter Papanos nominis ita censent, ita judicant. Vt enim prætercam Franc. à Victoria qui jam suâ ætate, ante Lutheri tempora Relect. 4. prop. 23. ingenuè confessus est, *Ecclesiam nec mala sua, nec remedia ferre posse.* Desperatio hinc manifestissimè apparet. Multi reformationem suasere, & aggressi sunt, non tantùm in moribus, sed doctrina quoque, & non ulterius tamen processere quàm si Sisyphi saxum volvissent. Ita Cardinales Contarenus, Sadoletus, Polus & reliqui septem, ad Paulum III. de emendanda Ecclesia scripsere: Cardinalis Quignonius hortatu Clementis VII. breviarium Romanum immutavit: Pius V. Papa Missale, & breviarium castigavit: Gregorius XIII. teste Possevino Biblioth. select. lib. 1. cap. 10. undique convocavit Iesuitas ad reformanda studia, & conciliandas dissonas opiniones: Imo Sixtus V. adulteria, quæ aliàs levioribus criminibus accenseri solent (teste Cicarella de ejus Virt.) sub capitis pœna prohibuit. At qualia, & quanta hæc? Certissima quidem morbi indicia, at vix levia medicinæ & reformationis specimina. Non ego solùm tam sinistrè auguror, sed alii, & quidem magni in Papatu Theologi. Cassander lib. de Offic. pii viri. *In iis*, inquit, *qui Ecclesiæ gubernatores, & propugnatores haberi volunt, illud improbandum existimo, quòd morbum nullum agnoscunt; & quod huic consequens est, remedia nulla admittunt: immo de correctione admonentes, & ad curationem adhortantes, operam suam ad id efficiendum offerentes, non modò rejiciunt, & ab Ecclesiæ societate depellunt, verùm etiam multis in locis crudeliter interficiendos censuerunt.* Nec sic solus Cassander indicat, sed etiam Claudius Espensæus celeberrimus Theologus. Ita enim in Comment. ad cap. 1. epist. Titi p. 75. dicit: *Tot annis nihil mutatur, nihil emendatur, & omnis reformandi spes inde abrupta, species ablata, quod reliquum Ecclesiæ corpus reformatum velint, qui tam multis annorum centenariis urbem, in qua merum & mixtum imperium habent, deformatissimam reliquerunt.* I nunc, Fromondi, & dicito: *Causa Ecclesiæ Catholicæ desperata esse non potest.*

Quintò. Arguunt præcedentia abundè satis desperatum septicipis monstri statum. Quis desperatus, quis æger, quis undiquaque miser magis est, quàm qui phrenesi, apoplexiâ, ulceribus, & scabie uno eodemque tempore laborat? Nec tantùm laborat, sed omnes etiam medicos, omnia remedia, omnia pharmaca respuit, & ridet, ac sub extremum decretoriæ horæ punctum, cum amici planctu & lacrymis omnia miscent, bene se valere, nec ægrotare posse, gloriatur. Tali ægro similis per omnia Romana Ecclesiâ est. Præ doloribus, ac morbis jam diu obbrutuit. Misera hilum nec sapit, nec sentit. Clamore, & furore solo à cadavere distat. Vtrumque non in angulo, aut cella aliqua, sed in publico orbis theatro, in Conciliabulo Tridentino, in umbilico Germaniæ, & Latii patefecit. In Concilio, dico, desperabunda Roma, desperatissimam se esse ostendit. Convitiis & minis Concilium flagitabant à Papis Carolus V. & Ferdinandus Cæsares: uterque ad reformandam Ecclesiam, & tollendos abusus, quos simonia, & libido Cleri excitaverat; avaritia verò, ac fastus Pontificum comprobaverat. Favebant eodem tempore iis impensè Germania, & Gallia, nec non omnes boni, ac pii. Imo ipse Adrianus VI. popularis meus. Nihil tamen effectum est, aut precibus, aut conciliis, aut minis. Inferior erat Roma remediis. Bonus Adrianus submotus est primò boleto, dein Clemens VII. & postea Paulus III. ex vulpe & leone conflatus, homo surrogatus est. Per eum Cæsar tum promissis, tum bellis, tum fraudibus ordinariis Romanæ curiæ artibus circumventus est: concilium exclusum Germaniâ, circumscripta suffragiorum libertas, sepulta reformatio, submota legitima procedendi ratio est. Non Sisyphus, non Vlysses tot dolos, tot fallacias excogitavit, ac veterator ille. Dicerem ipsum diabolum ab ipso fallere, ac mentiri discere. Modò indicit Concilium, modò abrogat: nunc Bononiam, nunc Tridentum, tum iterum Bononiam partes convocat. Tentat, explorat, excutit eos, haud secus ac si sicarii fuissent. Ita verebatur, ne qui ex iis Reformationem urgerent. In mille gyros se vertere, definitos conventus dies protrahere, cujusque sententiam explorare, antequam

in suffragium eatur, reluctantes aut minis, aut præmiis à sententia dimovere, canones ambiguis & obscuris verbis concipere, Spir. Sanctum plumbeo pyxidio includere, ac ad quemque per expeditos cursores Româ Tridentum mittere, quotidiana & perpetua ei sollicitudo erat. Iulius III. qui postea eum secutus est, per omnia iisdem armis, ac artibus pro stabilienda hierarchia, & amolienda Reformatione certavit: telamque tanto artificio,& diligentiâ exorsam,pertexuisset,ni fata eam gloriam Pio IV. destinassent. Cui etenim major, quàm reliquis omnibus laus debetur. Cum summis enim difficultatibus, & quæ non nisi maxima cum difficultate expediri potuere, luctatus est. Legati Ferdinandi, & Cardinalis Lotharingus orator regis Galliarum, cum viderent ad finem vergere Concilium,nihilque adhuc actum esse,Reformationem, aliqualem saltem, quotidianis conviciis efflagitabant. regebant idem plerique Patres, Episcopi, & Monachi: imo quod quis miretur ex Hispanis Episcopus Conimbricensis, ac ex Hungaria Episcopus Quinqueeclesiensis. Nonnulli eô usque progrediebantur: ut publicè & in ipso Concilio, versipellem,stellionem, ac impostorem Pontificem inclamarent. Quid ad hæc vero durus ille pater. Instar rupis inconcussus, ac immobilis constitit. Convitia,minas, ac calumnias flocci pependit. Promissis,beneficiis,ac præmiis demulsit adversantes,ac tamdiu multa se reformare fingit,donec simul ad plaudite fabula, ac ad coronidem Concilium perductum foret. Qui penitius Histrioniam hanc cognoscere cupit, adeat is quæso Historiam Concilii Tridentini summâ fide conscriptam à Petro Suavi,hoc est,F. Paulo Servita: & ni prorsus bliteus sit, cognoscet causam Papatus, quæ desperata erat ante Concilium, desperatissimam fuisse relictam ab eo. Non inficias eo, jactari à Papicolis,multa à venerabili Synodo reformata esse, sed quæ, ac qualia ea sint, adduci nunquam possunt,ut dicant. Ingenuè Espensæus in Comm. ad Titum profitetur: *Tertiò congregatum Tridenti Concilium sub Pio IV. adeo Romanam curiam repurgari sibi non permisisse, ut etiam quæcunque de morum Reformatione, & disciplina Ecclesiastica inferioribus præscripserit, in his salvam esse semper sedis Apostolicæ authoritatem, & intelligi declaraverit.* Dein addit; *Novemviros Cardinales* (à Paulo III. delectos) *prælatorum tunc doctissimo, agnovisse ferè nimium collapsam Ecclesiam, abusibus, & morbis plurimis laborantem, & præsertim Romanam curiam, sic ut eis paulatim, ac sensim ingravescentibus,magnam hanc, quam videmus,ruinam traxerint. Et maculas illos quidem ostendisse tantùm,non etiam abstulisse,adeo plures esse,quam quas tum attigerunt, non diffitentes,ut Christi nomen à Clericis, nedum à gentibus oblitum,ad Concilii finem disertè dicerent, & in nostris cordibus restitutum iri à Paulo consultore, plus optarent, quàm sperarent.* Nunquid adhuc,Fromonde,vides *plagam*,Ecclesiæ tuæ,*esse mortiferam,eò quòd curari renuit.* Ierem. 15. vers. 18.

Sextò. Omissis verò quinque præcedentibus rationibus, quas nunquam declamator diluet,una est,quę imprimis movit Voetium,cur responsionem contra Iansenii Spongiam *Desperatam Papatus Causam* inscriberet. Veritas semper sibi similis est: nunquam latebras,nunquam strophas, nunquam diverticula captat. Cubus est, quôcunque cadit, immota quiescit. Papatus contra assiduò vacillat,& trepidat. Rimis, ac fenestris undique hiat. Mendaci tectorio indiget. Succumbit semper, si aperto Marte cum Catholica Ecclesia certet. Stratagematis, & artibus solummodo utcunque stabilitur. Hinc pugnæ rationem mutare sæpe, & novas insidias excogitare compellitur. Doli enim non sunt doli, nisi tecti sint. Mentiri, ac cornicari me dices, Fromonde. Sed provoco te ad historiam, & rerum gestarum lucem. Initiò cum fortissimus athleta Martinus Lutherus, ringentibus Papis & diabolis omnibus, gladio Spir. Sancti aggrederetur Babylonis mœnia, certatim monachi, & pseudoclerici, nec non Lovanienses tui, sacræ ignorantiæ sacerdotes ex antris, & latibulis suis velut muscæ Beelsebub provolabant, arma armis, & tela telis opponere molientes. Dulce quippe bellum inexpertis erat. Volupe erat videre otiosos,& crassos fraterculos cum calvis, & canis capitibus, velut novitios studiosos, Scripturam, quam ante æque ac Thalmud ignoraverant,perreptare, & in ea argumenta,velut in montibus ostrea,conquirere ad unum miserum monachum. Crassus,

ſus, aut Cato quis riſu fuiſſet mortuus, ſi vidiſſet, ebrioſos, ſaturos, & quaſſabundos ſocios, in refectorio, & cella ſua pugnis, oculis, capite, & barbara lingua, Lutherum ad diſputationem, & colloquium provocantes. Exiſtimabant boni ventres antagoniſtam ſibi ſimilem, & Doctorem eſſe decem aut undecim tantùm Latinorum vocabulorum. Sed decepti ſunt plurimùm. Poſt varias enim provocationes Anno 1518. comparet Lutherus Auguſtæ Vindelicorum coram Cardinali Cajetano, Scholaſticorum eâ ætate principe. Quid fit? oppugnatur pauper monachus ſophiſmatis, humanis rationibus, & minis: ſubſiſtit verò per Dei clementiam invictus. Inſiſtebat enim fundamento Apoſtolorum, & Prophetarum, quod concuti, nedum everti poteſt. Poſtea tum ipſe, tum ejus collegæ in negotio Reformationis diſcipuli *Melanthon, Caroloſtadius, Iacobus Andreæ*, nec non *Zuinglius, Oecolampadius, Bucerus, Martyr, Beza*, &c. *Lipſiæ, Badenis, Bernæ, Ratisbonæ, VVormatiæ, Oxonii, Londini, Poſsiaci*, &c. cum *Eccio, Cochlæo, Iſlebio, Malvenda, Iulio Pflugio, Gardinero, Hardingo*, ſimilibuſque heroibus congreſſi ſunt, ſed pari felicitate ſemper, & ubique victoriam obtinuere. Vt ſilentio ſuo abunde tui Pontificii teſtantur. Vnum ſolum Cochlæi mendacium de Luthero, jam millies à noſtris everſum & detectum proferre poſſunt, quaſi in colloquio Lipſienſi exclamaſſet, *Cauſam religionis nec propter Deum eſſe inceptam, nec propter Deum eſſe finiendam*. Altum alias de colloquiis jam nominatis apud omnes eſt ſilentium. Cladium quippe ſunt memores, & pœnitet cum Phrygibus veſaniæ. Vt enim ingenuè confitetur Pichius lib. 1. Eccl. Hierarch. cap. 4. *Dum oſtentandi ingenii, & eruditionis gratiâ, cum Luthero in certamen deſcenditur Scripturarum, excitatum eſt hoc, quod proh dolor! videmus incendium*. Ad δεύτερον ergo πλοῦν confugit Papatus, & ex Traditionibus, Patribus, ac Conciliis à ſubſequentibus Goliathis oppugnati ſumus, non tamen, per Dei benevolentiam, proſtrati. Occurrerunt ſtrenuè Eccleſiarum noſtrarum duces; *Oecolampadius, Martyr, Calvinus, Melanthon, Beza, Kemnitius, Hemmingius, VVittakerus, Danæus, Iuellus, Rainoldus, Marnixius, Zanchius, Toſſanus*, Sadeel, *Iunius, Nobiliſs. Pleſſæus, Chamierus, Caſaubonus, Cl. Rivetus*, & *Cl. Molinæus*, tumidoſque & ſupinos Thraſones *Duræum, Campianum, Hardingum, Stapletonum, Bellarminum, Baronium, Valentiam, Sanderum, Bailium*, & *Perronum* ita proſtrarunt, ut nemo hactenus, præter *Gretzerum, Becanum* ſimileſque ranas, quæ coaxando ſemet enecant, eos in integrum reſtituere laboraverit. In aliud ergo aſylum conſilio *Card. Perroni* ægra, & ſaucia Eccleſia confugit. Omiſſis aliis rationibus, & machinis, hoc tantùm egit, quo pacto Anteceſſores noſtros ratione ſpoliare, & in oves aut boves transformare poſſet, ut ſi non de hominibus ſaltem de pecudibus triumpharet. In quem enim alium finem putamus, ſecundum Cardinalis Conſilium, Ieſuitas *Gunterium*, & *Verronum* cum Hugenottis (ut vulgò vocantur) ita in Galliis congredi voluiſſe, ut illis ſolis imponerent partes probandi ex claris, ac expreſſis ſacræ Scripturæ locis, ſibi verò oppugnandi, & vellicandi tantùm: niſi quòd Spiritum Sanctum in ordinem ſe cogere, & Logicam totamque ratiocinandi artem ſe è mundo tollere poſſe ſomniarent? Aut quo fine *Arnoldus* Ieſuita illud conſilium diſputaturis diſputaſſet. I. *Vt nihil ipſi probarent, aut reſponderent*. II. *Vt adverſarios ad reſpondendum, & probandum conſtringerent*. Niſi quòd ſciret & expertus eſſet conclamatam eſſe cauſam ſuam, nec aliter eam poſſe ventilari, quàm apud mutos, & ſurdos, qui ad convitia, quæ dicuntur verbo reſpondere non poſſunt. Sed exploſum eſt citò brutum, & ſtultum hoc conſilium, imo antè quàm architectis de praxi conſtaret. Vnde nec eo quamvis calido adhuc contra Sylvæ-Ducenſes miniſtellos uti ſuſtinuit Corn. Ianſenius. Sed aliud fabricare debuit, antequam in arenam deſcendere auderet. Et poſt longa molimina, ac varia tentamina, novum tandem Achillem de Vocatione, & Succeſſione miniſtrorum contexuit: Duabuſque interrogationibus, ut perſuadet ſibi, remotiùs fugavit hæreticos, quàm Elephantinis ſuis libris omnes ante eum Doctores, & Cardinales. Injuſtum etenim Patrem Vrbanum! cur lepidiſſimo meo Leerdamenſi vicino, delicillo illi Gneſiorum, pro mitrâ, rubrum galerum non impoſuiſti? Ille quinque verbis

non

non minora miracula patrat, quàm illi qui quotidie, per suum, *Hoc est enim corpus meum,* fætulento gutture eructatum, creatorem suum, ex panis spuma ineffabili stultitiæ modo, creant. Scribant alii sudante cerebro controversias: ipse tantùm inflatis buccis quæret: *Qui estis, & unde venistis?* Enimvero si omnes homines ita insanirent, ut de Hæreticis somniat bonus Corn. Ioannis, intra biennium plura trophæa, quàm Hercules, erigerem. Provocarem decem, duodecim, pluresve ad duellum: ipse verò inermis, ac nudus in arenam descenderem, ac quando concurrendum esset, elato supercilio, ac manu, *Qui estis, & unde venistis?* quærerem? qui si è vestigio bullam Papæ, quâ ordinati essent ad pugnandum mecum, non possent ostendere, epinicion & iò Pæan canerem. Sed haud sperare audeo tam opimam citra pulverem victoriam: & nihilò fæliciùs hæc argutia mihi succederet, quàm successit Leerdamensi retiario. Qui jam non rete tantùm, sed tridentem quoque quo Voetium se confossurum esse credebat, in angulum Lovaniensis collegii abjecit, & ita Episcopali pallio caput obvolvit, ut illius nihil, præter extremos vertices *desidis mitræ* (sic vocat Val. Flacc. l. 5. Argon.) conspiciatur: causamque Papatus, quam desperatam invenerat, desperatam reliquit, lampade ineptiendi Lovaniensi catello traditâ. Liberto nempe Fromondo, qui tam sedulò, & cordatè per sesquiannum laboravit, ut in *Crisi* sua, & novi quid, & rari inveniret, quòd Romanæ Ecclesiæ desperationem desperatissimam argueret, ut non videam quo hostimento ejus diligentia, ac subtilitas compensari possint. Qui huc usque in Hæreticos scripsere, desperatam solum causam prodidere. Libertino Fromondo, quia in superlativo gradu, eam desperatissimam esse apodicticè ostendit, in superlativo quoque numero, hoc est usque ad nauseam, nummi, & honores debentur. Sat scio, Censorem, ubi hæc legerit, locos suos communes, & plaustra convitiorum, in caput meum exoneraturum. Sed omnes quibuscunque ingenii gutta, ac salis superest, rogo atque obsecro, ut sine præjudicio judicent, an non sit certissimum illud judicium desperatissimæ causæ, quòd nullis argumentis, responsionibus, aut rationibus, sed meris tantùm coccysmis, calumniis, & streperis, undabundisque λόγοις (ut à Fromondo in *Crisi* factum est) incrustari possit? Voetius omnia Iansenii argumenta, non unâ solùm, sed sæpe tribus, quatuor, aut pluribus responsionibus in *Desperata* sua *Causa* diluit. Fromondus contra, quòd ingenui disputatoris est, ne unam replicam aut ἔνστασιν quidem, in tota *Crisi* adferre potuit: & tamen putavit se vellicando hinc inde aut probationem, aut citationem quam, & ad tædium Lectorum novo verborum schemate exarmata Iansenii argumenta repetendo, Voetium & hæreticos omnes ad desperationem, Iansenium autem antiquum congerronem in integrum restitutum esse? *Quid non speremus amantes?* Iudicate quæso, Lectores, & quidem sine præjudicio. Te verò, Fromonde, qui ita male metuis, ne desperabunda tua Ecclesia, aliquando

Abrumpat stolidæ regalia tempora vitæ.

Etiam atque etiam hortor, ac moneo, ut primo quoque die Romam excurras, sanctissimumque Patrem roges, ut omnibus Prælatis, Doctoribus, Monachis, Iesuitis, Sacerdotibus, Sacellanis, & toti genti locustarum severè per plumbum, & Piscatoris annulum edicat ne unquam, aut cum Hæreticis disputent, aut contra eos scribant: & si quando rideantur, dicant solummodo (quod dicere solent tui Pseudo-Catholici hic Vltrajecti, quoties ad disputandum invitantur) non licere per Romani Dei legem, & veritatem Catholicæ Ecclesiæ satis superque confirmatam esse, nec opus esse ultra disquisitione quâ. Ita sanè, Domine Doctor, fiet miraculum, desperatissimus manebit Papatus, & nunquam tamen morietur.

III. Et hæc quidem de causis inscriptionis Voetiani libri, quas in medium attulissem nunquam, ni impudentissima Censoris jactantia coëgisset. Qui dein p. 4. æquè insulse de laudibus Catholicæ suæ Helenæ cornicatur: *Portæ, inquit, Inferi, id est, portis inferi effusa dæmonum multitudo, aut de fumo putei, exeuntes in terram locustæ, id est, dæmonum auxiliares hæretici, non prævalebunt adversus eam.* O cæcitatem, & dementiam! Quod Servator noster Math. 16. de Ecclesia Catholica, & universali perma-

nente in fide, & doctrina, quam professus erat Petrus, dicit: trahitur ad conciliabulum Romanum, ulceribus & scabie diffluens, quique illud repræsentat, Papam Romanum. Quoties non nostri Theologi, ex Patribus, ad quos in Papam mox, ubi parum tantùm juvant, provocari solet, verum hujus loci sensum judicarunt? Nemo tamen eum, aut videre, aut animadvertere potest, quia *omnes sunt mente corrupti, & reprobi circa fidem.* 2 Tim. 3, vers. 8. Ne autem exemplo Fromondi rem actam agam, & responsionibus Doctorum nostrorum ad hunc locum, quæ ex sexcentis eorum scriptis, & tractatibus peti possunt, chartam commaculem: eum, omnesque Pontificios, quicunque tandem sunt, ex animo rogo & obtestor, ut tria saltem loca, probæ notæ, ex Patribus, qui intra sexcentesimum annum à nativitate Servatoris nostri vixere, mihi laudent, in quibus locus hic decantatissimus, de solo Papa exponatur. Si quis ea mihi ostenderit, tradam arcem antiquitatis, & strenuissimus in posterum Papæ antagonista ero. Evolvito, Fromonde, Baronium, Bellarminum, Costerum, Becanum, & Thesaurum illum Coccii (in quo quia plerosque Patres citatos vides, te etiam legisse somnias) evolvito, inquam, à capite ad calcem, & si tria duntaxat, qualia flagito, ostenderis, fidem quam dedi, præstabo, & tuus ero. Interea dum quærendo te emaceras, locum, de quo loquimur, interpretabor cum Leone Episcopo Sermone 2. & 3. de Petro: *Soliditas*, inquit, *illius fidei, quæ in Apostolorum principe est laudata, perpetua est. Hæc fides diabolum vincit, portæque inferni adversus eam prævalere non possunt.* Miror verò, quomodo tu homo tam audacter dicere ausis, Hæreticos non prævalituros contra Ecclesiam tuam? Quis Doctori tibi credat. Enimvero quicquid tu, aut alius quis sive Iesuita, sive Monachus, sive Sacerdos ut ut doctus, de qua quæstione, aut controversiâ, aut dicat, aut scribat, nemo illud ex omnibus Pseudo-Catholicis aut credere, aut certo assensu amplecti potest. Addo quid amplius: ne ipse quidem qui id dicit, aut scribit, si non sit Episcopus, credere debet. Scio, mentiri me clamabis, Fromonde. Sed bona verba! non mea hæc opinio, sed magni inter vos Theologi, Thomæ Stapletoni est. Is ita è tripode profatur de princip. Controv. 6. lib. 10, cap. 11. *Consultius*, inquit, *faciunt, qui in causa fidei, Episcopum, & si non perinde doctum, in quæstione fidei consulunt: quàm qui Doctorem Theologum, quamvis in re Theologica plurimùm versatum, nisi hunc ita consulant, ut hujus judicium Episcopi judicio subjiciant.* Intende hic vires stultæ tuæ sapientiæ, Fromonde. Doce me, aut occultos inter nos oberrare Episcopos, qui authoritate probent, fabellas quę ab indoctis erronibus, & famelicis sacrificulis Pseudo-Catholicis narrantur, aut ingenuè confitere errasse Stapletonum, omnesque Censores, qui librum ejus probarunt. Si alterutrum non facias: in hoc Stapletoni axioma commentarium scribam, eumque dedicabo opulentioribus, inter nos Catholicis caudatis, iis scilicet, ex quibus annuum tributum cogere soletis.

IV. Post jactantiam facere non potuit, Censor, quin ineptiarum & ignorantiæ specimen ederet. Vara semper vibiam sequitur. *Si*, inquit, p. 8. *Mundus per aliquot seculorum ætates adhuc decurrat, Lutherus, Zuinglius, Calvinus, quòd hodie nobis Arius, Manichæus* (Manes credo voluit dicere) *Pelagius, id est, nomina tantùm, & præteritorum seculorum maculæ erunt*, &c. Bella etenim rhetoricatio, quod eo saltem conducit, ut absolvamur à Manichaismo, quem pag. 200. insulsè nobis affricare laborat. *Arrius*, inquit, *nomen tantùm est.* Rectè, blandulæ illæ animæ Iansenius, & Fromondus post cineres inania quoque nomina erunt. Videat autem Criticus, quando grandiloquentiâ suâ omnem Arrii memoriam everrit, ne offendat R. D. Martinum Smiglerium, qui ante annos haud ita multos evulgavit *Nova Monstra Novi Arrianismi.* Nescio quoque an Dominicani concessuri sint inter Iesuitas nihil Pelagii præter nomen superesse. Qui unum Bannem in Thomam legit, ignorare non potest, Iesuitas, & cum iis Lovaniensem Academiam, Pelagianismi, aut saltem Semi-Pelagianismi ream esse. Rogo verò, Fromonde, ut patres Societatis Suiticæ vindices à criminationibus Defensoris Aurelii, qui intrepidè pag. 150. hac criminatione eos incessit: *Dici potest de omnibus doctrinæ Molinisticæ sequacibus, eos plus hominibus studere,*

dere, quàm Deo; & hominum gratiæ, quàm divinæ servire, cùm in re omnium maxima, & in negotio Christi gravissimo, in gratiæ operibus, & hominum salute priores longè partes, & absolutam invictamque efficacitatem, hominibus tribuere malint, quàm Deo, & gratiæ ejus.

V. Denique sarcasmis, & asininâ jactantiâ primam hanc invectivam obsignat. Coaxationes quas de Frederico Palatino τῷ ἐν τοῖς μακαρίταις, & Bello Germanico cumulat, verbo non diluo. Stulto secundum stultitiam non semper respondendum est. Quod verò de pseudo-propheticis libellis à tenebrionibus de futuro bellorum eventu spargi solitis, blaterat, sat scio, reticuisset, si intelligere potuisset divinum illud γνῶθι σεαυτόν, *nosce te ipsum*: quod tam superbè Voetio inculcat. Scimus, quæ prophetiæ sparsæ fuerint, per Hispaniam, & quæ ei servit, Belgicam, cum propugnaculum Schenckianum clericali proditione antè tentatum, primò à vobis occupatum esset, & quomodo Papa Romæ, quasi jam totum Belgium pene tributarium esset factum, totum diem per occultos canales popello rubellum profuderit. Ecclesias nostras variis locis, ab Antichristi satellitibus premi agnoscimus. Sed humanè magis, quàm fortè credat Fromondus, ferimus. Edocti sumus è verbo Dei: *Tempus esse ut judicium incipiat à domo Dei.* 1 Pet. 4. vers. 17. Et *hominem illum peccati consumendum esse Spiritu oris Domini.* 2 Thess. 2. vers. 3. 8. Horamque aliquando adventuram, quâ læti cantabimus: *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, & facta est domicilium Dæmoniorum.* Apocal. 18. vers. 2.

CAPVT III.

Voetius solidissimè respondit Iansenio. Defensa illius DESPERATA CAVSA PAPATVS. *Iansenius in* SPONGIA *loquax magis, quàm eloquens est.*

I. Astydamam Marsimi filium, cùm ob feliciter actam tragœdiam ab Atheniensibus jus statuæ impetrasset, irrisum, ac rejectum fuisse legimus, propter arrogantissimum Epigramma, quod basi inscripserat. Astydamæ tam similis Fromondus est, ut non ovum ovo magis. Ex quo enim à desidioso Iansenio jus in Voetium debacchandi impetravit, ita supercilium sustulit, ut hominem se esse oblitus fuerit: omnemque philosophandi, & solidè disputandi curam abjecerit, ut eò securius projiceret

— Ampullas, & sesquipedalia verba.

Simillimus prorsus catellis Melitæis, quæ nobilibus matronis in deliciis esse solent. Latratu solùm petit Voetium, invadere, aut mordere nullibi audet. Specimen quæso, Lector, vide cap. 2. Crisios. Quot non pelves, quot non citerias lingulaca pulsat, ut persuadeat bonis suis Catholicis, nihil aut aliud à Voetio contra Iansenium esse actum. Clamat, strepit, tumultuatur, furit; & nihil tamen probat in toto capite. Imo ne in tota quidem *Crisi* ullum aut argumentum, aut responsionem Voetii legitimè, ac nervosè exarmat. Pythagoricus quis juraret Libanii sophistæ animam (de quo Vrsus in vita Basilii Magni testatur, quòd *protendere soleret verbositates rhetoricas*) in alto hominis corpore habitare. Ita ὡς τὰ κρόταλα λάλος est, & nisi me fallit conjectura, linguam, ut omnes (teste Luciano) garruli, prope radicem perforatam habet. Non ita, cum Deo, Gratias & Musas iratas habeo, ut non possim Δωδωναῖον χαλκεῖον θρυλεῖν, hoc est, *Strepere contra Dodonæum ahenum.* Sed memor sum, quod pueris nobis in Schola ex Catone præceptor occinere solet:

Contra verbosum noli contendere verbis.

Nec invideo Fromondo, ut inter suos Lovanienses, & in aula Iprensis Episcopi audiat

λαλεῖν ἄριστος, κ' ἀδυνατώτατος λέγειν.

hoc est:

loqui quidem doctus, ineptus verò ad dicendum.

II. Sanguinem sophista sudat, ut ab una parte enervet Voetii desperatam *Causam*, ab altera verò roboret Iansenii *Spongiam*. Quid Voetius præstiterit Iansenius, Ioan. ab Angelis, Fromondus, Loverius, similesque fungi judicare non possunt. Ejus diligentiam, & in disputando subtilitatem probant omnes, qui non sunt ex gente polyposa. Vt ut reluctetur tamen obstinato silentio Iansenius, & in inepta *Crisi* Fromondus, ut in signata tabula agnoscere compellitur: quandoquidem nullum ejus

aut

aut argumentum, aut reſponſionem tot verborum fluctibus, & undis ſubruere poteſt. Quamvis ſummo jure poſſim Voetii tum eruditionem, tum ſcripta prædicare, abſtinebo tamen. Ianſeniana ſcripta indigent elogio Aretalogi Fromondi.

III. Sed prolixitatem, frequentes exſpatiationes, & uberrimam laudatorum authorum meſſem in Deſperata Papatus Cauſa Cenſor capit. Quaſi verò garrula, ac turgida Ianſenii Spongia reluctantem & feſtinabundum ſæpe eò non pertraxerint. Haud inficias eo: prolixior paulò Voetius eſt: ſed quia uno ſcripto omnia, quæ in Controverſiis inter eum & Ianſenium agitatis, aut dici, aut cogitari poterant, complecti voluit: excuſationem apud omnes, quibus vel ſemuncia candoris ſupereſt, impetrabit. Exſpatiatur ſubinde, ſed non niſi ab inhumaniſſimo & importuniſſimo adverſario impulſus. Verum eſt. Plurimos, omniſque generis, & conditionis authores, domeſticos, & externos, amicos, ac adverſarios citat. Sed quis unquam hoc alicui ſcriptori, præter Fromondum, ſimileſque ignorantiæ, & ignaviæ myſtas, qui in vita vix decem, aut duodecim libros legêre, vitio vertit. Si Voetius hic peccavit, quot non ex Pontificiis, Theologis, Iuriſconſultis, Medicis, Philoſophis, & Philologis, quos omnes authores, & fautores habet, Lovanium venire, & aſini Fromondi calcibus obteri debebunt.

IV. Sub calcem capitis, poſt trecentos λήρους, & liras maſculè pro eloquentia Ianſenii contendit. Quaſi verò, aut Voetius, aut ego invideam, ut Ianſenio Sirenula donetur, quæ pedes ejus calefaciat, quando

Iuppiter hibernas canâ nive conſpuit Alpes.

Si loqui eſt bene dicere, & puerorum in modum declamare, diſertum eſſe, Tullio ac Demoſthene cum Fromondo ſublimior eſt Ianſenius. De πολυλογίᾳ Ianſenii poſt accuratiſſimum Voetii examen verbum amplius non facio. Qui ſubactas aures, & linguas habent, judicare poſſunt. Non affecto autem Fromondo eſſe ſimilis, & in tam jejuno, ac arido themate, omnes ſpiritus effundere, ac latera pariter & lectores delaſſare.

CAPUT IV.

Voetius non metuit, ne quis Deſperatæ cauſæ reſponderet. Satisfecit Ianſenio, indicando authores, qui ſtultas, & ſcepticas ejus quæſtiones diluerunt. Hollandia, & reliquæ confœderatæ provinciæ magnam partem famelicas Suitarum, & Monachorum Brabantinorum fauces ſuſtentant.

I. QVo ulterius in *Criſeos* examine progredior, eò magis quoque ineptias, & brutam Fromondi ignorantiam admirari cogor. Superiori cap. 2. in cælum uſque Ianſenii ſui bullatam eloquentiam extulit: ſequenti cap. 3. quod jam excutiam, timiditatem, & Panicum Voetii metum probare, & omni ratione exaggerare laborat. Rectè. Si evicerit Voetium meticuloſum eſſe, & malè metuere ne *Deſperatæ* ſuæ *Cauſæ* reſpondeatur, ipſe terribilis, & ferox lepus erit. Sed audiamus, aut potiùs, rideamus ficulneum argumentum. Summa ejus huc redit, ne ejus bullatis nugis Lectorem detineam: *Ianſenio leges præſcribit, & ut ad omnes Controverſias, ac quæſtiones ſolidè reſpondeat, monet & adhortatur.* Quis lepidius ſimul, & abſurdius argumentum unquam audivit. Geminum prorſus huic: *Strenuus, ac multarum palmarum duellator, adverſarium, quem provocavit, monet, ut cum æquali armatura ad condictum diem, & horam in arenam deſcendat. Evidentiſſimum ergo hoc eſt indicium, eum metu eſſe correptum, & fugam meditari.* Non is qui leges adverſario præſcribit, & dictat, timidus quoque habendus eſt. Varias in Philonio propoſuerat quæſtiones Voetius, quas in Spongia ne molliſſimo quidem brachio attigit Ianſenius: quæ ratio ergo, cur in Deſperata Cauſa eum monere non potuerit, ut legitimè ac ordine reſponderet ad omnia, de quibus funem ducebant. Si hîc timoris, aut faſtus arguendus eſt Voetius (ut libenter pſeudo-Catholicis ſuis perſuaderet ſannio Fromondus) ridiculi magis damæ Colonienſes ſunt Theologi, qui Martinum Bucerum Anno 1543. hiſce conditionibus, & hoc programmate ad diſputandum invitarunt. *Quanquam*, inquiunt, *ſacris canonibus,*

&

& patrum decretis non permittatur nobis cum hæreticis super damnatis quæstionibus congressus, & disputatio, ne tamen gloriosus ille Thraso nobis insultet & glorietur, ut facit, apud plebem, cui persuadet nos fugere lucem, caussæ diffidere, nec habere quod ipsi opponamus: en ultrò, nullâ coacti necessitate, aut lege, tantùm ne tot animas lupus impune disperdat, & toties jactet perversam suam doctrinam, adversus sanam, & orthodoxam sanctæ matris Ecclesiæ hactenus traditam, & prædicatam fidem, quam propter simplices quosque, aut jam propè nutantes expedit (etiamsi vetant canones disputare) defensam, pusillorum scandalo potissimùm imminente, legitimam pro fide nostra disputationem non abnuimus, etiam super his ejus assertionibus, quas aliquando damnavit universalis ecclesia: modò detur judex, cui permittunt canones de fide ecclesiæ dijudicare, & definire, & æquis armis concedatur utrimque certare. Hoc est, modò suscipiat sacram Scripturam secundum sensum, & interpretationem sanctorum Patrum, qui nos ante mille abhinc annos præcesserunt. Canones item, & decreta per universalem Ecclesiam constituta, & hactenus comprobata, cum illorum patrum, & ecclesiæ doctorum doctrina, qui scholasticam, ut ipsi appellant, Theologiam præcesserunt. Hæc enim quum sint arma, quibus nos impetit, æquum est, ut eadem nobis permittat, & sinat se illis vicissim impugnari. Ad istiusmodi legitimam disputationem (confisi de auxilio, & gratia Dei omnipotentis, & Christi Salvatoris nostri, qui dixit: Quum stabitis ante reges, & præsides, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris, qui loquitur in vobis) nos promptos, & voluntarios præter Ecclesiæ *consuetudinem offerimus.* I nunc, Fromonde, & ride albis dentibus candidissimum clerum: narra quoque Guilelmo ab Angelis, & Episcopo Iansenio, simul ac una eritis, heroicam hanc Coloniensium virtutem, præ quibus vos Lovanienses, vix pedanei doctorculi estis.

II. Sed video, alia ratio adhuc est, cur timoris arguendus sit Voetius. *Non respondit ad Iansenii cap. 8. & 59.* pag. 11. At quid tum? Non respondit quoque Iansenius ad quæstiones, quas in Philonio proposuerat Voetius: nec Fromondus ullam ex Controversiis, de quibus in Desperata Causa fusè & solidissimè disputatur, invadere est ausus, & uterque tamen triumphum, ac victoriam somniat? Si quid deliquit hic Voetius, graviùs longè ejus adversarii Iansenius, ac Fromondus, quos authores habet, deliquerunt. Sed non peccatum est à Voetio. Noluit enim crambem millies coctam recoquere, & ad vulgatissima Sceptico-Papanorum deliria toties explosa respondere, ne rem actam ageret. Authores monstravit Iansenio, ut si libitum foret, maledicentiæ genuinum in eos frangeret. Si vitium hoc vertendum Voetio, vertendum quoque Fromondo est. Ita enim dicit p. 182. *Vise eruditissimi viri Alex. Panicii MARTEM GALLICVM, qui typis nuper in lucem iit, qui verum noscere cupis.* Item pag. 102. *Scripturæ istæ vulgares sunt*, Attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos, Lucerna pedibus meis verbum tuum, *quæ centies millies ex SS. Patrum sensu ipsis evidentissimè explicatæ, & replicatæ sunt.* Pag. 97. *Si vellemus* ἀντιστρέφειν, *facillimum esset ostendere in Ecclesiam tuam deformatam verè competere, quod in Catholicam falsò conjecisti, nisi actum agere nollem, & labore supervacuo retractare, quod alii jam tractaverunt. Nam Leon. Lessius docuit nuper, sex primaria doctrinæ Calvini capita esse totidem fontes, unde Libertinitas, & omnium scelerum dedecora, in humanos mores promanant.* Quàm madidâ memoriâ es, Fromonde, si occurrisset tibi illud quod Voetio inculcas γνῶθι σεαυτόν, pepercisses sat scio sarcasmis tuis. Sed age. Quæ à Voetio doles omissa esse, cum bono Deo, auctarii vice, post libri hujus coronidem subjiciam. Nihil præteribo, nihil omittam: verùm eâ lege, ut quemadmodum ego respondeo triginta tribus Iansenii quæstionibus, ita tu quoque respondeas meis nonaginta novem.

III. Obsignarem hoc caput, sed stulta Fromondi eruditio vetat. Pag. 12. dicit: *Nihilominus* CAVSÆ *tuæ* DESPERATÆ *pleniori volumine respondebimus, si Catholici apud vos flagitent.* O conscientia quantâ prædita es authoritate ac potentiâ! Erumpis ex invitis pectoribus, & obsignata ora dissolvis! Quæ non de soliditate Iansenii Spongiæ,

Voetii pavore, & ineptiis, nec non *Crisi* sua blateravit Censor. Non tamen per conscientiam acquiescere potuit, nedum ut pavida Lectorum mens in hoc undabundo portu possit consistere. *Si Catholici*, inquit, *apud vos flagitent.* Eorum ergo major habenda est ratio, quàm domesticorum, & vicinorum Brabantorum, Flandrorum, ac VValonum. Sed scio, cur illi præ aliis curæ sint Fromondo. Dativi sunt, & liberalitate sua famelicum clerum sustentant. Reditus per bellorum Furias admodum accisi & attenuati sunt, non sufficiunt saginandis otiosis ventribus. Hollandicæ stipes, & eleemosynæ accedere debent. Ideo ergo, identidem tot macilenti, tenues, ac aridi sacrificuli, Iebusitæ, & monachastri habitu plerumque milites, aut tabellarios mentientes inter nos commeant. Quemadmodum ex Dithmarsia, & vicina Holsatia sub vernum tempus macri ad nos boves accedunt, ut in lætis ac ridentibus pascuis saginentur: ita & illi magno quotannis numero, non invitati etiam, advolant, famem quidem plus quàm Sagyntinam adferentes, saginam verò nec non plenos nummorum saccos auferentes. Quod dico verissimum est, & etiam pueri nostrates norunt. Imo adeo impudentes, mendicantes hi proditores sunt, ut sibi invicem (quemadmodum secundum Hesiodum, illud hominum genus, admodum invidum esse solet:) exprobrare & quidem editis scriptis, ausint. Ita enim Petrus Aurelius Sorbonista contra Iesuitarum Spongiam pag. 311. *Hinc est*, inquit de patribus Suitis loquens, *ut omnes quæstuum norint vias & una eorum domus professa Lutetiæ, privatarum largitionum tantum ad se contrahere dicatur, quantum cæteræ omnes Regularium domus, quæ in ea urbe frequentissimæ sunt, non colligant, ut religiosos etiam instituti severioris, testificantes audivimus. Declarant id, ut cætera omittam, splendidissima passim ædificia, variis surgentia regionibus, quibus nihil simile in cæteris ordinibus sumptu, magnificentiâque cernitur. Cohibent denique, & comprimunt publicæ offensionis metu, multò majorem opum copiam, multò majorem animorum sublimia spirantium elationem, quàm quantumcum omnium admiratione patefaciunt. Quid templum illud Antverpiense, toto Belgio, aliisque regionibus famosum, marmore Italico, Genuâ per utraque maria delato exædificatum commemorem? Quod homines Belgæ Catholicorum Hollandiæ pecuniis magnam partem acceptum referunt.* Vtinam evigilent aliquando supremæ inter nos potestantes, & hos montes pietatis destruant! Interea probo tuam, Fromonde, prudentiam. Quid juvat enim absque honorario, & præmio cum desperabundo hæretico Voetio congredi, & periculum famæ, valetudinis, ac vitæ adire.

Tu potius —— *ὥσπερ οἱ σοφοὶ*
τὰ μὲν δίκαι᾽ ἐπαινεῖ, τοῦ δὲ κερδαίνειν ἔχου.
hoc est: —— *velut solent sapientes*
Iusta quidem laudato, sectator verò lucrum.

Ego etenim non ringor, aut invideo. Mendicare mallem, quàm ob mercedulam libros scribere.

CAPVT V.

Iansenius in propatulo mendax est. Primos Reformatores cum Ozia invasisse sacerdotium calumnia Iansenii est. Nullibi Reformatus magistratus in clerum, aut Pontificios laicos modestè se gerentes crudelia exempla statuit. Ministri non instigarunt Magistratus in clerum, aut ad demoliendа idola. Ex Papanis scriptoribus probatur, sacerdotes esse: Idololatras, hæreticos, apostaticos, apotacticos, diabolos incarnatos, simoniacos, perjuros, contentiosos, ignorantes, adulteros, concubinarios, otiosos, mundanos, carnales, percussores, aleatores, ebrios, porcos, & asinos Arcadicos. *Obiter à calumniis Zuinglius, & Oecolampadius vindicantur, ut & Voetius à contradictione.*

I. QVocunque me verto, video Fromondum Fromondum esse, lepidum nempe nugatorem, & ineptum graculum. Sperabam post difflatum tertium *Crisios* caput, ad graves disputationes, & legitimas disquisitiones me accessurum esse: sed vix tres quartæ invectivæ lineas legi, & ecce folia farfari, & levissimas nugas! Quid agam? bellum indixi τῷ πίπονι, dissecare eum, ac exprimere debeo. Sed ad rem. Initio à mendaciis, quæ liquidissimè probavit Voetius

Voetius Ianſenium ſuum purgare laborat. Vtinam ita probaret Fromondus: *Cùm*, (inquit pag. 13.) *ego librum tuum legiſſem, & ei* (Ianſenio) *retuliſſem, mendaciis, & calumniis ejus, aliâque ſimili omni farinâ ſingulas ferè paginas tuas conſpurcatas eſſe, renidens ait, Mirum eſt, me tam ſæpe mentitum, & calumniatum eſſe, & tamen non recordari, me vel ſemel id feciſſe.* Argutiſſimum patrocinium! Hoc ſi fures noſſent, frigeret quæſtus carnificum. Ideo Ianſenius non eſt mendax, quia non meminit ſemel ſe mentitum eſſe. Non admittent, ſat ſcio, Fromonde Philoſophi & Iuriſconſulti veſtri hoc argumentum. Ego tamen, ut videas quàm candidus ſim, ſine ullo ſcrupulo totum cum omnibus conſectariis concedo. Enimvero credo, non implicitâ, ſed explicitâ fide, mendacem non recordari mendaciorum, quæ ante quinquennium, per ſummam impudentiam fervente ſtylo, & linguâ cudit. Mendax, quem memorioſiſſimum eſſe oporteret, ut plurimùm obliviosus eſt. Ex quo tempore Ianſenius Spongiam ſuam felle amarulentiæ, ac aceto mendaciorum imbuit, ſecurus poſteritatis, & judiciorum, haſtam abjecit, victoriam & triumphum ſine æmulo ſomnians. Vtque melancholici iis, circa quæ occupantur, non tantùm ſpecie tenus, ſed firmâ tenacique perſuaſione adhærent, ita quæ ſemel architectatus fuit mendacia, non veriſimilia ſolùm, ſed veriſſima, & oraculis certiora putavit. Ita uſu venire ſolet iis *qui amorem veritatis non recipiunt, immittit illis Deus efficaciam erroris, ut credant mendacio.* 2 Theſſ. 2. verſ. 10, 11. Sed quòd ſi liceret mihi ſacram Iprenſis Antiſtitis aurem vellere, an non exiſtimas, Fromonde, eum recordaturum multorum mendaciorum, quorum cogitationem per curas politicas, & pecuniarias jam depoſuit? Scio. Dices indecorum, ac illicitum eſſe, ut hæretica manus unctas auriculas attingat. Haud nego: nec acriter propterea urgeo. Quod manu fieri non poteſt, ſtylo facere licet. Amplam meſſem omitto. Spicas, eaſque paucas, vellicatim carpo. Dicit ſacerrimus Ianſenius pag. 103. Spongiæ ſuæ: *Voetium pro mirabili ſua reformata ſapientia contendere, licere in Chriſti Eccleſia officium prædicandi, & regiminis arripere.* Iudica, Fromonde, qui adhuc nauſeabundus es à lectione Deſperatæ cauſæ, an non putidum, flagitioſum, & intolerandum illud mendacium ſit. Si eſt, cur non apertè fateris? Aut ſi tibi non videtur, quid patrocinium differs? pag. 169. de miniſtris Reformatis dicit: *ab eis paſſim divinæ omnipotentiæ miracula, velut Satanæ ludibria apud imperitos carpi.* Quæ tabulæ, qui teſtes, qui libri ad manum erant Epiſcopo, cum infauſtæ chartæ fuliginoſas has blaſphemias illineret? Ad alia propero. pag. 251. ubi more ſuo, id eſt faſtuoſiſſimè apud anſeres, ut putabat, de Diſputatione Bellaquenſi concionatur, de incomparabili Pleſſæo congreſſo cum Perrono, ſuâ fide narrat, quod poſt primam velitationem ita horruerit, ut *per ſingulas noctes hoſpitium mutaret.* Quæro ex te Ianſeni (modò fas ſit epiſcopalem tuam ſublimitatem alloqui) an non conſcientia tibi dictarit unquam, hoc falſum eſſe? quod enim tam audacter ignaro popello narras, adverſatur omnibus hiſtoricis, tuis quoque (Papanis nempe) qui aliàs tamen hiſtoriam hujus velitationis multis mendaciis conſpurcarunt. Quid item cogitabas cum de præſtantiſſimo Riveto pag. 254. ſcriberes, eum cum Baillio Ieſuita, quem adhuc ignorat cujus coloris ſit, inauſpicatò diſputaſſe? eumque ad Lugdunenſem profeſſionem ex Galliis advolaſſe? In quo gemino mendacio ab anno 1631. Cl. Rivetus editâ epiſtolâ te deprehendit. Examina tandem te quæſo? & excute an non alicujus mendacii memoria tibi obverſetur? Si nobis non velis ſatisfacere, ſatisfac ſaltem tuis Catholicis caudatis. Nos ſimulac à quatuor his mendaciis famam tuam aſſerueris, alia diluenda dabimus. Leniter tecum agere cupimus, nec obruere, es enim Epiſcopus ex noſtra vicinia Leerdamenſi.

II. Hactenus pro fide Ianſenii rudibus batuimus cum Fromondo, dein decretoriis armis concurremus. Voetius in Deſperata Cauſa pag. 252. *Cretenſem* gente ac domo videri ait Ianſenium, quòd in Spongia dixiſſet *primos Reformatores cum Ozia invaſiſſe ſacerdotium.* Nobilitatem hanc Leerdamenſi civi invidet Libertus: linguâ, ore, manibus, pedibus omnibuſque nervis probare laborans verum eſſe, quod jure ac meritò à Voetio ut mendacio-

rum maximum est rejectum. Non sequar per omnes portas & cryptas Sophistam. Remissa duntaxat manu argumentum ejus librabo, quod remotis omnibus coloribus & fucis, ita in forma disponi potest:

Quicquid Nicolaus Sanderus, Damianus à Goes, Cochlæus, Petrus Simonis Tiletanus, & Florim. Ræmondus, de Luthero, Calvino similibusque hæresiarchis referunt, illud verum est:

Atqui illi referunt ab istis hæreticis per maximos tumultus, & atrocissimas injurias illatas clero, occupata fuisse templa:

Ergo, Non mentitus est Iansenius, cùm scriberet primos Reformatores cum Ozia invasisse sacerdotium.

Rogo vos Iurisconsulti, philosophi, ac quotquot Lovaniensem Academiam exornatis, ut ingenuè ac candidè profiteamini, quid de hoc Fromondi Achille judicetis? An non jure summo à pueris putridis ovis & malis ex Halis vestris ejicerer, si probaturus Papam esse Antichristum ita argumentarer:

Quicquid Lutherus, Calvinus, Bulingerus, Danæus, Dounamus, Lubbertus, &c. scripsere, hoc verum est:

Atqui illi scripsere Papam Romanum ipsissimum esse Antichristum; Ergo

Hoc verum est.

Et sic tamen primus apud vos in Theologia & Philosophia Doctor Fromondus disputat, nec tantùm hic sed per totam Crisin. Si subtestis his testibus *Sleidanum, Thuanum, Meteranum, Cambdenum*, aliosque ejusdem commatis opponerem, ex lege æquitatis, idem Avii quod Titii jus esse deberet. Non faciam tamen. Sat scio enim clamosum Fromondum in collegii pergulam omnes cives, & studiosos convocaturum, ac instar medicorum de circo, plenos λόγων pelves in me, & hæreticos effusurum.

III. Quomodo Reformatio per Germaniam, Daniam, Sueciam, Angliam, & Belgium sit instituta: non opus est docere. Volumina integra de ea re sunt scripta. Solidissimè & è testibus primæ notæ idem comprobavit Voetius. Et quid si omnes tabulas, monumenta, ac instrumenta perdidissemus, quid tum? Papani tabulæ, si gutta duntaxat candoris, & benevolentiæ penes eos esset, nihilominus pisce magis muti esse deberent. Vbicunque ab ipsis Idololatriæ trophæa eriguntur, simul crudelitatis, & suppliciorum statuuntur monumenta. Aquilinis pennis simile est eorum Euangelium, exedit & consumit omnes qui ei se opponunt, non efficaciâ quidem veritatis (est enim inimicum Deo, & inimicum veritati) sed igne, ferro, hastâ. Gallia, Anglia, Belgica, & afflictissima Germania in hunc usque diem proclamat. Cùm contrà clementiam, & mansuetudinem nostræ doctrinæ ipsi volentes nolentes agnoscere cogantur. Quid hoc enim? Toleramus eos, & defendimus: jura civitatis concedimus, imo alicubi etiam beneficiis ornamus: nec severè inquirimus, quamvis lippi ac tonsores sciant, eos patriæ arcana hostibus nostris prodere, & grandi pecuniæ summâ quotannis otiosos monachos, & avaros Iebusitas dotare. Sub initium Reformationis, in Germania, & Belgio optio dabatur monachis, & sacerdotibus, aut securè discedendi, aut Euangelium amplectendi. Nulli nisi fortè perduelles, & proditores, aliique sacerrimi nebulones in Anglia, aut alibi justo supplicio affecti sunt. Mitto jam quòd multis in locis tolerata sint cænobia, & monachis annui proventus concessi. Quæ verò clementia est, si hæc non est? Sub Antichristi imperio ne pueri quidem, aut ancillæ tolerantur: si leviter tantum de Lutheranismo, aut Calvinianismo suspectentur, sine ulla commiseratione, flammæ, & vivæ sepulturæ velut piaculares victimæ offeruntur. Cùm nos in neminem, modò se gerat ut bonum & modestum civem docet, unquam inquisitionem exercuerimus, aut etiam exerciturі simus. Non dicam jam quòd in Belgio sub certis conditionibus sacerdotes, & clericos toleremus, cùm in Papæ territorio capitale sit, vel Reformatum pastorem in ædes recepisse. Quæ dixi, non opus est ex multis testibus, aut authoribus probare: omnes qui vivunt, infestissimi etiam adversarii nostri, cogente conscientiâ, hæc agnoscere compelluntur. Ogganniet, scio, Fromondus, & ex suo Sandero, Estio, Tiletano, hominibus à satana ad mentiendum auctoratis, longum perduellium, & proditorum catalogum recensebit, turgidisque faucibus probare adnitetur

tetur eos omnes martyres esse. Sed assuevi Lindiis illis sacris. Si vir & duellator haberi velit, aperto Marte congrediatur, pedem pedi, lacertos lacertis jungat. Thesin hanc statuo, quam cum bono Deo quoque, contra omnes ejus clamores, & objectiones defendam:

Nemo in antiqua Ecclesia, pro Papismo, sicut in Tridentino conciliabulo est definitus: nec quisquam à Lutheri temporibus usque ad hunc diem à Reformatis Magistratibus capitis supplicio est affectus, ideo quod Papanam religionem amplecteretur.

Evolve, Fromonde, *Baronium, Sanderum, Surium, Genebrardum, Bulengerum Ies.* similesque scriptores, & calumniæ notam fronti meæ inuram, si tres Papæ martyres ostendere possis.

IV. Obtrudes fortè *Morum, Fisherum, Bonerum, Vitingum, Feringdonum, Campianum, Porellum, Garnetum, Iacobum Clementem, Balthasarem Gerardum*, & id genus seditiosos, ac parricidas: quos libentissimè concedo, & fateor vestros esse. Quando autem probaveris Coran, Dathan, & Abiram martyres esse, eò quòd ex tribu Levitica fuerint, idem de his quoque credam. *Martyr*, ait Cyprianus ad Fortunatum, *ut iis quoque notum est, qui Græcè nesciunt, testem sonat. Quanquam autem post exortam Euangelicæ veritatis lucem, ecclesiastica consuetudo cognominis hujus honorem propriè tribuere capit iis, qui in tormentis usque ad mortem perdurarunt in professione nominis Iesu Christi, & Euangelicum instrumentum sanguine suo velut obsignarunt apud incredulos.* Et Thomas 2. 2. quæst. 124. art. 1. *Hoc, ait, præcipuè videtur observandum in martyrio, quod consistit in debita sustinentia passionum injustè inflictarum.* Addo ex Cypriano: *Ob professionem nominis Iesu Christi.* Applicentur hæc ad sicarios *Garnetum, Clementem,* & *Balt. Gerardum*, nec non Anglicanos martyres, qui ut ipsa rerum gestarum veritas ostendit, non propter religionem sunt cæsi, sed quòd contra regia edicta ad concitandos subditos in regnum venissent. Inquirat quisque quæso in factum, & applaudet mihi, modò homo sit. Non inficias eo larvâ quadam martyrii tectos videri Franciscanos Goricomienses, reliquosque monachos, & parochos, qui cum iis supplicio affecti sunt Brielæ Anno 1572. & quorum meritis semet animavit Balt. Gerardus ad interimendum Illust. Principem Auriacum, patriæ nostræ patrem, ut testatur Est. lib. 4. Hist. Martyr. Goricom. cap. 6. Sed si quis historiam penitiùs scrutari dignetur, deprehendet equidem cordigeros fratres cum sociis suis, non ob cappam, quinque vulnera Francisci, aut Furfuracei Dei idololatriam fuisse suspensos, sed quòd cives in milites concitassent, iisque authores facti essent defendendi castellum, & displodendi tormenta bellica contra leges, & statuta militaria, quod ipse Estius, ut ut dissimulet, non obscurè tamen innuit lib. pr. d. t. cap. 5. Accessit & hæc ratio, quòd omnes essent jurati patriæ magistratus supremi & libertatis hostes, nullâque ratione renunciare vellent factioni Hispanicæ, quam tum temporis Albanus tyrannus igne, ferroque ubique asserebat. Si hi sunt martyres, erunt martyrologio posthac inserendi omnes milites, & proditores qui unquam pro defensione Papanæ tyrannidis aut in acie, aut in urbium obsidionibus cecidere, aut etiam contra fidem datam urbem arcemve nefariè tradidere. Vt ut enim omnia mendacia conquirat Estius eorum popularis, ad asserendam tum innocentiam, tum sanctitatem, illud tamen ex nullo angulo eruere potest, quòd ideo à Comite Lumæo morti sint adjudicati, quia Papanam religionem profitebantur.

V. A Cornelio Musio quoque, patre cænobii S. Agathæ Delphis, quem cum Stentoreo clamore Fromondum objecturum auguror, nihil mihi metuo. Cæsus is est Leydæ, non ob religionem, aut professionem (neutrius quippe præcessit inquisitio, ut & silentio suo fatetur Estius lib. 4. d. tr. cap. 14. & 15.) sed per militarem insolentiam, Comitis Lumæi, quem ob indignum illud factum in custodiam quoque conjecere Ordd. Hollandiæ: ut Meteranus testatur lib. 5. Hist. Belg. Quamvis ipse Lumæus haud vanis argumentis probare voluerit eum proditorem, & exploratorē fuisse. Enimvero tesseras penes eum inventas fuisse, quas distribuere statuerat civibus Leidensibus, queis parcitum cupiebat ab Hispano milite, scimus ex selectis Illustrium Belgarum Epist. Cent. 2. ep. 1. Experire, Fromonde, an ei patrocinari possis, nos ea quæ scripsimus, defen-

demus. Vtinam ſaltem, pro gladiatoria tua fortitudine de hac materia nobiſcum certare velles.

VI. Si aliquid alicubi per militarem inſolentiam, aut tumultum fortè ſit perpetratum, quod crudelitatem, & iniquitatem ſapiat, ſummâ injuriâ illud religioni noſtræ, & miniſtris, qui eam aſſerunt, objicitur. Nullus dubito, quin Fromondus, ſi iterum ſcribat, multa de funeſto Tienæ excidio peroraturus, omnémque culpam in doctrinam noſtram derivaturus ſit. Sed redarguent eum ipſa ſubſellia, & cathedræ, quæ miniſtrorum (flagitium hoc redarguentium) fulminibus coruſcarunt. Noris, Fromonde, nos omnes deteſtari innocentium cædes, ſtupra, adulteria, ac incendia: Deumque quotidie precari, ne aliquando illius ſanguinis, tam injuſtè effuſi exigat piacula. Quandoquidem in vicinia miſeræ urbis ſediſti, ignorare non potes Papiſtas fuiſſe, & quidem ferventiſſimos, qui primi ſignum ad lanienam ſuſtulere. Galli erant, dilectiſſimi Pontificis veſtri filii, qui poſtquam rapinis, cædibus, & ſtupris omnia polluiſſent, ipſaſque Veſtales Virgines horrendum in modum adulteratas ac læſas, præcedente cruce, velut Triumphi fercula, incedere compuliſſent, ſicis, ac ſclopetis irruêre in milites noſtros, qui alicubi fortè aut ligneam crucem, aut abjectam imagunculam loco ſuo moverant.

VII. Quaſi oſtendere non poſſemus, aut ad faſtidium penè Lectorum, in Deſperata Papatus Cauſa non comprobaſſet Voetius, in quibuſdam caſibus poſſe ipſam Eccleſiam miniſtros ordinare, & Reformationem moliri: omiſſis viginti & ampliùs Voetii reſponſionibus, unam tantùm quia viam ad garriendum munit, arripuit Cenſor. Ita enim pag. 16. ait: *Non ignoro per quam rimam ex hoc ergaſtulo veritatis, tuos Reformatores eripere conaris: nempe Magiſtratuum imperio, & ſatellitum, aut populi, non Reformatorum manibus omnia violenta perpetrata fuiſſe.* Hoc erat Ianſenii mendacium: *Primi Reformatores cum Ozia ſacerdotium invaſere.* Diluit hoc ita Fromondus: *Quod Catholici ſcriptores dicant multa nefanda & crudelia à Reformatoribus fuiſſe perpetrata.* Dein occurrit reſponſioni per occupationem: *Quòd quicquid magiſtratus egerint, illud fecerint incitati à miniſtris.* Quæ ſcopæ æquè diſſolutæ eſſe poſſunt? Dixerat Voetius pag. 253. *Magiſtratus feciſſe ea quæ magiſtratus ſunt, & miniſtros ea quæ miniſtrorum.* Diſtinguens manifeſtiſſimè in negotio Reformationis officia Magiſtratuum, ab officiis Miniſtrorum. Duo hæc inſipidè, ne dicam ſtultè confundit Fromondus. Si aliud Magiſtratus agit in Reformatione peragenda, aliud miniſter, ut fatetur Voetius, non poſſunt delinquentes miniſtri elabi per latera Magiſtratuum; malèque Fromondus rimam quærit, quam nec Voetius, nec quiſquam noſtrum unquam ſcrutatus eſt. Non ideo Voetius dicit primos Reformatores functos fuiſſe legitimè officio ſuo, quòd Magiſtratus Eccleſias reformarent: ſed ideo tum hos, tum illos opus Reformationis molitos fuiſſe, quòd utrique divinam, & legitimam ad hoc faciendum vocationem haberent.

VIII. Poſſemus progredi, & coaxandi licentiam impune ranæ concedere: ſi non vereremur ne poſt ſilentium noſtrum in canem transformaretur. Probare molitur Magiſtratus fuiſſe inſontes, & ſolos miniſtros Reformationem inſtituiſſe. Argumenta è limoſis λόγων paludibus tria erui poſſe videntur.

Primum eſt, *quòd exſtimulaverint miniſtri Philippicis ſuis concionibus Magiſtratus ad ejiciendos ſacerdotes, & inſtituendam Reformationem.* Probationem argumenti neſcio ex quo tenebrione, qui jam olim centones quos ex Luthero, & Eraſmo conſuiſſe videtur, emendicat. Vide pag. Criſ. 16, 17. *Reſp.* Lutheri patrocinium non ſuſcipio: ſemet ejus ſcripta defendunt, & confundunt omnes picas. Sed qualis hujus argumenti conſequentia? *Lutherus debacchatus eſt in Monachos, & Sacerdotes, ergo eos etiam ejecit.* Aut: *Quia Magiſtratum permovit, ut eos ejiceret ſacerdotium cum Ozia occupavit.* Eadem cum hac conſequentia: Elias irriſit Baalis ſacerdotes, & evertit altaria, Ergo, Non fuit à Deo miſſus. Petrus corripuit Simonem magum, & Paulus Elymam, Ergo, Non fuere Apoſtoli. Omnes Patres ſeculi ſui hæreticos, ut Arrianos, Manichæos, Novatianos, Donatiſtas, &c. coloribus ſuis delinearunt, & turpitudinem eorum ita ex verbo Dei

detexere

detexere uſque dum Magiſtratus Chriſtiani evigilaverunt, & lupos rapaces edictis ſuis compeſcuerunt, Ergo inde conclude, eos nullam habuiſſe ad hoc vocationem. Non quæritur an Lutherus ſignum ad Reformationem ſuſtulerit, ſed an potuerit tollere. Garrit quidem multa Cenſor de acrioribus Lutheri invectivis, ſed hoc nihil ad rem. Negare, confundere, & convellere debuiſſet igneum viri Dei zelum. Duro nodo, durus adhibendus eſt cuneus. Non tuba ſemper veternoſos excitat: vellicandi aliquando ſunt. Ante Lutherum Reformationem multi tentaverant, ſed parum, aut nihil effecerant. Deterior erat clerus, quàm ut fomentis curari poterat. Aſpera, acida, & pungentia adhibenda fuere remedia. Quamvis interea nihil dixerit Lutherus, quod non ab aliis millies ante eum eſſet dictum, & examaſſim fæculentæ Romanæ Synagogæ cloacæ conveniret: ut abundè probari poſſet, ni ab aliis jam factum foret. Suffecerit in præſens Voetium à calumnia aſſeruiſſe, & defendiſſe à faſtuoſo Fromondi *Phy.* pag. 18. Criſ. Voetius pag. 201. Deſp. Cauſæ, ſacerdotes vocat *Idololatras, hæreticos, apoſtaticos, apotacticos, diabolos incarnatos, Simoniacos, perjuros, contentioſos, ignorantes, adulteros, concubinarios, otioſos, mundanos, carnales, percuſſores, aleatores, ebrios, porcos, aſinos Arcadicos.* Quæ hic autem blaſphemia? aut ubi calumnia? Nihil fere dixit Voetius, quòd non jam olim dixere multi, qui à Papicolis inter Catholicos cenſentur. Quod ut credat Fromondus cum omnibus ſuis pſeudo-Catholicis articulatim probatum eo. Sacerdotes ſunt:

Idololatræ] Abundè hoc ſupra probavimus, & infra iterum de hac re dicendum erit: quare haud opus multa hic teſtimonia cumulare, quæ iterum eſſent repetenda. Probavit & Voetius in Deſperata Cauſa, ut Fromondus cum Ianſenio ultro confitetur pertinaciter ſilendo. Vide ſis Lector Voetium pag. 548.

Hæretici] Nec hoc probare opus eſt, infra fuſiſſimè, & uſquedum in rabiem agantur Papani, aſtruemus. Vnus Iohannes Chemenſis Epiſcopus inſtar omnium hic erit. Is ita in aureo opere de Onere Eccleſiæ excuſo Coloniæ Anno 1521. cap. 15. *Plures*, (inquit de clericis loquens) *in ſabulo dogmata conſtruunt ruinoſa.*

Apoſtatici] Brigitta 1. 2. Revel. 7. *Eſt*, ait, *religioſus habitu & profeſſione monachus, ſed moribus apoſtata: dignitate ſacerdos, ſed ſervus peccati: peregrinus famâ, ſed intentione gyrovagus: Hieroſolymitanus opinione, ſed magis Babylonicus.*

Apotactici] Brigitta 1. 4. Revel. 134. Introducit Chriſtum hæc ad Clericos dicentem: *Ipſi præ omnibus Iudæis, & Gentilibus, ac præ omnibus dæmonibus me provocant.* Imo quid irregularius aut corruptius iis eſſe poteſt, de quibus Bernardus loquitur lib. 4. Conſ. ad Eugen. *Vides*, inquit, *omnem Eccleſiaſticum zelum fervere ſola pro dignitate tuenda? honori totum datur. Sanctitati nihil, aut parum. Si causâ requirente paulò ſubmiſſius agere, ac ſocialius te habere temperaveris: abſit inquiunt. non decet: tempori non congruit: majeſtati non convenit: quam geras perſonam attendito. De placito Dei ultima mentio eſt: pro jactura ſalutis nulla cunctatio. Niſi quod ſublime eſt, hoc ſalutare dicamus, & quod gloriam redolet, hoc juſtum. Ita omne humile probro ducitur inter Palatinos: ut facilius, qui eſſe, quàm qui apparere humilis velit, invenias. Timor Domini ſimplicitas reputatur, ne dicam fatuitas. Virum circumſpectum, & amicum propriæ conſcientiæ, calumniantur hypocritam. Porro amatorem quietis, & ſibi interdum vacantem, inutilem dicunt. Quid ergo tu? Evigilaſne ad iſtos: qui circumdederunt te laqueis mortis.*

Diaboli incarnati. Addo ego: *Diabolis peiores.*] Cathar. Senenſis cap. 12ɔ. *Religioſi ſunt in religione velut angeli, ſed quam plurimi ſunt dæmonibus deteriores.* & poſtea: *ſunt facti arma diaboli, corrumpentes religionem intus in ſe, & fratribus, ac extra in ſecularibus.* Bernardus lib. 4. ad Eugenium Papam, ita eum alloquitur: *Inter hæc tu paſtor procedis deauratus, tam multâ circumdatus varietate, oves quid capiunt? Si auderem dicere, dæmonum magis, quàm ovium paſcua hæc. Scilicet ſic factitabat Petrus, ſic Paulus ludebat?* Holcot. l. 182. in lib. Sapientiæ clericos vocat *Sacerdotes Priapi, ſacerdotes Dagon, & Angelos abyſſi.* Ioh. Chemenſis Epiſcop. in lib. de onere Eccl. cap. 21. *Prælati*, inquit, *ſunt luxurioſi, & pompoſi, & non curant gregem, ſed eum ſcandalizant: religioſi deteriores ſunt dæmonibus, reliquuſque clerus eſt vitioſiſſimus.*

Simoniaci,] Cathar. Senenſis cap. 76. *Sa-*

cerdo-

cerdotes deterius vendunt Chriſtum, quàm fecit Iudas. Brigitta lib. 4. Revel. 49. *Epiſcoporum, & clericorum cupiditas nullum habet fundum.* Item lib. 1. Revel. 41. *Clericus deberet eſſe paſtor, & ſcrutator ovium, qui jam eorum diſperſor, & lacerator eſt: imo occiſor per mala exempla, vendit ſacramenta pro turpi lucro, ſicut Iudas Chriſtum.* Alvarus Pelagius de planctu Eccleſiæ (quod Bellarm. lib. de Script. Eccleſ. pag. 388. inſigne opus vocat) lib. 2. poſtquam taxaſſet Simoniam Papæ, Cardinalium, & Epiſcoporum, hæc tandem de Sacerdotibus art. 27. ſubjicit: *Celebrant pro adulationibus ſecularium, & pro pecunia. Imponunt miſſas pro pecunia confitentibus ſibi, ut pecuniam pro eis ipſi recipiant, & fingant ſe dicere.* Langius in Chron. Citizenſi:

Heu Simon regnat, per munera quæque reguntur,
Iudiciumque pium gaza nefanda vetat.

Perjuri,] Math. Pariſienſis, aut ut aliàs vocatur Paris, in VVilhelm. Conquæſt. *Pauci,* inquit, *ſacrifici continentiam ſervant, multi incontinentiam perjurio multiplici cumulant.* Item in Iohanne mentionem facit Epiſtolæ, quæ cælitus putabatur miſſa eſſe ad religioſos, in ea autem hæc inter alia habentur: *Non ceſſatis ab operibus diaboli, quia facitis adulteria, & perjuria.*

Contentioſi,] Rodericus Zamorenſis Caſtellanus ac Referendarius de S. Angelo lib. 2. de vita Spirituali & Eccleſiaſtica cap. 20. *Inter cætera,* inquit, *deteſtanda exempla, unum illud eſt; quoniam etſi ſcriptum eſt, Servos Dei non* oportere litigare. *Epiſcopi tamen & clerici, qui ſpirituales ſunt, & lites, ac contentiones vitare ſpecialius jubentur, proh pudor! tam acerbè, tam impiè, tam crebrò litigant, ut omnes vincant in contendendo laicos, & ſub colore juſtitiæ obrepit impietas. Iam non modò pro Epiſcopatu litigatur, ſed bellatur: non modò pro ſacerdotio contenditur, ſed pugnatur.*

Ignorantes,] Cathar. Senenſis cap. 124. *Prælati,* inquit, *ſunt veluti lucernæ ſuper candelabrum poſitæ, &c. ſed miniſtrant in tenebris, non intelligentes ſacram Scripturam. Nam vacui ſapore divino, replentur immunditiâ, inſcitiâ, curioſitate, & avaritiâ.* Item cap. 132. *Seculares ſeducuntur à cæcis ducibus, qui (proh dolor!) ſunt ignari idiotæ, præſumptuoſi, hypocritæ, avari, Simoniaci, luxurioſi, invidi.* Ioh. Epiſcop. Chemenſis in Onere Eccl. cap. 22. *Epiſcopi,* inquit, *non attendunt, nec conſiderant habilitatem promovendorum, ſed indignos beneficiatos admittunt, abſque omni delectu, & debita examinatione.* Idem ib. cap. 21. *Pontifices ſuos coquos, tributarios, ſtipendiarios, & ſtabularios frequenter animarum curæ, ac dignitatibus præficiunt.* Et poſtea: *Fæcibus mundi Eccleſiaſtica gubernacula, tam in cathedralibus, quàm conventualibus Eccleſiis traduntur, & verificatur illud Gregorii qui dicit, Sæpe ſapientes ſubeſſe, ſtultos arcem Domini tenere.* Nic. Clemangus lib. de Præſ. Simoniacis: *Itaque,* inquit, *videas admitti ad Sacerdotium, cæteroſque ſacros ordines homines idiotas, & illiteratos, vix moroſè, ac ſyllabatim abſque ullo intellectu legere ſcientes, qui Latinum & Arabicum æqualiter norunt, qui cùm legunt, orant, aut pſallunt, utrumne Deo benedicant, an maledicant, neſciunt.*

Adulteri, concubinarii, aleatores, ebrii,] Aventinus in Præf. l. 6. Hiſt. Boar. *Prælati noſtri,* ait, *quales ſunt, pudet dicere, pauperum alimentis canes, equos, ſcorta alunt, potant, amant.* Bernard. in Cant. Serm. 33. *Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is, quem quotidie vides meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, regius apparatus: inde aurum in frenis, in ſellis, & calcaribus, & plus calcaria, quàm altaria fulgent. Inde ſplendidæ menſæ & cibis & ſcyphis, inde comeſſationes & ebrietates, inde cythara, & lyra, & tibia, inde redundantia torcularia, & promptuaria plena eructantia ex hoc in illud. Inde dolia pigmentaria, inde referta marſupia. Pro hujuſmodi volunt eſſe, & ſunt Eccleſiarum præpoſiti, decani, Archidiaconi, Epiſcopi, Archiepiſcopi. Nec enim hæc merito cedunt, ſed negotio illi, quod perambulat in terris.* Ioh. Chemenſis Epiſcopus in Onere Eccleſ. cap. 23. *Sacerdotes fornicationibus coinquinantur: maximè curati ſordeſcunt in concubinatu adeo manifeſto, quòd nullâ tergiverſatione negari poſſit.* Ambroſ. Anſbertus in Apocalypſ. cap. 18. *Archidiaconi,* inquit, *à presbyteris adulteris pretium accipiunt.* Stella Clericorum cap. 10. *Cùm diabolus ſuper omni peccato gaudeat, maximè congaudet fornicationi, & maximè in Sacerdotibus, &*

religiosis qui sunt ministri altaris. Hieronymus: Quid tibi cum mulieribus Sacerdos, qui ad altare Dei famularis, in cujus loco stas? Dic sacerdos, qui eisdem labiis exoscularis filium Virginis, quibus osculatus es filiam Veneris. O Iuda osculo tradis filium hominis. Nicol. Clemangiis Archidiaconus Bajocensis in tract. de Præsulibus Simoniacis: *Aleas,* inquit, *talos, & cauponas sectari videmus passim Presbyteros: & secularibus hominibus in vilissimis servire ministeriis. Alii coquorum funguntur officio, alii pincernarum, alii œconomi sunt, ac dispensatores, alii mensarum asseclæ, alii dominarum (nolo turpiora dicere) pedissequi. Taceo de fornicationibus, & adulteriis, à quibus qui alieni sunt, probro cæteris, ac ludibrio esse solent, spadonesque, aut Sodomitæ appellantur. Denique laici usque adeo persuasum habent nullos cælibes esse, ut in plerisque parochiis non aliter velint Presbyterum tolerare, nisi concubinam habeat, quò vel sic suis sit consultum uxoribus, quæ nec sic quidem usque quaque sunt extra periculum.*

Otiosi,] Nicol. Clemangiis loco sup. cit. *Si,* inquit, *aliquis desidiosus est, opusque & laborem fugitans, ut in voluptuoso otio possit vivere, ad Ecclesiam convolat.* Ita & Petr. de Vineis lib. 1. epist. 35. *Præterire non libet, quòd prudentia est ad malum, quando qui honorem desiderant, onus vitant: præesse desiderant, profectum negligunt subditorum, sollicitudinem fugiunt, & laborem, intendunt somno, & libidini, ludis, & epulis delectantur.*

Mundani & carnales,] Hildegardis Monacha, quæ vixit circa annum 1170. ita de mendicantibus monachis proclamat: *Væ vobis miseris, filii mœroris, vos mundus seduxit, diabolus ora vestra infrenavit: caro vestra lubrica, & corda vestra sine sapore. Venter vester delicatus, dulcia fercula appetit, pedes vestri veloces ad currendum in malum.*

Percussores,] Huc unicè facit historia, quam refert Arnulphus Lexoviensis in Epistola ad Papam Alexandrum. Ita autem ibi scribit de Monachis Griftani collegii pag. 81. *Constat eos in claustro strictis invicem concurrisse cultellis, sicut cicatrices vix obductæ, & recentia quoque vulnera protestantur. Ac nisi de cultellis eorum pugionem provida sustulisset antiquitas, sæpius usque ad alternas etiam mortes intemperantia deſævisset.* Et paulò post: *Quod statim miserabiliter ipse rerum declaravit eventus, quia is quem Abbas procuratorem reliquerat, ebrius in refectorio super cænam, duos de fratribus cultello percussit, atque ab eis incontinenti perticâ, quam casus obtulit, interfectus.*

Porci,] Ita Budæus Annot. prior. in ff. in l. 2. de Leg. conqueritur *doctrinæ* præmia ab Episcopis conferri in quosdam *tam stolidos, tam inertes, tantâque nequitiâ, ut illis anima data sit pro sale, ut suibus.* Palingenius de Monachis & eorum gregalibus ita in Sagittario canit:

Proh pudor hos tolerare potest Ecclesia porcos,
Duntaxat ventri, Veneri, somnoque vacantes?

Asini. Addo ego: *Hirci, & lupi,*] Quod asini sint, probo ex lepida illa Scripturæ interpretatione, quam Thomas probat 2. 2. q. 2. art. 6. *Quòd dicitur,* inquit, *Iob.* 1. *quòd boves arabant, & asinæ pascebantur juxta eos: quia videlicet minores, qui significantur per asinas, debent in credendis adhærere majoribus, qui per boves significantur.* Avent. in præf. lib. 6. Histor. de Papa loquens dicit: *Is ovili Christi capros, hircos, lupos libidinosos, adulteros, virginum sacrarum stupratores, coquos, muliones, latrones, argentarios, nummularios, fucos, pecuniarum aucupes luxu perditos, perjuros, literarum penitus omnium rudes imponit.* In Brigittæ Revelationibus lib. 4. cap. 52. narratur visio terribilis sponsæ, de quodam homine (Monacho puta) cujus os erat ut lupi, & muliere quadam: *Habet,* inquit, *os sicut lupus ferocissimus, qui ventre, ac ore suo repleto: ex illis quæ viderat, adhuc si aliquid ad huc aure vivum audierit: deglutire illud desiderat. Ita iste* (avarus nempe Monachus, de quo loquitur) *si omnia possideret, quæ oculis viderat, adhuc concupisceret illa, quæ alios possidere audiret.*

Dotes jam opinor, Fromonde, nisi dedolueris omninò de tuo nauseabundo *Phy!* Dices fortè olim tales (ut ex domesticis & Catholicis testibus te docui,) fuisse Clericos, cæterum multò jam meliores esse. Vbi iterum tibi respondendum erit, singulas tuas cleri virtutes ex Espensæo, horres opinor ad nomen, & Musso Bipontino Episcopo, recentibus admodum authoribus probabo. Prodi modo, & responde.

IX. Et tale quidem eſt primum argumentum, quo Magiſtratus à miniſtris incitatos fuiſſe probare ſtudet Lovanienſis Doctor. *Alterum* deprompſit ex tenebricoſis Surii annalibus. Ita enim pag. 18. dicit Surius ad annum 1566. *Erat, inquit, tum Antverpiæ Hermannus quidam homo importunus, & audax ad ciendas turbas, & ſeditiones natus.* Hinc concludit: *Ergo, Miniſtri incitarunt Magiſtratus ad Reformationem. Reſp.* Lepidum etenim argumentum. Nos diſputamus de primis Reformatoribus, & ille adducit Hermannum Modetum, qui neque in Belgio, neque in Brabantia, neque Antverpiæ primus Reformationem aggreſſus eſt. Et quid ſi, ut falſiſſimum eſt, ex primis fuiſſet, qui Reformationem moliti ſunt, quid tum? Vna hirundo non facit ver: nec unius alteriuſve noxa imputanda eſt collegio, aut univerſitati. Quos non tumultus excitaret Cenſor, ſi dicerem omnes profeſſores Lovanienſes eſſe Lutheranos, quia olim ſuſpecti fuere *Martinus Dorpius*, & *Michael Bailius*: aut omnes Papas Romanos à diabolo eſſe interemptos, quia hiſtorici omni exceptione majores hoc de Sylveſtro ſecundo narrant. Vnius hominis factum pro nihilo habetur, quando multitudo contrarium facit. Nunquam ita ordine, & convenienter alicujus reip. ſtatus eſt converſus, quin unus aut alter reluctatus ſit. Quamvis Catilinæ ſocii unâ patrum ſententiâ morti adjudicarentur, turbator tamen pacis, ac reip. Cæſar pro iis interceſſit. Sit ergo verum, ut non eſt, quod de Hermanno narrat Surius, nihil tamen derogatur ſynceritati primorum Reformatorum. Sed quid ſtylum & manum propter Hermannum delaſſo? Ipſe Surius nos excuſat. Ita enim ad annum ſequentem pag. 719. Ed. Colon. *Hermannum, inquit, etiam ſectarii execrantur.* Si operæ pretium fuiſſet Doctori huc uſque progredi in Surii lectione ſat ſcio Hermannum è tenebris non protraxiſſet, quamvis aliàs ipsâ impudentiâ impudentior ſit. Dein aliam fabellam ex eodem Hiſtorico Antverpiæ eodem anno peractam de neſcio quo ſartore, & nauta narrat. Diſputamus de primis Reformatoribus, & Fromondus ſartores, ac nautas ad ſuffragium citat. O ridiculum nugatorem, dignumque qui acubus, forficibus, velis, remis, & contis in Epiſcopali habitu concionetur! Hiſtoria, quam reſpicit, ne quidem ad ipſius Surii pediculoſam Carthuſiam integra advolavit. Continere videtur occaſionem ἰκονοκλασίας, fusèque & cum omnibus circumſtantiis apud Borrium (qui tum, cùm Hiſtoriam ſcriberet, haud magis Pontificiis, quàm Reformatis favebat) alioſque accuratiores hiſtoricos refertur. Vt ut autem non ſine tumultu aliquo, Antverpiæ, & in pleriſque Flandriæ, Brabantiæ, & Hollandiæ urbibus anno 1566. idola à plebe ſint everſa, nulla tamen culpa aut miniſtris, aut Reformatis Magiſtratibus imputari poteſt: utrique enim ſunt innocentiſſimi, & nec re, nec conſilio turbidum conſilium juvarunt. Imo quantum in ſe, concionibus, edictis & publicis exemplis caſtigarunt. Vt & ſilentio ſuo Fromondus, cum cucullato ſuo Surio volens nolens agnoſcere compellitur. Rogo autem eum, ut ſi dignum quid perſonâ & cathedrâ ſuâ præſtare velit, hanc quam ſtatuo theſin, oppugnet. Dico verò:

Nec miniſtros, nec Reformatos magiſtratus aut Antverpiæ, aut alicubi in Belgio Anno 1566. plebem incitaſſe ad idola demolienda.

Experire, Fromonde, an telum hoc nobis extorquere poſſis: ego pro conſervando eo edicta Catholicorum magiſtratuum, hiſtoricos omnis generis adferam. Experire modò. Sed

— Ψαλάσσω εἰς κενὸν νευρᾶς κτύπον,
Ἄσιτα κ᾽ ἀδώρητα φορμίζων μέλη.

hoc eſt:

— *cieo irritos fidium ſonos*
Iejuna, & indonata pulſans carmina.

X. Supereſt tertium Cenſoris argumentum, quo ſeditionis & tumultus dicam primis Reformatoribus ſcribit, oppidò quàm ſtultum, & puerile. Præterquam enim quòd circulo eſt ornatum, quintamque eſſentiam primi argumenti in ſe continet, ineptiis quoque, & mendaciis pictum eſt. *In expeditionibus,* inquit pag. 19. *non verbo ſolùm, ſed etiam manu, & facto veſtri aliquando* (miniſtri puta) *duces eſſe ſolent.* Et ne dicto deſit probatio adducit fortiſſimum Chriſti athletam Huldericum Zuinglium, qui ad prælium cum cives ſuos ex officio (quod ſub papatu Parochis quoque per vices obeundum erat) ſecutus eſſet, conſtanter occubuit.

Dicite viri docti, an ineptiorem declamatorem, quàm Fromondus est, noveritis. Probare debet ministros, & magistratus concitasse plebem, & Zuinglium adducit, qui in acie cecidit, ad quam accesserat, non quidem pugnandi, sed suos è verbo Dei consolandi gratiâ. Miror verò quod cum bipedum blasphemissimo *Campiano* eâdem operâ gladiatorem non vocaverit innocentissimum virum. Quod quis miretur autem? ipse Fromondus, dum Sleidani verba recenset, Zuinglium qui jam in cælo triumphat, excusat. Nescivit hoc tamen inter scribendum. Putat enim Bileam se maledicere Dei populo, cùm fausta, & felicia quæque precatur. Post Zuinglium, Oecolampadium traducit, *quem ictibus diaboli horribilibus, & quassationibus subitò extinctum esse* flagitiosissimè mentitur. Nec contentus uno hoc mendacio in margine Lutherum tom. 7. de Missa privata citat. Quem libellum protestor me ter percurrisse, & ne tamen semel quidem Oecolampadii nomen offendisse. Quisquis hoc mendacium Critico suppeditavit, næ is Cretensi regno dignus est! Omnes enim, qui calumniis suis pium Oecolampadii excessum conspuêrunt, longissimè superavit. Surius ad annum 1531. hoc tantùm dicit: *Scripsere quidam de eo ipso Oecolampadio, quòd ferro primùm, deinde veneno sibi mortem inferre conatus sit, sed à suis impeditus subitâ morte perierit.* Bellarm. lib. 4. de Eccles. Milit. cap. 17. & Coster. Apol. part. 3. cap. 1. *subitò mortuum dicunt; & cum vesperi sanus cubitum ivisset, mane ab uxore mortuum fuisse inventum in lecto.* Vtrumque tamen falsissimum. *Stultum esse credere potius absentibus, quàm iis qui interfuere*, docet nos Bellarm. lib. 3. de Eccl. Milit. cap. 14. Nulli ergo de Oecolampadii morte audiri merentur quam *VVolfgangus Capito, & Simon Grynæus*, qui morienti collegæ adfuere, & ea quæ viderunt, & audiverunt scripto evulgarunt: Testantur autem: *Eum sexdecim dies ex anthrace decubuisse, astantes sæpe ad orationes esse hortatum, constanter sæpe optasse pro Christo mori, dixisse se lætum ad Christi tribunal proficisci, piam ad uxorem & liberos admonitionem habuisse, decem ministros ei morienti adfuisse, ac postquam Psalmum 51. integrum recitasset, dixisse, Serva me Domine Iesu Christe, & simul animam Christo tradidisse.* Condonarem hoc mendacium Fromondi Genio, talibus enim delitiis à teneris recreari solet, si illud calumniâ, & blasphemiâ non condivisset. Ita enim de utroque *Zuinglio*, & *Oecolampadio* dicit pag. 19. *Occubuit Zuinglius natus annos quadraginta quatuor, traxitque secum duobus mensibus post fidum Achatem suum Ioannem Oecolampadium, annorum quadraginta novem, ætate adhuc florentem.* Φεῦ τῆς βλασφημίας! Eadem de causa convitium dicat diabolus benedicto servatori nostro. Passus est enim ante quadragesimum annum, decennio aut præter propter minor Zuinglio. Pios sæpe Deus in medio vitæ cursu ad se citat, ne videant imminens malum. Cùm *impii* contrà *vivant, veterascant, & viribus valeant*. Iob. 21. vers. 7.

XI. Gratias Deo, portum jam video, & propè ad capitis IV. finem accessi. Sed quàm vadosus, limosus, impurus & ille est. Cauda etenim hirquina digna asinino capite. Voetium cum Voetio committere, id est ad absurdum, & contradictionem adigere laborat, sed tam ineptè, ut me ipsum hominis pudeat. Dicit Voetius in Causa Desperata pag. 293. *Alibi si ventres, aut factiosi aliqui, sæpe propter politicas rationes à potestate sæculari, aut ex legitima Ecclesiæ disciplina remoti, & Episcopatus eorum in digniores translatus est, non tamen ministerium à fundamentis subversum magis, quàm Politiam evertunt Principes, aut magistratus, qui inertes, aut infidos officiarios potestate suâ spoliant, & melioribus sive verè, sive ipsorum opinione eam conferunt; quale exemplum Es. 22. in Schebna domus præfecto occurrit. Et Theatrum exemplorum nuper fuit Gallia, Germania, Hispania. Hoc est stabilire, & honorare cathedram, & ministerium, cùm ejectis abutentibus, modo legitimo in eam mittuntur illi, qui illâ in salutem populi rectè utantur. Salus enim populi hic suprema lex esto.* Exultat, & ridet hic Censor, quasi cum pueris vermiculum in faba reppérisset, & Voetium jam manibus, & calcibus multaret. Hinc lymphantis instar etiam exclamat pag. 20. *Iam tandem apertè, & sine parabola loqueris, & in casses incidis, quos tam tortuose, & tantâ arte antè vitasti.* Ἀρχιμήδειον σόφισμα. Qui dicit quosdam ἀπίκτους, & κακὰ θηρία ejecta esse ex Ecclesia, an ille

propterea negat eos, quorum auſpiciis hoc factum, legitimam ad hoc vocationem habere? Si ego Lovanium venirem, & Fromondus me incarcerari curaret, an non crucem me promeritum eſſe diceret, ſi exciperem eum nullum habere vocationem? Magiſtratus cum gladium ſtringit in immorigeros, nihil inordinati, aut indigni officio ſuo committit. Nec Papa ex Fromondi Theologia, cum hæreticos excommunicat, eoſque ferro, igni, rotę adjudicat, quid indecorum triplici coronæ deſignat. Qui inutiles ramos amputat, nullam fertilibus injuriam facit. Si alicubi ſub prima Reformationis auſpicia, quidam ſacerdotes & monachi refractarii, ac nullius frugi depoſiti, & ejecti ſint, quod flagitium eſt commiſſum? Miniſtri cum Eccleſiis in Reformando functi ſunt ſuo officio, Magiſtratus etiam ſuo: & quia utrique ritè & legitimè erant ordinati, legitimè etiam uſi fuere poteſtate ſua in deponendis, deportandis, & caſtigandis iis, quos exiſtimabant aut infrugifera Eccleſiæ membra, aut otioſos cives eſſe. Iudicate, Lectores qui cor habetis (Fromondus enim ſuum jam olim evomuit) an hic vel umbram Contradictionis conſpiciatis? Voetius in Deſperata Cauſa invictis argumentis probat, primos Reformatores legitimam habuiſſe vocationem, & potuiſſe ſecundum illā vocationem, Reformationis opus aggredi, Latiæque Babyloni bellum indicere, nec non concurrentibus ſuffragiis, & authoritate eorum, (quorum jure divino & antiquo Eccleſiaſtico intererat in ἀτάκτους diſciplinam Eccleſiaſticam exercere.) Dein objicienti Ianſenio, & ad ravim clamanti *ſubverſum à primis Reformatoribus fuiſſe ordinarium miniſterium.* In Spong. pag. 293. Negat illud, & addit: *Tantum abeſſe ut miniſterium ſit everſum, cùm ne miniſtri quidem ſint everſi*: & ſimul immediatè ſuprà laudata verba ſubjicit. Quis Lynceus vel contradictionis veſtigium hic videat? Ignoſco verò tibi, Fromonde, de die enim ac nocte æquè acutum in Theologia vides, atque Brabantini talpæ.

XII. Quod dein nugator de turbis, ad quas feneſtra aperta eſt per Reformationem, ſubjicit, reſponſione non indiget. Ad nauſeam propè hoc diluit Voetius in Deſperata Cauſa, nec ſolùm diluit, ſed ſolidiſſimè etiam probavit, ut ipſe Fromondus fateri compellitur, quandoquidem ne unam quidem ejus reſponſionem arrodere fuit auſus. Denique non contradicit ſibi Voetius, quòd poſtquam probaſſet Lutherum, Zuinglium, &c. ab Eccleſia in Papatu ordinariam habuiſſe vocationem dicat pag. 255. *Abſque ſpeciali commiſſione, aut nova miſſione licuiſſe ſaltem Luthero, Zuinglio, &c. quod fæminis & privato cuique licet: ut ſcilicet infideles, aut errantes euangelizando, & verbum Dei annunciando, in viam revocent, & à ſeductoribus (in Papatu ſcil.) abductos, Chriſto, & veræ Eccleſiæ lucrifaciant, quamvis renitente ordinario, infideli, & idololatrico ſacerdotio.* Hoc non eſt, ut calumnioſè dicit Fromondus pag. 21. *Sub privatæ inſtructionis mantelo contra infideles, & idololatras, &c. ſacerdotes furere.* Quod Voetius dicit, etiam Ianſenius dicit. Ad hoc diſtinguit inter officia quæ miniſtris ſunt peculiaria, & quæ communia habent cum reliquis Chriſtianis. Quare cavit ſibi vocula *ſaltem*, quam ſceleſtiſſimè plagiarius Fromondus omiſit. Qui dicit Magiſtratibus ſaltem licere quod civibus, ſi negetur ei quod ratione muneris publici convenit, quid quęſo is aut abſurdi, aut indigni dicit? Si negetur miniſtris publicè verbum Dei pro ſuggeſtu prædicare, quis prohibere poteſt quo minus errantes moneant, & afflictos conſolentur? Et quis unquam tam ineptus rabula præter Fromondum extitit, qui civem ſeditioſum vocavit, quod officium viri boni contra civem ſuum exerceret? Videat autem quomodo cum nitrato Ianſenio, reliquiſque pſeudo-Epiſcopis in gratiam redeat, quando putatitias virgines [quas cloppas vocamus ab antiqua Belgica voce cloppen, hoc eſt, caſtrare, non quod ob vitam æternam, ſed libidinoſum, garrulumque otium ſe caſtrarint] Epiſcopis æquales facit. Diſcurſant miſeræ, & fatuæ, totos dies cum Phariſæis, omnibuſque inertia, loquacitate, ſæpe etiam voluptate ſcandalum præbent, ut unum tantùm faciant filium Gehennæ. Monent, hortantur, precantur, ſupplicant omnibus, & quantum in ſe eſt deformationem Eccleſiæ, & veritatis, omni conatu & ſtudio promovent.

XIII. Quod iterum ſub Cap. IV. finem de

imagi-

imaginum (idololorum puta) *fractione, & templorum expilatione* crepat, probare debuisset. Nisi putet nos à duobus Carthusiani Surii locis ita attonitos esse redditos, ut fari non audeamus. Thesin suprá statuimus, eam oppugnet, aut saltem arrodat: nos cum bono Deo vadimonium non deseremus. Quæ postea duabus ultimis distinctionibus garrit, vel legere, nedum examinare operæ pretium ducimus. Si placeat tibi, Lector, ineptias ineptissimas videre, ipse librum inspicito, & mecum jurabis te in tot verbis neque caput, neque pedes videre.

CAPVT VI.

De exorcismis. Probatur Ecclesiam Papanam in iis indirectam Magiam exercere, nec sequi praxin primitivæ Ecclesiæ. Iure reprehensus à Voetio Iansenius est quòd vocem εὐλογεῖν quæ à Paulo 1 Cor. 11. usurpatur in historia institutionis cœnæ Dominicæ, traxerit ad susurros Magicos.

I. ACcedimus ad examen quinti capitis, quo ad insaniam laborat Fromondus, ne Papanum conciliabulum audiat Magorum receptaculum, & Magiæ palæstra. Tanti refert aliud videri, quàm esse! Quamvis autem solidissimè ostenderit Voetius omnia incantationibus, exorcismis, magis, & diabolorum invocationibus ibi perstrepere, nihil tamen movetur Censor, nec agit hoc, quod agit. Crederes eum dormitasse, dum hæc scriberet, aut meditatum esse, quomodo Pontificis plumbum in aurum transformetur. Principiò Voetium petit, & calumniam Iansenii in humeros ejus omni studio transferre satagit. Tantundem verò agit, ac si AEthnam de loco suo movere vellet. Quo sensu, & qua occasione in Philonio dixerit Voetius palam *Zoroastræos susurros* in Papatu audiri, videre apud eum est in Desperata Causa pag. 24. Fromondus Apologiæ illi non nisi fatuum λήρων καὶ λόγων jusculum opponit: & tamen tam plaudit sibi, ac si cornici oculum. Verba Voetii, quæ miserè detorquet indoctus tornator, loco cit. tam clarè ab eo ipso sunt asserta, ut Fromondi more rem actam acturus sim, si verbulum addidero. Iudica, quæso, Lector, an idem sit, cum Voetio dicere pag. 25. Desperatæ Causæ: *In exorcismis, & benedictionibus Ecclesiæ Romanæ implicari quandam speciem Magiæ, non quidem apertæ, ac simpliciter diabolicæ, sed occultæ, ac diabolicæ mixtæ.* Ac quod per calumniam Iansenius in Spongia pag. 13. abjecerat: *Ei creatoris invocationem super creaturas videri diabolicam esse incantationem.* Vt insulsè delirat Fromondus. Qui indirectè & interpretativè magus est, non est mox dicendus diabolicus incantator, aut qui speciem quam magiæ exercet, etiam incantationum reus est. Vulgus Papisticum quod inter nos vivit, vanant observantiam, divinationem, & interpretativā magiam exercet teste Tolet. lib. 4. de Instruct. Sacerd. cap. 16. quando in die Ascensionis, & D. Iohannis ante solis ortum herbas decerpit. Quis tamen præter Fromondum propterea illos deferret ad Mallei inquisitores? Alia ergo incantatio, alia occulta, ac implicita magia est: nec Voetius, quando Papanos hujus insimulat, etiam alterius criminis reos esse statuit.

II. Dein ὑ δαιμονίων ἐνθουσιᾷ, καὶ κορυβαντιᾷ pag. 23. & 24. Vt probet exorcisationes esse Dei invocationes. Sed examinemus ejus argumenta. *Compertum est*, inquit, *omnibus Latinam intelligentibus, formulis illis precationes, & Dei super creaturas invocationes (explicitè, aut implicitè, quæ in moralibus istis apud omnes Theologos idem valent) contineri.* Audio & video quidem illud, *Compertum est omnibus.* At ubi omnes illi volitent, ignoro. Sanè nemo ex Scholasticis, qui tamen præ vulgo accuratius solent θεολογεῖν, dicet formulas illas nihil *discrepare à precationibus.* Non etenim, ut vulgo salutatur, Angelicus Doctor Thomas. Accuratè enim distinguit 2. 2. quæst. 90. art. 2. *inter adjurationem, quæ est per modum deprecationis, aut inductionis: & eam quæ est per modum compulsionis.* Quorsum quoque hoc commentum de exorcismis precatoriis? In praxi exorcizandi manifestè distinguuntur *precationes, orationes, adjurationes, conjurationes, exprobrationes,* ut & à Voetio est ostensum in Desper. Caus. pag. 27. Pars, non est totum: nec membrum corpus. Dices fortè Fromonde, etiam in con-

jurationibus, & exprobrationibus ſpeciem precationis inveniri? Sed dices hoc faciliùs, quàm probabis. Quis ſanus enim, qui à limine duntaxat Theologiam ſalutavit, & definire ſcit precationem, vel veſtigium ejus in ſequentibus exorciſmorum formulis (quas auctarii vice iis adjungo, quas Voetius in Deſperata Cauſa exhibuit) deprehendere poterit? In Flagello dæmonum Hier. Mengi pag. 65. hoc ſacrum carmen occurrit: *Exorcizo te N. in nomine Dei Pa ✠ tris Omnipotentis, & in nomine Ieſu ✠ Chriſti filii ejus, Domini noſtri, & in virtute Spiritus ✠ Sancti, ut fias vas mundum, ſanctum, & purgatum ab omni labe iniquitatis, & ab omnibus maleficiis, incantationibus, ligationibus, ſignaturis, & facturis*, &c. Et pag. 67. Non Deum ſed diabolum alloquitur Exorciſta, hoc eſt, interprete Fromondo, precatur: *Audi immunde Spiritus diabole, admoneo te, exorcizo ✠ te, atque tibi præcipio tentator, vane, inſenſate, falſe, hæretice, vacue, inimice, ebrioſe*, &c. Similiter pag. 92. *Audi maligniſſime dæmon, audi creatura damnata, reprobata, & maledicta à Deo, audi, inquam, ſuperbiam tuam. Deum, qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus domini creatoris tui, qui te ob ſuperbiam tuam æternis ignibus, cum principe tuo Satana, & aliis dæmonibus mancipavit.* Flagello pag. 129. *Adjuro te ✠ per omnes Apoſtolos Chriſti. Adjuro te ✠ per omnes Martyres Chriſti. ✠ per omnes Confeſſores Chriſti, ✠ per omnes virgines Chriſti, ✠ per omnes miniſtros Chriſti. Adjuro te ✠ per crucifixum Salvatorem, ✠ per Michaëlem, Gabrielem, & Raphaëlem. Adjuro te ✠ per tremendum diem judicii, ✠ per reſurrectionem Salvatoris, ✠ per Patriarchas & Prophetas, ✠ per Principem Apoſtolorum ſanctum Petrum.* Item in Flagello pag. 73. *Iterum conjuro te ✠ maledicte dæmon per omnes orationes Patriarcharum, & merita Prophetarum, & ſuffragia Apoſtolorum, & victoriam Martyrum, & per fidem Confeſſorum, & deprecationes Virginum, & per interceſſionem omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei, qui Deo placuerunt ab initio mundi, ut ſtatim ab hac creatura* Dei *N. exeas, & recedas. Iterum conjuro te ✠ dæmon, per ſanctum Abel, qui inter Martyres fuit primus. Per ſanctum Enoch, qui ambulavit coram Deo, & tranſlatus eſt è mundo.* Dicite vos omnes, domini ἔνδες ubi in his formulis indicia precum videatis? Quid tacetis? *Ad orationem*, inquit Thomas 2. 2. quæſt. 83. art. 17. *tria requiruntur: quorum primum eſt, ut orans accedat ad Deum, quem orat, &c. Secundò requiritur petitio ſive indeterminatè, &c. ſive ſolum factum narretur, &c. Tertiò requiritur ratio impetrandi, quod petitur: & hoc vel ex parte Dei, vel ex parte petentis.* Quis ita oculeus eſt, ut vel portiunculam trium horum requiſitorum in Exorciſmis videat? Sed quid ad omnium oculos provoco? Domi habemus Lovanienſem Argum, quando is ocularia obeſo naſo imponit, precationem implicitam videt. Ita enim perquam jactabundè. pag. 23. *Eſt enim compertum*, &c. (ab eo ipſo nempe cum radio ſtellas menſurat) *formulis illis precationes, & Dei ſuper creaturam invocationes explicitè, aut implicitè (quæ in Moralibus iſtis apud Theologos idem valent) contineri.* Cothurni quidem ſunt termini hi *explicitè, & implicitè*. Non magis tamen pedi huic aptari poſſunt, quàm Fromondi crepida ejus capiti. Oratio eſt aſcenſio mentis ad Deum, fidei Ieſu Chriſti velut ſcalis inſiſtens. Omnis qui precatur ad Deum tendit. Quod de præcedentibus formulis dici non poteſt. Nec preces vocari poſſunt. I. Quia eſt de eſſentia precum, ut Deus compelletur, ac ad eum ſumma votorum dirigatur, non autem ad ſalem, chriſma, aquam, aut diabolum. II. Leviſſima quæque cogitatio de Deo, attributis, operibus, aut judiciis ejus aut ulla re, quatenus habet reſpectum ad Deum dicenda eſſet precatio implicita, quod tamen abſurdiſſimum eſt. III. Ejuſmodi precatio eſſet prorſus inefficax, nunquam enim proveniret ex ſpeciali fide exauditionis. Specialis fides non ſtatuit tantùm Deo placere quod petit, ſed certò etiam credit ſe illud impetraturam eſſe per Chriſti merita: quod neutrum eſſe poteſt in præcedentibus exorcizandi & exprobrandi formulis. Sed video cur implicitè Deum invocari ſtatuat in Exorciſticis formulis. *In quibuſdam Dei, & ejus attributorum mentio fit.* Subtiliter. Ergo ſecundum Fromondum ob preces, & pium opus filius Iiſraëlitidis Levit. 24. lapidibus obrutus, falsòque inſimulatus eſt blaſphemiæ in Deum? Ad hoc Michael Archangelus precabatur, cum Iudæ verſ. 9. diabolo

bolo

bolo diceret, *Increpet te Deus.* Et si quis spectabilem professorem sic salutaret, *Per Deum diabolus tibi frangat collum*: stomachari non deberet, nam benediceret.

III. Et hæc prima Aristarchi est responsio pro Exorcismis. *Secunda* latitare videtur in his verbis. *Quid*, inquit pag. 24. *aliud est exorcizare creaturam illam insensibilem, quàm per Ecclesiæ preces dæmonem abigere, ne creaturâ tali, ut instrumento ad nocendum abutatur.* Argutè. At quis unquam ita definivit exorcismos, aut exposuit vocem exorcizare? ὁρκίζειν occurrit Act. 19. v. 14. & 1 Thess. 5. v. 27. utrobique autem notat adjurare, quod quid significet, optimè docet August. lib. de Vita Beata: *Spiritus*, inquit, *malus invadit animam, turbat sensus, in furorem conjicit: quo explodendo, qui præsunt, manus imponunt, & exorcizant, hoc est eum adjurando per divina expellunt.* Ita Caiphas Matth. 26. vers. 63. *Benedictum servatorem nostrum adjurat* (ἐξορκίζει) *per Deum viventem, ut dicat sibi sitne Christus filius ille Dei.* Quis autem nisi ipsa ignorantiâ indoctior dicere ausit flagitiosum pontificem idem fecisse, ac si filium Dei orasset? Sed, *Exorcizantur sal, medicamentum, quatuor elementa, &c. ne sint instrumenta diaboli.* Falsò. Cur non eàdem de causâ ergo, vestes quoque, arma, supellex & similia adjurantur? Et illis diabolus ut instrumentis uti potest. Sed alia est cur hæc potius, quàm alia adjurentur, aut ut callidè loquitur malleus maleficorum, *benedicantur.* Sal, thus, myrrha, aqua benedicta, & similes quisquiliæ sunt ordinaria remedia magorum, qui ut pallient suam turpitudinem contra omnia placita sacrorum Theologorum, & Philosophorum ejusmodi creaturis naturalem vim ad fugandos dæmonas tribuunt. Agrippa lib. 3. de Occulta Philos. cap. 57. *Aquæ purificatæ*, inquit, *vel benedictæ aspersiones, inunctiones quædam, & suffumigationes non tam ad hoc sacratæ sunt, quam etiam naturaliter hanc vim possident: sulphur, aqua marina, myrrha, verbena, similiter fel canis nigri suffitum valet ad expiandum dæmones malos, & maleficia ubicunque fuerint.* Conferantur cum his Exorcismi, qui occurrunt apud Mengum *in remediis*, ut dicit, *efficacissimis ad malignos spiritus expellendos.* Ita ibi pag. 62. legitur: *Exorcizo te creatura incensi, vel sulphuris, vel myrrhæ, vel ligni aloë, vel camphoræ,* &c. Bella etenim sanctificatio creaturarum! ubi illius vestigium in Scriptura conspicitur? Apostolus 1 Timoth. 4. vers. 5. & 6. dicit: Πᾶν κτίσμα Θεοῦ καλὸν εἶναι, καὶ ἁγιάζεσθαι διὰ λόγου Θεοῦ, καὶ ἐντεύξεως. Doleo oppidò illius vicem quod de Exorcismis efficacissimis scilicet illis sanctificandi carminibus nihil sciverit.

IV. Sed de energumenorum exorcismis ex Patribus ranam coaxantem audiamus. *Vis*, inquit pag. 24. *præter tot alia argumenta exorcismorum sanctitatem, antiquitatemque cognoscere?* Ac dein citat Tertull. de Spectac. cap. 26. & Cyprian. lib. advers. Demetr. Miror verò ex qua cloaca testimonia hæc hauserit; si Delrionis Disquisitiones Magicas, saltem aut Bailii Catechesin inspexisset, plura, & longè clariora invenisset. *Præter tot alia argumenta.* Dic mihi ingenuè, Fromonde, in quo antro putidi tui cerebri hæc *tot alia argumenta* stabulentur. Iactas divitias, & nummum non possides plumbeum. Si velis esse quod videri cupis, refellito quæ respondebo, divitias argumentorum in apricum proferto, & omnes tibi ut unctiusculo assurgemus. Patres ad patrocinium exorcismorum advocant Papani. Quid tum verò? Nec nobis adversantur, nec eorum magicam superstitionem juvant. In primitiva Apostolica Ecclesia, in qua multa extraordinaria dona Sp. sancti erant, ex fidelibus quidam, secundum promissionem servatoris nostri Marci 16. vers. 17. non tantum præditi fuere dono sanationum, sed ejiciendi etiam immundos spiritus. Mansere hæc dona diu: nec tantum, ut Fromondus putat, ad Cypriani ævum, sed Augustini quoque: ut colligitur ex eo lib. 10. de Civit. Dei cap. 22. Potestatem autem hanc in dæmones, non clerici solùm, sed multi quoque ex laicis (ut loquuntur) immo militibus habebant. Quò facit egregius locus Tertull. lib. de Corona Militis cap. 11. scribens enim adversus eos, qui ultro militabant principibus, inter alia dicit: *Quos interdiu exorcismus fugavit, noctu defendit.* Item de Idolol. cap. 6. *Si excluserit thurarius dæmonium, non sibi placeat de fide, non enim inimicum exclusit.* Cessasse donum hoc inter Christianos videtur circa

circa Prosperi ævum id est annum 450, aut circa. Certè sua ætate obsessos in templum fuisse deductos, & Ecclesiæ precibus liberatos, testatur. Postea exorcisatio in histrioniam transiit, & exorcistis injunctum est catechumenos instituere, & exsibilationibus ad baptismum præparare, imo baptisare quoque, ut testatur liber de Eccl. dogmatis cap. 51. Quàm bene autem, jam non disputo. Ostendêre illud millies Doctores nostri, quorum responsiones, & sententiam contra quorumvis clamores defendere parati sumus. Hodie verò supposititii hi exorcistæ conflati sunt in presbyteros, qui soli per ridiculam Episcopi ordinationem, & saltabundam promotionem per omnes ordines jus habent infantes, quos Apostolus 1 Cor. 7. vers. 14. Sanctos esse testatur, exorcizandi, & baptisandi. Quæ autem hic, quæso, antiquitatis sunt reliquiæ.

V. Scio, Fromondus dicet in his consistere similitudinem, *quòd increparetur, & interrogationibus oneraretur ab Exorcista dæmonium.* Sed unde probabit? In eo quem ex Cypriano adversus Demetrianum citat loco, tantùm adjurationum fit mentio. De mutuis illis interrogationibus, quæ hodie in praxi frequentantur οὐδὲ γρῦ. Apostoli verbo ejecerunt diabolos, ac ut dicit Euseb. Cæsariensis in Panegyr. *In Christi nomine egredi jusserunt dæmones paucis verbis: totius naturæ dominium & imperium omnis abstrusæ virtutis in cœlo, & in terra & in Spiritum potentem ore suo gerentes.* Postea in primitiva Ecclesia per Deum vivum, & nomen Iesu Christi adjurari, & ejici cæperunt. Minut. Felix in Octavio. *Adjurati,* inquit, *enim dæmones per Deum verum, & solum inviti miseris corporibus inhærescunt: & vel exiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat, vel gratia curantis aspirat.* Iustinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Iudæo: Καὶ νῦν ἡμεῖς οἱ πιστεύοντες ἐπὶ τὸν σταυρωθέντα ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, Ἰησοῦν κύριον ἡμῶν τὰ δαιμόνια πάντα, καὶ πνεύματα πονηρὰ ἐξορκίζοντες, ὑποτασσόμενα ἡμῖν ἔχομεν. hoc est: *Nos autem qui in Iesum Christum dominum nostrum crucifixum sub Pontio Pilato credimus, omnes Dæmones, & malos spiritus adjurantes eos nobis subjectos habemus.* Et postea: κατὰ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ τούτου τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, καὶ πρωτοτόκου πάσης κτίσεως, &c. Πᾶν δαιμόνιον ἐξορκιζόμενον νικᾶται, καὶ ὑποτάσσεται, hoc est, *Per nomen ejus, qui filius Dei est, & primogenitus omnis creaturæ, omne dæmonium adjuratum vincitur, ac subjicitur.* Firmicus de errore prof. Religionis: *Ecce,* inquit, *dæmon est, quem colis, cùm Dei, & Christi ejus nomen audierit, contremiscit, & ut interrogantibus nobis respondeat trepidantia verba, vix se colligit: adhærens homini lacerator, uritur, vapulat & statim de commissis sceleribus fatetur.* Quàm dissimilis hæc adjurandi ratio ab ea, quæ hodie in Papatu exercetur! Nolo inficias ire magicos quosdam ritus, & ridiculas superstitiones defæcatissimæ praxi paulatim fuisse admixtos. Sed irrepsêre illi ex Iudaismo, frustra reclamantibus doctissimis quibusque. Ex uno Origine suffecerit illud probasse Tract. 35. in Mathæum ait: *Quæret aliquis, si convenit vel Dæmones adjurare: & qui respicit ad multos qui talia facere ausi sunt, dicet non sine ratione fieri hoc: qui aspicit Iesum imperantem Dæmonibus, sed etiam potestatem dantem discipulis super omnia dæmonia, & ut infirmitates sanarent, dicet quoniam non est secundum potestatem datam à Salvatore adjurare dæmonia. Iudaicum est enim.* Rectè dicit doctissimus Patrum Iudaismum redolere Exorcismos. Illud enim verissimum est. Filii enim Scevæ Iudæi principis sacerdotum irrito conatu adjurant dæmoniacos per Iesum, quem Paulus prædicabat. Act. 19. vers. 12, 13, 14. Facit huc & locus Math. 12. vers. 27. Vbi ita Dominus respondet: *Si ego per Beelsebud ejicio dæmonia, filii vestri per quem ejiciunt?* Filii ibi nulli alii sunt quàm Iudæorum exorcistæ, ut rectè animadvertit Hieronymus: illi nempe qui ex libro falsò asscripto regi Salomoni, cujus mentionem facit Ioseph. lib. 8. Antiq. Iudaic. cap. 2. didicerant rationem adjurandi, constringendi, & ejiciendi dæmones. Iudæis successere Simonis Magi discipuli, teste Iren. enim lib. 1. Adversf. hæres. cap. 20. *Exorcismis, & incantationibus usi sunt.* Dein Simonem ut in plerisque aliis æmulata est Romana Ecclesia. Vides jam opinor, Fromonde, incunabula, progressus, & totam nobilitatem Exorcismorum tuorum. Si in iis recensendis alicubi fallar, argue quæso, & liberè reprehende.

VI. Ne quis verò putet me & Voetium tantùm Exorcismos execrari. Ecce duos assiduos, & omni exceptione majores ex medio Papatu testes. Prior est Ioannes Sarisburiensis Carnotensis Episcopus, ac ut scribit Trithemius Thomæ Cantuariensis pseudo-martyris discipulus. Is ita lib. 2. de Nugis Curialibus cap. 26. *Cum ergo*, inquit, *Spiritus sancti gratia improbatis subtrahitur exorcismis, qui eis non tam utuntur, quàm abutuntur, offendunt in Spiritum, quo recedente ejus sibi nituntur virtutem, & efficaciam retinere.* Alter est Ioannes Gerson *Cancellarius florentissimæ Academiæ Parisiensis Theologiæ Scholasticæ peritissimus*, ut de eo existimat Sixtus Senensis lib. 4. Bibl. pag. 272. Is autem in Tract. *de erroribus circa artem Magicam*, post prolixam disputationem contra ligaturas, aliasque species occultæ Magiæ, ita tandem sibi per occupationem objicit: *Nonne inquiunt talia, frequenter fiunt, aut tolerantur ab Ecclesia in peregrinationibus certis, in cultu imaginum, in cereis, aut ceris, aut aquis benedictis, & in exorcismis? Nonne dicitur quotidie, si novem diebus perdurat in hac Ecclesia, si ex aqua illa perfundatur, aut si tali se voveat imagini, aut si aliquid talium faciat, ipse mox sanabitur, & optato potietur?* Respondet dein: *Fateor abnegare non possumus, multa inter Christianos simplices sub specie religionis introducta esse, quorum sanctior esset omissio.* I jam, Fromonde, & ad ravim clama. *Quæ hic* (in exorcismis puta) *explicitæ, aut implicitæ magiæ diabolicæ vel levissima species potest ostendi?*

VII. Miror verò Censoris constantiam, ubique tam æqualiter disputat, quàm asinus ambulat. Ineptiis calumnias; calumniis mendacia tam dextrè succenturiat, acsi omnem ætatem inter tubas ac lituos transegisset. *Scio*, inquit pag. 25. *parentes quosdam apud vos hæreticos, cum filii, aut filiæ à dæmonio possidente agitarentur, comministros tuos adivisse, ut malum Genium vi divinâ depellerent, sed ingenuè fassos, se nihil hic posse, sed Sylvam-ducis, aut aliò ad Sacerdotes Catholicos irent.* Calidum mendacium semper audivi esse optimum, si hoc non ferveat ipso Fromondo sim ineptior. *Scio*, inquit, *comministros tuos*, &c. Basilicè ac Thrasonicè. Vbi vivunt, degunt, aut habitant hi comministri? Vnum si mihi dare possis, Fromonde, qui tam prodigaliter mendax es, pro arbitrio tuo sacrabo caput meum. *Ingenuè fassi sunt ministri se nihil posse.* Quasi verò quid possint sacerrimi, ebriosi, stupidissimi, ficosi, & deformatissimi sacrificuli? Novimus quod genus dæmoniorum ab atris Scævæ nepotulis ejiciatur. Pactum initur cum puella scelerata, aliove ignavo flagrione, eique persuadetur ut à diabolo, cui aliàs mancipio totus est, se fingat extra ordinem, diebus quasi festis torqueri, & sic exorcistam adeat, ad ejusque murmura, & nutus, modò altè, modò submissè lymphetur, donec tandem velut ecstasis eum corripuisset, mortuo similis appareat, ac domesticus diabolus horrendo cum strepitu in vacuum sacrificuli marsupium transmigret. Reclamabit, ubi hæc legerit Fromondus, sed etiamsi ferrea ei vox sit quotidianam tamen experientiam non obscurabit. Nota est historia de Martha Brosseria, & quam histrioniam cum ea egerint Monachi, & Capuccini Salmurii, Aureliæ, Andegavi, & postremò Lutetiæ. donec tandem Senatus decreto Agyrtas compescuit, fibulamque libidini miracula edendi imposuit. Non acquievissent tamen sententiæ illi, diaboli mangones, ni coëgisset Cardinalis Ossatus: augurabatur quippe, ut erat astutus, magnam exorcismis ignominiam inustum iri, si obsequentem muneribus & promissis puellam Romam pertraxissent. Vide sis, quisquis hæc legis Thuanum lib. 133. ad annum 1599. aut si pertinacem magis papistam desideres Petr. Mathæum lib. 2. Narrat. 3. Similis per omnia videtur fuisse diabolus Ottingensis ejectus anno 1570. à Patre Canisio, ut eum integro libello celebris Apostata Mart. Isengrinius descripsit. Novâ & inauditâ prorsus ratione ille è puella, quam obsederat, fugatus est. Neque enim aut exorcismis, aut aquâ benedictâ, similibusve quisquiliis, sed per ipsam virginem Mariam, quam missis & preculis per triduum continuatis, è cælo in terram evocaverat Canisius, expugnatus est: & quidem tanto cum horrore, ut simul ac Iesuita mussitaret nomen Mariæ è vestigio eum excoriatorem canum vocaret: Sanctè promittens se post viginti quatuor afflictiones è corpore discessurum esse. Verum nullam moram

concessit festinabundus Canisius: mox quippe statuam Virginis è veteri Ottinga attulit, eâque occipiti obsessi impositâ, exclamavit diabolus: *Dimitte me ô meretrix, quid me tam violenter calcas.* Nec tamen impune. Præceptor enim Canisius eum convitium hoc revocare, laudes Mariæ dicere, septies terram osculari, quinquies orationem dominicam, & toties salutationem Angelicam recitare imperiosissimè compulit. Et ut cognoscatis, Lectores Catholici, rarum & inusitatum miraculum, conversus est idem hic diabolus ad fidem Catholicam: nec tantum Catholicus caudatus, sed & devotissimæ idololatriæ Euangelista factus est. Si enim nobis non imponit Dom. Isengrinius (neque enim solet esse mendax fœmina) religiosissimus diabolus hunc in modum allocutus est semper virginem Matrem: *Ave Maria gratiâ plena, gratia & misericordia tua sit cum omnibus in hoc templo versantibus, ora Deum pro ipsis.* Et postea Concionatoris personâ assumptâ composito vultu ita profatus est: *En Christiani nos diaboli cogimur obedire Mariæ, & vos ipsi obedientiam negabitis?* Tandem egredi compulsus, miserando cum ejulatu, qui silices etiam fregisset, proclamavit: *Væ, væ, væ mihi misero, intra viginti annorum spatium nullus dæmoniorum tantis subjectus fuit tormentis, quantis ego.* Fromonde, nota bene hanc historiam: notate & vos omnes Papani, illustre enim est testimonium pro Catholica diaboli fide, certiusque probat diabolum patrem mendacii esse patronum religionis vestræ, quam ullibi in tota *Crisi* Fromondus ἀπαιδευσίαν aut hæresin Voetii ostendere potuit. Quid, mi domine Liberte, frontem caperas, & ad execrandum te componis? Parce maledictis, & chartæ ea reserva. Vt videas verò quàm bene ego cupiam verbositati tuæ Thuræum in Tract. de Dæmoniacis cap. 40. tibi commendo. Tam multa ibi de infelicibus Lutheri, & Calvini exorcismis ex Staphylo, ac Bolsero duobus scilicet egregiis viris, citata offendes, ut inde vel viginti piperis tunicas exornare possis.

VIII. Progrederer, sed manum injicit gloriatio censoris, qui post narratum mendacium in Voetii comministros, sic tandem patheticè totam hanc de Exorcismis rhetoricationem concludit: *Ita,* inquit, *inimici Ecclesiæ opem ejus, & apud Christum sponsum intercessionem necessitate compressi implorant, factoque ipso propaginem illius Ecclesiæ esse, cui Christus dixit, Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem, inimici agnoscunt, etsi verbis p tinacissimè negent.* Iô triumphe! iô! iô! Probavit Fromondus sentinam Romanam ipsissimam esse Ecclesiam Apostolicam. Vtinam persuadeat hæreticis! sed durum nimis est hoc terræ genus: non ita movetur, pertinaciter nimis adhæret Scripturæ sacræ. Quid an dæmonum ejectio est indubitatum τεκμήριον verè fidelis, & Ecclesiæ Catholicæ? Multi qui præsentiâ suâ infernum condecorabunt, novissimo die judicii totius terræ dicent: *Domine, nonne per nomen tuum dæmonia ejecimus?* Math. 7. vers. 22. Vt enim verissimè Theophyl. dicit in Comment. in Luc. cap. IX. *Multi sæpenumero miracula per dæmones fecerunt, at illorum prædicatio sana non fuit, quare neque miracula eorum ex Deo fuerunt.*

IX. Hactenus de exorcismis, accedimus ad replicam Fromondi, quam excogitavit contra Voetii exceptiones ad argumenta, quæ Iansenius in Spongia attulerat. Cùm autem varia ille adduxerit, & omnia difflaverit Voetius, duo tantùm Fromondus restaurare molitur, ultro dans reliqua contrita esse. Iansenius ex hoc Pauli loco 1 Cor. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus,* probare studebat licitam esse creatoris super creaturas invocationem. Voetius contrà multis in Desp. Pap. Causa p. 39. & seqq. ex lingua Græca, analogia linguæ Hebrææ, Interpretibus cujusvis generis, etiam Pontificiis ostendit, eô loci εὐλογεῖν nihil minus posse significare, sed necessariò exponendum esse pro benè precari, aut gratias agere, quæ duo toto cœlo distant à Zoroastræis Pontificiorum susurris. Fromondus autem omnia hæc silentio præteriens, integrum adhuc esse somniat Iansenii sui argumentum, ac ad id asserendum ita ridiculè argutatur: *Patres, Apostoli, Christus, verbis quibusdam creaturis benedixerunt, easque sanctificarunt, consecraveruntque, invocatâ variis formulis super ac in ipsas Dei virtute ad effectum aliquem moralem, aut physicum in iis operandum; ergo benedictiones panis,* vini,

vini, aquæ, olei, quæ ab Eccleſia uſurpantur, licitæ etiam ſunt, nec ſuperſtitionis inſimulari poſſunt. Conſequentia eſt à ſimili, juxta hoc axioma, Similium in quantum talium, ſimilis eſt ratio. Obteſtor vos omnes juvenes, qui Lovanii in Porco, Falcone, Caſtro, & Lilio philoſophiæ operamini, ut dicatis mihi ingenuè an intra annum quem abſurdiùs argumentantem audiveritis. *Primò* enim præſupponit Cenſor ut probatum, quod eſt in quæſtione. *Secundò* prætérit ac diſſimulat Voetii reſponſionem, nec eam vel uno verbulo arrodit. *Tertiò* ineptiſſimum committit paralogiſmum. Demus enim (quod nunquam tamen cum ſuis evincet Fromondus) εὐλογεῖν in ſanctificatione Calicis ſignificare invocare, & Patres idem docuiſſe de utroque ſacramento, quid tum tamen? A re, quæ materiæ vice fungitur in ſacramento, peſſimum ducitur argumentum ad reliquas creaturas. Non enim hæc ſunt ſimilia; panis cum calice gratiarum actionis, & ſal, myrrha, caro, bos, equus, &c. Si valeret hæc conſequentia liceret mihi concludere canes, feles, mures, glires, &c. baptiſandos eſſe: conveniunt enim in eo cum hominibus, quòd ſint creaturæ Dei. Hiſcere non debet Fromondus, ſi ita argumenter: *Chriſtus* Ioh. 2. & Math. 21. *ementes ac vendentes ejecit templo. Ergo Papa cum tota aula, omnes Epiſcopi, prælati, monachi, ac reliqui clerici, exterminandi ſunt Eccleſiâ, quia propalam Mercaturam & Simoniam in ea exercent.* Et hæc prima Fromondi replica eſt, in qua ita ſibi plaudit, ut dicat; *Hac una ratione tot folia, quæ laborioſè concinnaſti diſſolvuntur, & in ventos ludibria volant.* Probè, & more gentis. Sic etiam Pyrgopolynices germanus noſtri Cenſoris frater apud Plaut. Mil. Glorioſo;

Quemne ego ſervavi in campis Gurguſtidoniis,
Vbi Bombomachides, Cluninſtaridy ſarchides,
Erat imperator ſummus Neptuni nepos.

X Euge Lector acceſſimus ad calcem hujus capitis, in quo pro Cypriani loco, quem malâ fide à Ianſenio in Spongia productum fuiſſe oſtendit Voetius, mirum quàm ineptè noſter cornicatur. Verba hæc apud Cyprianum lib. 1. ep. 12. occurrunt: *Oportet verò mundari, & ſanctificari aquam priùs à ſacerdote, ut poſſit baptiſmo ſuo, peccata hominis, qui baptizatur, eluere.* Ianſenius in Spongia pag. 13. ſubdolè verba illa: *ut poßit baptiſmo ſuo,* & quæ ſequuntur, omiſerat, ut oſtenſum eſt à Voetio in Deſp. Cauſ. pag. 47. Oſtenditque accipiendum eſſe locum de aqua ſacramentali baptiſmi, quæ ſanctificatur per preces, ut & ultrò concedit Fromondus. Qui tam inſipidè garrit, ut etenim me pudeat ejus. Quid enim conſecratio aquæ baptiſmatis in primitiva Eccleſia per preces fieri ſolita, commune habet cum exorciſmis aquæ communis, ſalis, butyri, olei, panis, &c. Aut ubi Cyprianus docuit aſsâ voce dicendum eſſe *Ave ſanctum chriſma.* Diſputatur non de conſecrationibus ſignorum ſacramentalium per preces fieri ſolitis, ſed de exorcizationibus abſurdis ac impiis circa creaturas, quæ à Paulo 1 Timoth. 4. *bonæ* vocantur. Illud ſi cogitaſſet Fromondus, non ita ridiculum ſe præbuiſſet. Quod autem ad conſecrationem aquæ in baptiſmo, eam precibus peractam fuiſſe in primitiva Eccleſia ultrò damus, Papiſtiſque objicimus, ut videant quàm injurii ſint in venerandam antiquitatem, cujus perquàm laudabilem conſuetudinem hodie omittunt.

CAPVT VII.

Vindicatur Voetii fides in citandis authoribus, ab ineptiis & ſophiſmatis Fromondi. Ioannes XXII. ſemet ipſum Pontificem elegit. Iulius Cæſar Scaliger jam ſenex favit, & adhæſit reformatæ religioni. Adrianus Turnebus Ieſuitarum adverſarius fuit. Lutherus Conſubſtantiationem à Card. de Alliaco didicit.

I. PErreptavimus tandem ſterquilinium exorciſmorum, pervenimuſque ad VI. Criſios caput, quo tantas Ariſtarchus nugas dat, quantas ullus unquam mimus. Vellicat paucula teſtimonia, quæ ſparſim Voetius deſperatæ ſuæ cauſæ inſeruit. Ne autem nugigerulus audiat, etiam in anteceſſum ſub finem capitis præcedentis proteſtatur ſe omnia recenſere nolle, quod nimis longo opus foret elencho, ſed pauca tantùm, quæ memoriæ obverſarentur, annotaturum. Ita Thraſones facere ſolent: in maxima egeſtate divites videri

cupiunt. Sed omisso proloquio anticrisin in Crisin exerceamus. Principio exagitat Voetii fidem in citatione loci Augustini lib. 2. de Doct. Christ. cap. 6. in qua grande scilicet flagitium ejus amanuensis, & typographus commisere, omittentes otiosam, & supervacaneam particulam *fere*. Augustinus eô loci disputat de Scripturæ natura, in qua quædam quidem obscura esse fatetur, sed ita tamen ut illa quæ ad necessitatem salutis faciunt, aut clarè contineantur, aut clarè saltem cognosci possint. Postquam probasset hoc, ita dein loquitur: *Magnificè & salubriter Sp. sanctus ita Scripturas sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè alibi reperiatur.* Vrget illud *fere* magnopere quidem Bellarm. lib. 3. de verbo Dei cap. 2. At frustra. Illa enim verissima Hipponensis Episcopi opinio est, Sp. sanctum in locis apertis occurrere fami, hoc est, sufficere nobis ad detergendam famem, & ὄρεξιν vitæ æternæ. Quomodo & eodem lib. cap. 9. dicit: *In iis, quæ apertè in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi, spem salutis scilicet atque charitatem.* Quid tantopere ergo deliquit Voetius, si ejus amanuensis per incuriam particulam *fere* omiserit. Quod Augustinus vult, etiam Voetius vult, eoque non tantùm pag. 471. notatâ à Fromondo excerpit verba ex cap. 6. lib. 2. de Doct. Christ. sed etiam immediatè Lectorem suum ablegat ad cap. 9. quòd ibi luculenta dilucidatio præcedentium verborum occurrat. I jam Fromonde, & sufflа cum Perrono (è cujus vesica cranium tuum confectum videtur) quòd in Voetii strenui illius Plessæi promachi citationibus, voculam otiosam omissam esse offenderis.

II. Ab Augustino ad Irenæum transilit Proteus, è cujus lib. 2. adv. Hæres. cap. 46. pag. 345. Desper. Causæ illustre testimonium adduxit Voetius ad probandam lucem sacræ Scripturæ. Vellicat, & reprehendit hoc Fromondus pag. 28. ita clamitans: *O fidem Punicam! Irenæum deinde lib. 2. cap. 46. malâ fide detruncas, ut dicere eum facias universam Scripturam in aperto, & sine ambiguitate esse, cùm verba sequentia quæ neglexisti, apertè significent loqui solùm de Scripturis, quæ unum & solum Deum prædicant, & omnia fecisse per verbum suum.* Hæc Fromondus. Cui si in clamando par essem in triviis proclamarem, ô furciferi fidem! Provoco ad ipsum Irenæum, quem jurare ausim non inspexisse Censorem. Quemvis autem, qui Latinè tantùm scit rogo, & obsecro, ut ex ipsis antiquissimi patris verbis de Voetii candore, ac ineptissima Fromondi versutia sine præjudicio judicare velit. Verba ejus integrè sic sonant: *Cùm itaque universæ Scripturæ, & propheticæ, & Euangelicæ, in aperto, & sine ambiguitate, & similiter ab omnibus audiri possint, etsi non omnes credunt unum, & solum Deum, ad excludendos alios, prædicent omnia fecisse per verbum suum, sive visibilia, sive invisibilia, sive cælestia, sive terrena, sive aquatilia, sive subterranea, sicut probavimus ex ipsis Scripturarum fontibus.* Vbi hîc quæso Irenæus dicit, eas Scripturas solùm in aperto esse, quæ unum & solum Deum, eumque creatorem cæli & terræ prædicant?

III. Ab Irenæo trahimur ad Cornelium Iansenium Episcopum Gandavensem. Voetius pag. 354. disputans de vero sensu triplicis interrogationis à Servatore nostro Petro propositæ (in cujus responsione alteram columnam Papanæ hierarchiæ Pontificis Gnatones statuunt) obiter dixerat interprerationem istam, quæ statuit trinam interrogationem oppositam fuisse triplici abnegationi, à Iansenio *literalem* vocari. Quid hic peccatum? sive Iansenius interpretationem illam literalem vocet, sive ipse eam, quæ reverâ literalis est, adferat, & probet, nunquid hoc eodem redit? Miror verò adeo brutum, & truncum esse Fromondum, ut ausus fuerit ipsa Episcopi verba adducere, cum enim dicit cap. 148. Concord. *Hanc suam erga oves suas curam & dilectionem magis adhuc declaravit Dominus, cùm non semel tantùm, sed ternâ etiam vice Petrum interrogavit, idemque ei jussit: quanquam & alia sit ratio ter repetitæ jam à Domino interrogationis, nimirum ut Petrus trinâ confessione trinam recompensaret negationem.* An non apertè ostendit literali interpretationi hujus loci se favere? Et an non illa interpretatio quæ secundum literam est,

literalis

literalis vocari poteſt? Nec ſolùm Ianſenius autem vi veritatis ſuperatus ita locum illum eſt interpretatus, ſed quod miretur quis, Cardinalis Toletus quoque in Comm. primæ edit: in quem cùm in Deſp. Cauſa digitum tantùm intenderit Voetius, libet jam ipſa ejus verba, quia occurrunt, adſcribere. Ita verò dicit ad illam interrogationem Chriſti, *Simon Ioannis diligis me plus his? Hoc*, inquit, *dictum fuiſſe Patres judicant, ut Petrus trinæ negationi ſuæ ſatisfaceret. Communis expoſitio eſt (plus his) id eſt, pluſquam hi diligunt me. Non quod cognoverat Petrus aliorum amorem, ſed voluit Dominus probare Petrum in duobus, primum eſt humilitas. Nam qui ante paſsionem ſuperbè reſponderat omnibus ſe præferens:* Licet omnes ſcandalizati fuerint, ego nunquam ſcandalizabor, *jam alius factus, & interrogatus an diligeret Dominum plus cæteris Petrus non ſe præfert cæteris ſed judicium ſui Domino defert:* Tu ſcis quia amo te. *Alterum in quo probatur Petrus, eſt dilectio, quia ter negabat, ter interrogatus, ut inquit Cyrillus, de majori dilectione, quia qui majoris culpæ remiſsionem obtinuerat, majorem tenebatur exhibere dilectionem.* Hactenus Toletus.

IV. Poſt Patres, & Papanos Epiſcopos, muliebri fide à Voetio (ut mentitur Cenſor) citatos, tandem pro Scripturæ locis ab eodem, aut mutilatis, aut in hæreticum ſenſum detortis tumultuatur. Merebatur quippe opacus ille Sp. ſancti lucus poſtponi Soli ſanctorum Patrum, & Catholicorum ſcriptorum. Cùm pag. 353. Deſp. Cauſæ diſputaret Voetius de vero ſenſu hujus dicti Servatoris noſtri: *Paſce oves meas*: quo velut fulcro, nititur tota poteſtas Romani Pontificis. Ratione tertiâ probat ea non eſſe verba inſtitutionis aut collationis, ſed tantùm adhortationis. Eò quòd Paulus 2 Timoth. 4. verſ. 2. Timotheo dicat: *Prædica ſermonem, opus perage Euangeliſtæ.* & Petr. cap. 5. prioris epiſt. preſbyteris: *Paſcite gregem.* Fluctus hic in ſimpulo Fromondus concitat, Voetio exprobrans, quòd media verba ὁ ἐφ' ὑμῖν in hoc Petri loco omiſerit: ac ſimul Bezæ notas, quas tum credo primùm inſpicere dignatus fuit, adducit. Fateor, omiſit Voetius voces has ὁ ἐφ' ὑμῖν. Neque enim eò loci quicquam ad propoſitum faciebant. Si hæc mala fides eſt, eâ laborant, quotquot unquam in Theologia, aut Iuriſprudentia ſcripſere, quibus nihil eſt uſitatius, quàm ea tantùm verba ex textu Scripturæ, aut lege exhibere, quæ ſerviunt præſenti probationi. Si hoc eſt plagii crimen, totus mundus refertus eſt plagiariis. Vide ſis vero Doctor Ignorantiæ, qui Voetium ut falſarium inceſſis, ne incidas aliquando in cancros Inquiſitionis. Manifeſtè quippe Angelicum veſtrum Doctorem ut falſarium traducis, & quantum in te hæriticam pronuncias Catenam ejus auream. Ita autem Thomas dicit in proœm. Comm. in Mathæum ad Vrbanum IV. *In aſſumendis autem ſanctorum teſtimoniis plerunque oportuit aliqua reſcindi de medio ad prolixitatem vitandam: nec non ad manifeſtiorem ſenſum.*

V. Sed acumen videamus. Voetius pag. 253. & 254. ex variis Scripturæ teſtimoniis Lucifugæ Ianſenio oſtendit, licere Reformationem inſtituere, & legitimè ſæpe inſtitutam eſſe, etiamſi ordinarii ſacerdotes, idololatriâ, aliiſque enormibus vitiis infames ei pro virili ſe opponerent. Ad hoc comprobandum inter alia Sacræ Paginæ teſtimonia, quæ velut per ſatyram citat, adducit etiam 1 Reg. 12. v. 31. Vbi de Ieroboam dicitur, *quòd paraverit domum excelſorum, & paraverit ſacerdotes, qui non erant è filiis Levi.* Strepit & furit ad hæc incredibile quantum Fromondus. Sed tantùm contra umbram ſuam. Neque enim illud vult Voetius Lutherum, Zuinglium, &c. ſimiles eſſe ſacerdotibus Ieroboam, ſed hoc duntaxat: Quod quemadmodum ſacerdotibus Leviticis ſe oppoſuere ἀλλοτριόφυλλοι à Ieroboam lecti, ita & irreformabilis clerus, qui majorem partem jam ante multos annos ſeceſſionem à vera Eccleſia fecerat, ſe iis oppoſuit, qui verum Deum, tantùm in Spiritu ac veritate, ex præſcripto ejus infallibilis verbi, colere affectabant: Sed non intellexit vim argumenti ex loco illo adducti Fromondus: eôque tam ridiculè θεολογεῖ. *Si quid ad rem*, inquit, *afferre volebas, veros veteris legis ſacerdotes debebas, qui ſe Reformationi legitimæ oppoſuiſſent.* Argute. At hoc non poſtulavit Ianſenius paulò bubone hoc cordatior cap. 42. in margine citato. Non tam ſucceſſio genealogica, quàm doctrinæ,

ctrinæ, veros ſacerdotes ſub veteri fœdere probabat. Non omnes ſacerdotes, & legiſperiti, qui oppoſuere ſe Iohanni Bapt. & benedicto Servatori noſtro erant orthodoxi ſucceſſores, quamvis eſſent è tribu Levitica: ut omnes norunt, qui ſemel etiam Euangelicam hiſtoriam legere. Et tamen valet noſtrum argumentum ab oppoſitione, quæ illis contigit, ad reſiſtentiam cleri. Vt ultro ſilendo Cenſor Voetio concedere compellitur. Sufficit nobis ſacerdotes Idololatricos Ieroboami, ſe pro veris ſacerdotibus geſſiſſe. Quæ de Mufftis & Bonziis garrit ſophiſta, tam ſunt inſipida, ut etiam ſtatuæ riſum excutere poſſent. Lege ipſe, Lector, & tremulo cachinno triſulcum telum excuties Doctori. Si divagari cuperem, clariſſimè oſtendere poſſem, monachos, ſacerdotes, & totum clerum Romani conciliabuli, Mufftis Turcarum, & Bonziis Iaponum in multis tam ſimilem eſſe, ut non lac lacti magis. Quod ſubjicit dein de prophetis ab Obadia, contra ordinarios ſacerdotes Baal aſſertis. 1 Reg. 18. æquè eſt ineptum. Etiamſi ſacerdotes abominandi ejus idoli non eſſent ex tribu Levitica, æque tamen ordinarii erant in regno Iiſraëlitico, ac in Papaho, tempore Lutheri, Zuinglii, &c. Epiſcopi, Abbates, prælati, & ſacerdotes. Ordinarius is ſacrorum eſt antiſtes, qui ex ordine, & conſtitutione ſuperiorum, ut ut ea corrupta ſit, ſacris eſt præfectus. Tales ſanè quis negabit fuiſſe Baaliticos, & jam eſſe Mufftos Turcarum.

VI. Tertium dein locum à Voetio ex 1 Reg. 19. verſ. 18. adductum, vellicatim attingit. Negat in Deſper. Cauſa Voetius ordinarios probaſſe reformationem Eliæ. Fromondus ut eſt jactabundus, perquam faſtuosè ab Hieroſolymitanis ſacerdotibus, qui tum ſub pio Ioſaphato vivebant, comprobatam fuiſſe reſpondet pag. 30. Bellè etenim, & prorſus pro nobis. Quando ergo Papani poſthac ex nobis quærent, quis applauſerit reformationi Lutheri, jure ſummo Huſſitas ex Bohemia & Lituania, ac Piccardos & VValdenſes ex Gallia, & Pedemontano agro adferre poſſumus: utroque enim pollice faverunt ſancto illi operi, & magis manifeſtè conſenſum ſuum erga nos, quàm Hieroſolymitani ſacerdotes erga Eliam, oſtenderunt. Ex quo enim apice Scripturæ Fromondus, ſi urgeremus, oſtendere poſſet, ſanctiſſimum prophetam à Synagoga Hieroſolymitana poteſtatem accepiſſe ad expurgandam Eccleſiam Iiſraeliticam? Diviſa tum erat Iiſrael à Iudæa, æquè ut jam Orientalis Eccleſia ab Occidentali: & riderent nos ipſi opinor Pontificii, ſi probaturi faviſſe veros Chriſtianos operi Reformationis, adduceremus Patriarchas Conſtantinopolitanos, aut Eccleſiam Abiſſinorum.

Hactenus Scripturam, malè à Voetio, ut ſomniat Fromondus, tornatam aſſeruimus. Progredimur cum eo ad Hiſtoricas citationes. Antequam autem eas arrodat: tam laſcivè, ſtultè, & ridiculè inſultat Voetio, ut ni Profeſſor ordinarius Lovanii eſſet, certò jurarem eum annos aliquot in Anticyris cubuiſſe. Quid hoc enim, quod pag. 30. occurrit?

Vltrajectino *vendas tua ſcruta popello.*

Qualis mango ſit Voetius, & quæ ejus ſcruta, nolo multis referre: ſi ſub Fromondi ſidere natus eſſem, totam Philippicam ſcriberem. Illud verò concoquere nequeo, quòd tot viros nobiles, patricios, egregios, & eruditos mercatores, ac cives aſinus hic contemptim popello accenſeat. Scio profeſſos mendaciorum fraterculos in cathedris ſuis paſſim jactare, tunicatam tantùm plebeculam, & ſeductam turbam Reformatis Theologis adhærere, ac nobiliores quoſque omnino ab ea alienos eſſe. Sed quàm falſum hoc ſit, docere poterunt tributarii Papiſtæ, qui in Hollandia, & noſtra Vltrajectina diæceſi vivunt, quos ſæpe videre eſt femur ferientes, quòd tot viri eximii pro orthodoxa religione zelentur. Deſine ergo, Fromonde, Vltrajectinis meis maledicere, alioquin quem ex noſtratibus, in *Pietermannos* veſtros incitabis.

VII. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Voetius in Deſp. Cauſa p. 391. ex Platina probat Ioannem XXII. qui aliis eſt XXIII. ſe ipſum Pontificem elegiſſe. Negat hoc Fromondus pag. 30. apud Platinam haberi, & dein verba ejus prout detorta, ac corrupta ſunt ab Onuphrio, adducit. Quòd ſi veteres, & genuinas editiones, quæ jam ſedulò ubique à falſariis authorum premuntur, inſpicere dignatus fuiſſet, inveniſ-

ſet

ſet ibi *à viginti tribus Cardinalibus Iacobo Oſſæ Cadurcenſi delatum fuiſſe arbitrium creandi pontificis, eum verò ſemet Lugduni creaſſe, & dici voluiſſe Ioh.* XXIII. Ita enim expreſsè legitur in Platina Edit. Colon. Anni 1529. Onuphrii verò Platinam pili non facimus: non pauca in eo contra fidem antiquorum exemplarium, corrupta, vitiata, & loco ſuo mota ſunt. Ne quis verò de Platinæ fide dubitet, en aſſertorem illius Antoninum part. 3. tit. 21. cap. 4. ubi ad patrocinium inauditi facinoris inter alia hæc etiam dicit: *Quamvis in aliis electionibus, quis ſe ipſum eligere non valeat, tamen in electione Papæ non prohibetur, cùm ſibi committitur electio.*

VIII. Inter eos qui ex Politicis Reformationi in Galliis favere, recenſet quoque Voetius incomparabilem heroa, & fere plus quàm hominem *Iulium Cæſarem Scaligerum*, adducitque Thuanum lib. 21. ubi vita illius ſtrictim, & velut per indicem narratur. Quod vero verius eſt negat Fromondus, ut contra omnes, qui expurgatoriis Indicibus præficiuntur pag. 30. inſipidæ Criſios probare molitur illuſtriſſimum virorum Papanæ ſuperſtitioni, ac idololatriæ perpetuò faviſſe. Quamvis non negem autem, eum in juventute fermento Romano inebriatum fuiſſe (oſtendumt enim hoc varii ejus hymni ad Sanctos) in extrema tamen ætate magnam partem eum hoc evomuiſſe, & euangelicum nectar imbibiſſe, aſſevero. Enimvero quod certius eſſe poteſt ὀρθοδοξίας illius indicium, ut alia argumenta jam prætercam, quàm quod Thuanus lib. 33. ad annum 1562. refert, filium ejus Sylvium Scaligerum, qui præ omnibus patri erat dilectiſſimus, ac tot annos ab ore illius pependerat, à Proteſtantibus qui Aginni morabantur, oratorem eſſe miſſum ad Duracium, qui tum in illis oris regio exercitui imperabat. Sed rationes Fromondi audiamus: *Scripta*, inquit, *Iulii tibi aliud non dicent.* Itane mi Cenſor, canas ergo velim ad portas monachalium clauſtrorum elogia, quibus pigros ventres proſecutus eſt Scaliger. Ita enim lib. 4. Epidorp. pag. 44. raſam turbam celebrat:

Ex vulpe doloſa genita, hircoque ſalace,
Raptore lupo bellica, porcoque vorace,
Miro agmine glutine ferruminata miro:
Quæ ridiculè populum nundinetur ægrum:
Noſtris animis ingluviem quæ expleat altam:
Hi ſe à plateis, porticibuſque ſegregarunt,
Falſa ut tegerent otia, ſolitudinemque,
Captâ caveâ, diſſimulantibuſque clathris,
Ex inſidiis ad ſcelera atra prodeuntes.
Atque his operoſi inguinis, & ventris inertis
Victum vehere heu cogimur è labore noſtro:
Vt ſcorta, canes, & alant, quod dicere nolo.
Fultos igitur hos Gabalos pegmate cæli,
Hæc proſtibula infamibus obſeſſa cloacis,
Non conſilio, non opibus juvare ſanctum eſt,
Flammis potius, ſi eis ſtudeas, purificare.

Et in Hipponacte pag. 406. de iis, qui ex antris ſuis in aulas convolabant, hunc in modum canit:

Veſtigiis deſerta, qui loca urbanis
Horrore ſolitario frequentarunt,
Vt invenirent hinc quaſi fugax cælum:
Quibus fuere dura ſaxa cervical:
Cavata rupes dormientibus cella:
Nunc inter aulæ viperas catervatim
Sues cruore pauperum ſaginantur.

Sed alia eſt ratio, cur credere debeat Voetius Iulium Scaligerum Catholicum caudatum fuiſſe. *Orationes*, inquit, *illæ in Eraſmum, & ſecunda præſertim potius in fide Catholica manſiſſe ſignificant.* Exſulta Luthere, Fromondus te pro Catholico agnoſcit. Verum enimvero quàm prægnans hæc ratio eſt! *Quiſquis in Eraſmum ſcripſit, aut cum eo diſputavit de quæſtione Grammatica, ille eſt Catholicus Romanus.* Sed video in ſecunda Scaligeri oratione μεγ' ὄνειαρ latitat. In ea de auguſtiſſimo Fromondi Epitheto, adjectivo *Inepto* puta, cum Eraſmo Scaliger vitilitigat. At ſimul etiam contra Budæum, Vivem, & Politianum diſputat. Quis ergo cum Fromondo ita inaccus eſſe non cupit, ut eos omnes Catalogo Hæreticorum Alphonſi de Caſtro inſerat?

IX. A Scaligero ad Turnebum Critici ſenatus principem tranſilit Cenſor, de quo illud tantum ex Thuano lib. 38. Voetius in Deſp. Cauſa pag. 74. teſtatus eſt, eum à quibuſdam inter Proteſtantium fautores fuiſſe relatum. Negare hoc non audet Fromondus, ſed tantùm fidem haberi cupit mendaciſſimo, pariter

ac virulentissimo Historicorum Genebrardo, qui tamen, ut ut ubique impudentiæ frænos laxet, aliud tamen testimonium de Adr. Turnebo perhibere, quàm Thuanus non fuit ausus. Turnebi penetralia, nec ego, ne quisquam mortalium perrimatus est. Quid in eo fuerit, Deus novit. Illud solùm certissimum est, eum acerrimum Loyolistarum fuisse adversarium. Quod vel colligere est ex poëmatis ejus, in queis ita pag. 59. de novo Ordine canit:

Quæ nova surrepit secta, & mentitur Iesum
Dulce latrociniis prætendens nomen opertis,
Tartareis emissa vadis, spoliaria plebis
Instituit, speratque suos ditare latrones.
Iamque gregem pascit simulatio dira rapacem,
Semper inuncantem viduarū è viscere prædas,
Fallentem pueros, & inertia pectora vulgi,
Vervecum in patria, crassoque sub aëre nati.
O larvæ, & Lemures, vespertilionis habetis
Caligantis opes, & cæcæ pignora talpæ.
At nos fallaces, qui nec præstare sophistas
Possumus, aut volumus, populum nec depopulari
Suevimus, aut fraudare: solo nec vendere cælū:
Qui rectum virtutis iter sine fraude docemus,
Præmia quæ ferimus? vix ut toleremur in urbe
Quam spoliat prædo, togulam cui fibula nectit.

X. Denique Voetium reprehendit, quod dixerit pag. 214. Desp. Causa, *Lutheri Consubstantiationem à Cardinali Cameracensi fuisse excogitatam.* Et simul pag. 31. ipsa verba Cardinalis ex 4. sent. q. 6. adducit, ex quibus quis colligere posset, eum Catholico-Romanam opinionem de stulta panis transsubstantiatione approbasse. Ex quo hæc verba exscripserit Fromondus divinare non possum. Illud certò credo eum ipsum Cardinalem non inspexisse, eò enim loci *in Edit. Paris. apud Iohannem Parvum*, nihil ex iis compareт, quæ à Fromondo adducuntur. Contra vero loco laudato art. 2. postquam multis de Consubstantiatione tanquam Scripturæ, & rationi magis consentanea disputasset, testatur, *Se eam potius, quàm transsubstantiationē amplecti velle, nisi Romana Ecclesia contrà statuisset.* Imo expresse ib. de Consubstantiatione sic loquitur: *Patet quod ille modus est possibilis, nec repugnat rationi, nec authoritati bibliæ: imo est facilior ad intelligendum, & rationabilior.* Quod verò à Petro de Alliaco, seu Cardinali Cameracensi Lutherus doctrinam de consubstantiatione didicerit, nemo melius quàm ipse docere potest. Sic enim in libro de Captione Babylonica inquit: *Dedit mihi quondam, cum Theologiam Scholasticam haurirem, occasionem cogitandi D. Cardinalis Cameracensis lib. Sententiarum quarto, acutissimè disputans, multò probabilius esse, & minùs superfluorum miraculorum poni, si in altari verus panis, verumque vinum, non autem sola accidentia esse, astruerentur, nisi Ecclesia determinasset contrarium.*

Et hic, si Fromondo credimus, est immensus ille numerus locorum (undecim scilicet) quos malâ fide citavit, & adduxit Voetius. Cujus fidem, diligentiam, & diffusam eruditionem volens nolens agnoscere compellitur, quandoquidem in vasto volumine undecim solùm occasiones calumniandi, & cavillandi offendere potuit.

CAPVT VIII.

Docetur quid sit calumnia & ab ea purgatur Voetius. Evertit doctrinam & sententiam DD. suorum Fromondus. Non aliqui tantum ex clero vitiorum maculis deformes, sed plerique omnes sunt. Quare exprobremus vitia sua Papis & clero. Hypocriticè fatetur Fromondus turpitudinem quorundam ex suis.

I. SEcundum experientiam, quæ mater prudentiæ est, rectè Tullius dixit in Partit. Orator. *Superstitionem imitari Religionem, concertationem captationemque verborum imitari disputandi prudentiam.* Si quis unquam id verum esse deprehenderit, ego in Fromondo deprehendo. Vbi de Religione est loquendum, obtrudit superstitionem cæcæ suæ Ecclesiæ, ubique per totam crisin, in qua solidè fuisset disputandum, apponit putre & semicoctum λόγον, καὶ λήρων ferculum. Quid faciam? Contentus hoc Catone esse debeo. Succo meo victitabo, & stomacho ferias indicam, ne tetro Libertinicarum dapium halitu vitietur. Specimen ineptiarum, vertiginum, & nugarum exhibet caput VII. Quod vel quinquies mihi per legendum fuit, antequam aut caput, aut caudam invenire potuero. Initio pag. 31. post solitas suas bullas in

in Voetium invehitur, qui pag. 17. paucis, quidem & arctis, cæterum vividis lineamentis filium perditionis, ejusque sedem, septicollem Romam delineat. Ad illa ita stomachatur Censor. *Nunquam*, inquit, *sacrarum litterarum in illustri Gymnasio Vltrajectino Professorem tam matulam existimavi. Quid est calumniari, si hoc non est?* Bona verba mi homo, de matula nihil garrito, ipse enim nimis profundè balsamo ejus immersus jaces. Quid? an nos calumniamur cum Papam Antichristum, aut Romam matrem Catamitorum vocamus? à scopo tam longè aberras, quàm procul Lovanium Vltrajecto distat: nimis crudus censor es. Qui libros vult scribere, omnigenam eruditionem adferre debet, & apparatum omnium humaniorum artium. Ex I. Ctorum filiis quæsivisses quid Calumniari sit, & quis dicatur Calumniator. Calumniator est ille qui accusationem non probat, aut probare potest. Ita *Iulius Clarus l. 5. sentent. juris §. fin. quæst. 62. & Menochius de arbitr. jud. cas. 321. n. 4.* Nec tantum in jure à calumnia excusatur, quando semiplenè tantùm accusationem probavit secundum *Specul. in tit. de calumn. in fine*, sed quando etiam per unum solum testem probavit, secundum Menoch. l. d. Nos verò quot non testibus, & quidem ex medio Papatu citatis hæc omnia probamus? Nubes adduxere nostri Theologi: Et adhuc tam impudens es, ut ausis nobis calumniæ dicam scribere. Omnia, & singula, propter quæ calumniarum postulatur Voetius, ipse in Desp. Causa probavit, multis quoque adductis testibus: & tamen adhuc hoc agit Fromondus ut K. fronti ejus inurat. Quæ impudentia est, si hæc non est? Videat vero, ut cum suis ab omnibus, pro graphico calumniatore non habeatur, quando inter cæcum popellum infernales fabellas de Luthero ex Diabolo concepto, Calvino Stigmatiâ, Voetio à diabolo, quod in crucem concionatus esset, enecto, similibusque quisquiliis, spargitis.

II. Progreditur, & dicit pag. 31. & 32. *Ego Pontifices quosdam & sacerdotes vitâ ac moribus maculosos fuisse non abnuo, sed paucorum maculis cæteros aspergere, aperta contumelia, & veterum hæreticorum artes sunt, quas adhuc cernimus in vobis durare.* Bella, & lepida excusatio, ac verè Fromondiana. Interea gratulor ei ob hanc ingenuam vocem. Vides per transennam Dn. Doctor multorum turpissimam vitam, utinam Deus faxit aliquando, ut videas scabiosam, & deturpatam doctrinam, è qua velut fonte rivuli tales ebulliunt! Vide sis verò quomodo cum Bellar. tuo in gratiam redeas, qui ita lib. 4. de Eccl. Milit. cap. 13. agens de notis decumbentis tuæ Ecclesiæ loquitur: *Decima nota est sanctitas vitæ Auctorum, sive primorum Patrum nostræ religionis.* Dices fortè Bellarminum tantùm respicere primos fundatores religionis *Prophetas, & Apostolos*, ut postea subjicit, sed noris eum sic imprudenter ad nostra castra transfugere. Eosdem nos *Fundatores* agnoscimus, & si credere nolis, exigito doctrinam nostram ad eorum scripta. Specificatio illa Cardinalis, tantùm πρόφασις & prætextus est. Sanctitatem vitæ vult soli suæ Ecclesiæ adhærere. Videre rimulam te credes, quia de *quibusdam* tantum loqueris. Sed hæc tua est Musica. Quid facies illis authoribus, qui de seculo suo, quo vixere, universaliter, hoc est de majori cleri parte loquuti sunt. Necesse est, aut eos rejicias, aut fatearis te mentiri, aut Card. Bellarminum, quem propediem Calendario inseretis, & ut novum cælitem (modo annuat pater Vrbanus) adorabitis, deceptum fuisse, & Ecclesiæ suæ notam attribuisse, falsam, incertam, mobilem, ac inconstantem. Audi quid alii de Ecclesiæ corpore fuerint testati. Bernard. serm. 33. in Cant. de pastoribus sui seculi: *Ministri*, inquit, *Christi sunt, & serviunt Antichristo; honorati incedunt de bonis Domini, cui Domino honorem non deferunt. Inde is, quem quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus; inde aurum in frænis, in sellis, & calcaribus; & plus calcaria, quàm altaria fulgent, inde splendidæ mensæ, & cibis & scyphis; inde comessationes, & ebrietates; inde cithara, & lyra, & tibia; inde redundantia torcularia, & promptuaria plena eructantia ex hoc in illud; inde dolia pigmentaria; inde referta marsupia. Pro hujusmodi volunt esse, & sunt Ecclesiarum Præpositi, Decani, Archidiaconi, Episcopi, Archiepiscopi.* Dicite omnes, qui non estis oves, an hæ *paucorum* fuerint *maculæ*? Platina in vita Marcellini Pontif. xxx.

Hæc,ait,nostrâ ætate vitia nostra eô creverunt, ut vix ullum misericordiæ divinæ locum nobis reliquisse videantur : quanta nunc sit Sacerdotum avaritia , quanta libido , quanta ignorantia suiipsius,tum doctrinæ Christianæ, quàm parva religio, & simulata potius quàm vera, quàm corrupti in secularibus mores sint , quid attinet dicere ? ubi tamen publicè,protervequè peccant, ac si inde laudem quærerent. veniet mihi credite , utinam sim falsus vates! veniet Turcus hostis nomini Christiano infestissimus, qui Italiæ jam claustra pulsat. Ita & Alvarus Pelagius lib. 2. de Planctu Eccles. cap. 24. loquens de monachis in universum sine ulla limitatione dicit : *Hodie remoti sunt Monachi à vita Apostolorum. Plangat eos Ecclesia, & dicat : ubi sunt mei antiqui Monachi, qui post Apostolos Ecclesias fundaverunt , & vitam sanctam primitivæ Ecclesiæ retinuerunt , qui circumibant in melotis, & pellibus caprinis,in solitudinibus errantes,in speluncis, & cavernis terræ, quibus dignus non erat mundus ?* Et ut propius ad nostra tempora accedam, Delecti Cardinal. ad Paulum III. ita loquuntur : *Ex hoc fonte sancte Pater , tanquam ex equo Trojano irrupere in Ecclesiam Dei tot abusus , & tam gravissimi morbi , quibus nunc conspicimus eam ad desperationem ferè salutis laborasse.* Claud. Espens. in Tract. lib. 6. serm. 10. *Vtinam,* inquit, *vulgus Ecclesiasticum comederent hunc panem spiritualem pondere, & mensurâ, Ezech. 4. & non contabesceret in iniquitate sua , verum lex periit à Sacerdotibus : recitant pro historia fabulas, pro seriis joca , pro veritate mendacia,pro virtute fidei portenta.* Vt jam præteream Baronium , & authorem Fasciculi citatos à Voetio in Desp. Causa pag. 638. I jam , Fromonde , cum paucis tuis malis Papis & sacerdotibus , ad paucissimos, quos invenies bonos , & vide an non severè te reprehensuri sint , quod universalem labem paucis solum affricare pueri loquentiâ labores ?

III. Pergit, & dicit pag. 32. *In lucem protrahitis, spargitisque in majus quicquid in abditissimis etiam eorum moribus deforme videtur, potestque infirmorum oculos offendere.* Falsissimum est, si putet Fromondus nos hoc tantùm agere. Inviti protracti sumus,ad inquirendum in mores cleri. Doctrinam ejus præcipuè ex sacra Pagina redarguere studemus. Illudque principio egerunt primi Reformatores. Non enim à moribus, sed à pestifera doctrina de Indulgentiis aggressus est Ecclesiam reformare Lutherus. Sed ut pueri ignem non metuunt, quia ignorant. Ita irreformabilis clerus,qui nec sentiebat, aut cognoscebat turpitudinem suam, securus prorsus periculi , postquam frustra doctrinam Sp. Sancti aggressus erat, cæpit inquirere in mores Doctorum nostrorum , & quia nihil deforme , aut inordinatum occurrebat, provolavit ad plus quam Satanicas calumnias, earumque fœtido fumo obscurare laboravit surgentem cælestis veritatis solem. Ni vestri, Fromonde, de Luthero, Zuinglio, Oecolampadio, Bucero, Martyre, Calvino, Beza, &c. Omnibus viris integerrimis, ac Deo teste innocentissimis horrenda & inaudita mendacia sparsissent; multi à blattis ex authoribus vestris fuissent exesi , quos importunitas vestra in lucem protrahere , & sedulò perscrutari compulit. Non est ergo, quòd doleas. Tui Doctores, suo jumento hoc malum sibi accersivere. Neque enim nostris unquam per somnium in mentem venisset, abominandam vestram turpitudinem æternitati consecrare, & libris suis inserere. Qui nundinationes animarum (ut reliqua jam omittam) quas exercetis, noverunt, hoc etiam sciunt ex vitiosissimo illo fonte , non nisi cænum , & fæces omnium peccatorum scaturire posse. Nec ita quis ex nostris unquam ab humanitate omni fuit remotus , ut aut non animadverterit flagitiosam & Libertinicam vitam nec non profundam hypocrisim , & superstitionem plerorumque pseudo-Catholicorum tuorum : aut peregrinatus fuerit per Papæ regna, & ipse ea viderit, & detestatus fuerit. Illud enim certissimum est; quotquot nostrorum ex Italia , & Hispania (ubi maxima exercetur superstitio, & Papatus in ἀκμῇ & vigore est) revertuntur, uno ore omnes tam enormia, flagitiosa, & turpia cleri vitia recensent,ut ea quę in libris vestrorum Scriptorum occurrunt , & à nostris datâ occasione referuntur, vix Sciographiæ, & tenues rudesq; adumbrationes esse videantur. Ipse crederē hęc magnam partem ficta esse, nisi quotidie à tam multis confirmarentur, interpositâ etiam nominis divini obtestatione.

Aliquos referre possem qui ante peregrinationem suam cum zelo papisticæ religioni adhærerent, & dum Romæ essent, in ipso throno Antichristi, videntes horribilia flagitia, quæ impune quotidie à Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, prelatis, reliquisque Curialibus committerentur, illa detestari, ac de alia salutis via ineunda, seriò cogitare cæperint. Desine ergo, mi Doctor, incendium, quod à vobis ipsis conflatum est, nobis imputare. Nos Sodomæ flammas aquis Spiritus Sancti restinguere studemus. Verum vos Spiritui resistitis, & volentes nolentes adigitis nos cortinas tollere, & scenam abominandæ turpitudinis pandere. Quæ verò de Novatianis, Donatistis, & Arianis garris, in faciem tibi resiliunt. Vos de Luthero, Zuinglio, Calvino, &c. horrendas calumnias comminiscimini, & spargitis. Confundar, Fromonde, si quem idoneum scriptorem ex nostris adducere possis, qui de Papa quo, aut alio clerico tam horrendas Legendas absque idoneo, & assiduo teste, retulerit. Quæcunque attuleris, sinu meo excipiam, liquidòque ostendam, unum etiam ex testibus, quorum fide talia referuntur, præstare centum Cochlæis, mille Staphylis, & decies mille Bolsecis. Progrederer, sed ab ineptia, quæ diluenda est, detineor. Voetius dicit pag. 18. Desper. Causæ: *Videat cordatus Lector, quorum successores sint Romani Pontifices, qui ex illis lupanaribus, tanquam ex equo Trojano egressi, cum unumquodque referat originem suam, & progeniem.* Ad hæc verba ita philosophatur Fromondus pag. 32. *Tace stulte. Simili dialectica probares te Papistam esse, quia avi tui nuper Papistæ fuerunt.* Quid videtur tibi Lector, an posset Carneades, aut Zeno belle magis argutari! Ita vivam, si non subtilitas hæc tam acuta sit quàm meus cubitus. Audivi in Scholis dialecticorum *simile non esse idem.* Hoc hic locum habet. In sede Romana nunquam instituta est reformatio. Renuêre enim semper corrigi majoritæ, ut eos vocare solet Sigismundus Imp. Nostri majores verò in propatulo exivere è Babylone. Divortium fecere à meretrice ex præcepto divino Apoc. 18. vers. 3. Quæ ergo consequentia à Papis in infecta, & contagiosa illa sede, perpetuò desidentibus, ad nos, qui simul ac licitum fuit per occasionem secessionem fecimus, & limpidum aëra mundasque domos occupavimus? Ad hoc falsum est, quod Fromondus tanquam concessum præsupponit, omnes majores nostros qui vixêre sub tyrannide papali etiam Papistas fuisse. O tot millia simplicium ignorantium, gementium, & obloquentium (de quibus secundum judicium charitatis judicamus, quòd velut per ignem salvati sint. 1 Cor. 3. v. 15.) sub illis Cimmeriis tenebris desedêre. Vide quæso Lector eruditissimè de iis disserentem Voetium in Desp. Causa pag. 623. & seqq.

IV. Blaterat quædam circa concionem Ioannis Baptistæ Math. 3. de palea, & ventilabro, sed ne lectione quidem, nedum responsione talia digna sunt. Argumentis, non verbis est certandum. Dicit dein in calce capitis post multas liras de prælatis, in quibus & aliquos turpitudine, & vitiis infames, fuisse, fateri compellitur, pag. 33. *Vos tam magni sancti, numquamne vestrum Dimitte nobis debita nostra recitatis?* Omnino, Fromonde, quotidie & non sine gemitu. Vtinam verò tibi constares, non procul te judicarem abesse à regno cælorum. Sed hæc hypocriticè omnia profers. Quemadmodum fures, & latrones alias duri, & inexorabiles, quando primùm capti sunt, admodum submissè, & humiliter liberari cupiunt. Ita & tu hærebas inter Orci cancros. Vt dimittaris largiris aliquid; & fateris nævos, ac vitia in tuis prælatis, ne apud omnes habeantur turpissimi. Sed quàm parum tibi constas? Mox capite IX. manibus pedibusque laboras, ut sanctus habeatur Leo X. & Pius V. & aliquot sequentibus capitibus nihil aliud agis, quàm ut undiquaque invidiam per calumnias de fæce haustas, Luthero, Zuinglio, Calvino, Bezæ, Bucero, Martyri, &c. concites? *Vos*, ais, *tam magni sancti.* Quorsum hic sarcasmus? Nos si ulli alii, imperfectionem nostram fatemur, & deflemus. Nævos in perfectissima etiam justitia agnoscimus, jugiterque cum Bernardo dicimus serm. 5. de verbis Esa. *Nostra si qua est humilis justitia recta forsitan, sed non pura: nisi fortè meliores nos esse credimus, quàm patres nostros, qui non minus veraciter, quàm humiliter ajebant, omnes justitiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ mulieris. Quomodo enim pura justitia, ubi adhuc non potest*

culpa deesse. Et cum August. lib. 9. Confess. cap. 13. *Væ laudabili vitæ hominum, si absque misericordia discutias eam.* Vide sis autem quomodo hæc concilies cum operibus supererogatoriis, quibus tument & turgent superstitiosi vestri perfectistæ, & sacerrimi monachi. Qui fatentur quotidie se precari debere *dimitte nobis debita nostra,* næ illi longissimè absunt à perfectione. Apage sis ergo typhum, & inanem gloriationem in bonis operibus & meritis. Tu qui hæc dictante conscientia fateri compelleris, Fromonde, utinam quoque docere velles! Sed alii semper estis theologi in cellulis, & in examine conscientiæ, quàm in scriptis polemicis. Ex quo uno etiam indicio liquet vos plus quàm Pharisæos, & hypocritarum maximos esse. Interea nos cum Anselmo humiliter semper dicemus: *Si quis fructus in vita mea est, sic est aut simulatus, aut imperfectus, aut aliquo modo corruptus, ut possit aut non placere, aut displicere Deo.* Et cum Gregor. Magno ultimo Pontificum bonorum lib. 9. Moral. cap. 1. *Omne virtutis nostræ meritum est vitium; omnis humana justitia est injustitia si districtè judicetur.*

CAPVT IX.

Falsò ut probatum præsupponit Fromondus, nos esse hæreticos. Diluuntur aliquot nugæ & calumniæ Fromondi occurrentes cap. VIII. *Ridiculè Luthero exprobratur crassities.*

I. Pervenimus ad VIII. Criseos caput, quo mirum quàm ineptum, & ridiculum se præbet Fromondus. Quia probare non potest quos ex ministris nostris magia fuisse infames eò recurrit, quòd sint hæretici, & dein nescio quæ non ex Patribus conglomerat, ut probet hæreticos bipedum esse sceleratissimos. Sed quid hoc ad nos? An simus hæretici, & pro hæreticis habendi, quæritur, nec unquam à Papanis probatum est, aut æternum probabitur, nisi etiam pro hæreticis sit habendus Christus, cum Apostolis & Prophetis, quos fidei nostræ duces habemus. Sed quomodo hæreticos nos esse probat D. Fromondus. *Si neges,* inquit pag. 35. *hæreticos aut scismaticos vos esse, tot ante me ac evidenter habentibus oculos ostenderunt, ut supervacuum sit, probationes instaurare.* Subtiliter. Hac ratione non facile trahuntur lucifugæ ad ipsas controversias. *Probatum est,* dicit. Credo à fratre Cornelio Adriani apud Brugenses cuculos, aut qui ei successit Antverpiæ fratre Maximiliano, qui audiri solet, quando non est occasio spectandi comœdiam, aut Amstelodami à Patre Planck, aut Huesæ ab indoctissimo, & dicaculo sacrificulo, qui parum abest quin præ iracundia totum cor evomat, quando in hæreticos tonitrua vibrat. Aut denique à pigris, famelicis, & indoctis asinis, qui velut locustæ per domos opulentiorum rusticorum diæcesios nostræ perreptant: quos si luberet clementissimo Magistratui nostro comprehendere, multi generosi equi pistrino dimitterentur. Sed & alia ratio est quare nos hæretici simus. Reliquimus Ecclesiam Catholicam. De ea autem dicit Augustinus lib. 2 contra Crescen. cap. 36. *Extat Ecclesia cunctis clara atque conspicua, quippe civitas quæ abscondi non potest super montem constituta, per quam dominatur Christus à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terræ, tanquam semen Abrahæ multiplicatum sicut stellæ cæli, & sicut arena maris, in quo benedicentur omnes gentes.* Lepidum argumentum; Quod Augustinus dicit de Ecclesia Catholica per totum terrarum orbem dispersa, & inhærente in Christo, ut fundamento, Fromondus trahit ad conciliabulum Romanum. Probet Papam dominari à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terræ, hoc est per totum terrarum orbem coli & adorari, ac credemus Augustinum locutum esse de Synagoga Romana. At quantula orbis portio est, quæ per tyrannidem ab eo possidetur! Non movent autem nos clamores Papanorum Rabularum de Ecclesia Catholica. Acquiescimus Bellarmino, qui dicit lib. 4. de Eccl. Milit. cap. 4. *Omnis hæresis vult videri, & dici Catholica.* Clama Fromonde quantum velis, non tamen propterea probabis tuam Ecclesiam minus esse hæreticam, quàm nostram, quia dicitur Catholica. Permitte nobis, ut examinemus doctrinam tuæ Ecclesiæ, tu quantum voles examina nostram. Et illa erit magis Christiana & Catholica, quæ magis consentit cum Scripturis. Vbique enim

& sem-

& semper in doctrina fidei locum habere debet quod Chrys. dicit hom. 7. in Math. *Si*, inquit, *videris hominem Christianum, considera, si Confessio ejus conveniat cum Scripturis: si sic tum verus est Christianus.* Sed hoc facies, quando mulæ iterum parere incipient.

II. Deinde pag. 36. in nos torquet Cypriani dictum, qui ita ait lib. 3. epist. 1. *Non persequitur, aut impugnat Christi adversarius, nisi castra, & milites Christi, hæreticos prostratos semel, & suos factos contemnit, & præterit.* Sed quid ad nos hoc? Putasne, Fromonde, eos, qui inter nos veræ pietati student, prorsus immunes esse à diaboli oppugnationibus? Persentiscimus quotidie, quod Paulus dixit Eph. 6. vers. 2. *Non est nobis lucta adversus sanguinem & carnem, sed adversus imperia, potestates, mundi principatus tenebrarum hujus seculi, adversus spirituales improbitates in sublimi.* Eoque ex consilio quoque Apostoli induere studemus universam Christi armaturam: hinc tot etiam quotidie libri scribuntur, & vulgantur à Theologis nostris, præsertim Anglis, de Tentationibus, Spirituali militia, similique materia. Sed unde quæso probat in nos competere Cypriani reprehensionem? *Vos*, inquit, pag. 36. *qui ista sentitis, & legem membrorum vestrorum repugnantem legi mentis vestræ, non ad Societates illas Sanctorum, & Monasteriorum (quæ nulla habetis) palæstras ut pugnetis, sed ad fornices, aut honestius victi, ad remedia matrimonii decurritis, ut libidini & conscientiæ detis manus; delicati milites, nepotuli Veneris, & gens mollis amorum.* O hominem blasphemum! graviter etenim peccamus, quod Apostolo, quàm diabolo obedire malimus: & ad honestum legitimumque matrimonium potius (quando experimur nos dono continentiæ non esse præditos) quàm ad monasteria Sodomiæ, fornicationis, & contentionis palæstras confugiamus. Garrito tu quantum velis, gracule, nos tamen per Dei gratiam non obliviscemur præcepti Apostolici, qui dicit 1 Cor. 7. vers. 9. *melius esse matrimonium contrahere, quàm uri.*

III. Dixerat Voetius pag. 306. perquàm familiarem esse diabolum monachis, & monialibus. Hoc ita retorquere studet Fromondus pag. 36. *Non est*, inquit, *cur in ista somnorum vestrorum malitia, & perpetua spectrorum pace vobis admodum blandiamini. Non enim quia vos, aut exorcismos vestros metuat, fugit à vobis diabolus, sed captivos suos contemnit.* Atqui ego putabam captivos diaboli magis ab eo etiam vexari. Testantur enim hoc omnes historiæ. Sanè inter Gentiles magis grassabatur, quàm inter Iudæos: & ante Christum natum miseris hominibus per oracula, sortes, vaticinia, & sacrificia illudebat sæpius, quàm unquam postea. Quid quòd omnes historiæ Americanorum testentur, eos populos, qui à cultu & religione remotius absunt, immanius etiam à diabolo vexari. Nec est quod Eremitas Antonium, Hilarionem & similes nobis objiciat Censor. Historia Hieronymi quæ de illis circumfertur, nititur magnam partem aliorum relationibus, & fabellis, quæ ut notissimum est, plerunque sublestæ fidei esse solent. Adhoc in solitudine vivebant, & in eremis: diabolus autem transire solet per loca arida. Math. 12. v. 43. Quid mirum ergo, si sæpius iis apparuerint cacodæmones? Qui in domo spectris infesta habitat, novum non est, si subinde ab iis inquietetur: Qui per scorpiones ambulat, ab iis & pungi solet. Sic quoque qui in locis à diabolis obsessis degit, ab iis nonnumquam vexatur. Sed alia ratio est, cur à spectris non admodum terreamur, quam si candidus haberi voluisses, Fromonde, silentio præterire non debuisses. Non exercemus animarum mercaturam: nec commento de purgatorio & Missa rem facere studemus. Monachastri, & sacrificuli indigent illis subsidiis. Spectra illis serviunt, apparent, & ministrant quotiescunque opus aut libitum fuerit. Notum est, quid Aureliæ acciderit Anno 1534. Quomodo quoque sacerrimus sacrificulus ante paucos annos in Beemstria apparuerit aliquoties paupérculæ viduæ, sub specie mariti, qui recens obierat, ut ei omne peculium pro Missis extorqueret, & quomodo egregiè postremò à vicinis fustibus fuerit multatus, dicent tibi Fromonde, omnes agrestes qui in Noort-Hollandia habitant.

IV. Sed risum vix continere potui, cum legerem in calce Capitis quod examino pag. 37. *Ad macritudinem*, inquit, *nondum exesum vidimus Lutherum, & ex imagine Operibus ejus præfixa,*

fixa, aliàque in Hollandia nuper triplici mento, ad virum, opinor, expreſsâ, non poſſumus de eo canere, quod de Dea Fame poëta, Ventris erat pro ventre locus, ſed egregiè ei extat & tremit omento popa venter, &c. Ex hac quoque tam viva imagine, Quadrageſimæ fuiſſe reformatorem, quiſque facilè poteſt divinare. Quid ridiculum, aut puerile magis vel cogitari poſſet! Perge ſic, Fromonde, oblectabis nos hac ratione. Hactenus DD. tui Lutheri libros, & vitam maledictis diſcutere, tibi illa gloria relicta eſt ut in mentum, & ventrem ejus debacchareris: proximâ vice, cum iterum ſcribes, de natibus, credo, garries. Lepida hæc eſt conſequentia: *Lutherus fuit craſſus*, ergo, *non favit Quadrageſimæ*. Quaſi verò qui ſuperſtitiosè eam obſervant, macreſcant. Si quid reprehendendum venit in Lutheri abdomine, certè illud debetur coquo Auguſtinianorum, cujus ſcitamentis, & bellariis uſque ad annum XXXIV. ætatis paſtus eſt. Miror verò, quòd aſinus craſſitiem exprobrare auſit Luthero, cùm tot ventricoſi monachi, & porci Vmbri in clauſtris & cellis paſcantur: & tot quoque alti, pingues, & craſſi Canonici & ſacrifici ubique oberrent. Vt nihil jam dicam de porcis Antonianis, de quibus recte olim cecinit celebris in Conimbricenſi Academia profeſſor:

Diceris, Antoni, porcos paviſſe ſubulcus
Vivus, adhuc monachos lumine caſſus alis.
Par ſtupor ingenii eſt, ventriſq; abdomen utriſque,
Sorde pari gaudent, ingluvieque pari:
Nec minus hoc mutum pecus eſt, brutumque ſuillo,
Nec minus inſipidum, nec minus illepidum.
Cætera conveniunt, ſed non levis error in uno eſt,
Debuit & monachis glans cibus eſſe tuis.

CAPVT X.

De Bennone Cardinale. Qui qualeſque Leo X. & Pius V. PP. fuerint.

I. HEllebrandum, aut Gregorium VII. magna in veneratione habent aulæ Romanæ Gnatones. Nec injuriâ: Nemo enim maſculè, impudenter, ſubdolè, ac ſceleratè magis pontificis authoritatem contra imperatoriam majeſtatem aſſeruit. Libenter autem perſuaderent nobis eum virum ſanctiſſimum ac integerrimum fuiſſe, ſi aliter ex Bennone Cardinali, non eſſemus edocti. Ille vulpem, & lupum nobis detexit, & ita quidem, ut pudeat, impudentiſſimos aliàs Semonis ſui. Hinc tot in bonum ac eruditum Bennonem clamores. Ille falſarius, mendax, ſciſmaticus, indoctus, barbarus, & quid non? Sed quis cordatus hæc credat? Rabiem autem hanc Eccleſiæ ſuæ novis ineptiis, & maſcula ἀπαιδευσία adaugere debuit Fromondus. Et quidem ultrò, ut ſpecimen tantùm ederet eruditionis, & ex uno loco, Poſſevini Iebuſitæ, quem limis oculis vix aſpexit, oſtenderet quàm mendaciis foret pictum Myſterium Iniquitatis Pleſſæi. Sed exploremus arietes, quibus ingenium Lovanienſe pulſat Bennonem? *Benno*, inquit, *Pſeudo-Cardinalis.* Et ut credat hoc Lector citat Poſſevinum. Belliſſimè. *Benno eſt pſeudo-Cardinalis, & hiſtoricus mendax, quia hoc dicit Poſſevinus quingentis, aut præter propter annis poſt ejus exceſſum.* Eadem conſequentiâ concluſiſſes de Bennone tuo, Fromonde, hæreticos credere debere eum fuiſſe mendacem, quia tu & Epiſcopus tuus hoc affirmatis. Miror quod non ſecundum ſacræ Scripturæ regulam argumentum contexueris. Dicitur Deut. 19. verſ. 15. *In ſermone duorum, triumve teſtium conſiſtit omnis veritas.* Poſſevino ergo tuo adjunxiſſes Baronium, & Gretzerum, ſtrenuè enim uterque in Bennonem, verè veſtrum Ben-Oni fulgurat. Præ cæteris Baronius qui ita de Cardinale, & vita Gregorii ab eo ſcripta tom. XI. ad annum 1078. *Benno*, inquit, *in vita Hildebrandi, quam manus ſcorpii exaravit.* Et paulò poſt: *Sed homini mentiri ſolito, & in ſcriptione conſerta mendaciis abſque teſte aliquo eadem aſſerenti, haud facilè fides adhibenda.* Sed video homo paucorum librorum & authorum Fromondus eſt. Gratias verò Deo maximas quòd noſtri Bennonem primò non ediderint. Quos non tumultus, quos non clamores raſus grex excitaret? Evulgavit autem eum primò Otuvinus Gratius Doctor Papanus. Quis autem, & qualis Benno fuerit, neque Bellarminus, neque Baronius, neque Gretzerus aut quis alius Romanus rabula dicere poteſt. Scriptores σύγχρονοι audiendi ſunt. Vnus autem ex iis tantùm ſupereſt,

Abbas

Abbas nempe Svvarzahemsis, cujus chronicon continuavit Conradus à Lichtenavv Abbas Vrspergensis, qui ita ad annum M L XXV. de hoc opusculo scribit; *De vita, & gestis Hildebrandi, qui Romanus Pontifex factus, Gregorius VII. dictus est, per Brunonem Cardinalem, qui eo tempore vixit, descripta.* Pro Brunonem autem, eò loci legendum esse Bennonem ultrò nobis dant Baronius, ac Gretzerus. Sed audiamus rationem, quare omnis fides abroganda sit Bennoni? *Quia*, dicit Possevinus in Apparatu, *non à vero Papa Gregorio VII. sed ab Antipapa Clemente III. quem Imperator in odium Gregorii legerat, fuit creatus. Cùm enim esset Cardinalis Antipapæ, non poterat loqui nisi falsa de vero Papa.* Optimè. Ergo nec ulla fides adhibenda Cochlæo, Staphylo, Enisero, Bolseco, Xaintes monacho, similibusque gregalibus fratribus, auctoritatis à Papa ad impudentissima cudenda mendacia de Luthero, Zuinglio, Calvino, Beza, &c. Nota autem, quisquis hæc legis, insigne Possevini, & quem sequitur, Onuphrii mendacium. Bennonem dicit à Clemente III. adoptatum fuisse in ordinem Cardinalium. Cui autem credi magis æquum est, ei ipsi, an mendacibus Doctoribus? Ita verò Benno in ipso vestibulo opusculi: *Diversas*, inquit, *etiam scholas Romanæ Ecclesiæ literis adnotavimus, quæ ab ejus* (Hildebrandi nempe) *communione recesserunt. Leo tunc temporis archipresbyter Cardinalium, & Benno, & Vgobaldus, & Ioannes Cardinalis, & Petrus Cancellarius, & Cardinalis ordinati ante tempora Hillebrandi.* Quomodo, judicate omnes qui mentem non perdidistis, Benno simul ordinatus esse potuit à Clemente Anti-Papa, & fuisse ante tempora Hillebrandi. Inspicite quæso, qui hæc legitis, vel unum Platinam, aut Vrspergensem, & ipsi censebitis utrumque nulla ratione, aut respectu verum esse posse. Sed alio telo armavit Fromondum egregius & bellus vir Florimundus Ræmundus. Is autem ex Anselmo Lucensi, (eo nempe qui contra Guibertum, hoc est, Clementem III. Anti-Papam scripsit) futilitatem Bennonis exsibilat. Sed eodem modo ut ex Possevino Fromondus. Qui si legisset ipsum Anselmum, aut Baronium saltem, aliter censuisset. Lege, Dn. Doctor, Baronium tom. XI. & si iterum in arenam descendendum sit, garrire quid ex bono Anselmo poteris de vestimentis sanctissimi lupi Gregorii, quæ post mortem miraculis claruisse dicuntur. Hactenus de Bennone.

II. Voetius pag. 17. Desp. Caus. inter impurissima monstra retulit quinqueviros hos: *Sixtum IV. Leonem X. Paulum III. Pium IV. & Pium V.* De Sixto, Paulo, & Pio IV. convictus à veritate herbam porrigit Fromondus, & ultro βδελύγματα, hoc est, abominandos esse fatetur. Leonem X. & Pium V. excipere quidem studet, re verâ tamen eos prostituit. Leonem purgat lixivio Iovii: qui hoc tantùm dicit, quòd primâ juventæ face, dum destitueretur subsidiis libidinis & voluptatis castiùs, & continentiùs paulò vixerit. At quid hoc? Si quis diceret Fromondum adhuc juvenem non infeliciter in collegio quo disputasse, quid hoc quæso excusaret bullatas ejus nugas, quibus turgent vanissimæ Crisios paginæ? Vita laudabiliter anteacta nihil patrocinatur præsentibus vitiis. Spem magnam de se dabat Leo cùm primò triplicem coronam esset indeptus. Sed quantulam particulam Sodomiticæ serpiginis operculum hoc contegit? Guicc. lib. 14. ita de illo; *De se quoque exspectationem cum ad Episcopatum est assumptus, vehementer fefellit, major enim in illo prudentia, sed longè minor, quàm ab omnibus censeretur, probitas apparuit.* Quantus verò fuerit catamitus discere est ex Iovio lib. 4. de vita ejus: expresè ibi dicit, *quòd non caruerit infamiâ, quòd parum honestè nonnullos ex cubiculariis adamare, & teneriùs ac liberè cùm iis jocari videretur.* Visa & lecta quoque à nobis est Epistola Andreæ Alciati summi I. Consulti, & parasiti Paparum non è vulgo, ea nempe, quæ præfixa est historiæ Iovii, quâ conqueritur ei in Comensi Episcopatu prælatum quendam fuisse, *qui neque Comi fuerat, neque ibi usquam visus, qui sicut à multis audiebat ex arcanis cubiculi sordibus in lucem repente erat productus.* Nec Catamitus solùm fuit, sed etiam incestuosus. Sanè Guicciard. lib. 13. annotat, eum lucrum quod ex Indulgentiis, per Germaniam divenditis, confecerat, dono dedisse pro nocte sorori Magdalenæ, quam in delitiis habebat.

III. Denique de Pio V. nescio ex quibus

erronibus,

erronibus, Petramellario, & Cicarella quædam garrit pag. 40. De Sixto verò IV. Paulo III. & Pio IV. ne quidem γρῦ. Doleo etenim triumvirorum horum vicem, quod ita in propatulo infames fuerint, ut ne loquacissimus quidem graculorum verbum invenire possit, quo iis patrocinetur. Vide sis quæso, Lector, quæ de egregiis illis heroibus ex Papanis Scriptoribus adnotamus infra cap. 13. Quod ad Pium V. verò, monstrum eum vocavit Voetius, ut Paulus *leonem* Neronem 2 Tim. 4. vers. 17. Crudele erat monstrum, incitavit enim, quantum in se omnes reges, in eos qui Christum sincerè profitebantur, & Deum integrâ conscientiâ colere satagebant, ut annotatur quoque à Thuano lib. 39. Histor.

CAPVT XI.

Ridiculo, & mendaci tectorio incrustat Fromondus blasphemias, quibus Gnatones Papam Deo Opt. Max. assimilant.

I. VT probemus Papam Romanum verum esse Antichristum hoc compendioso, & irrefutabili argumento utimur: *Quisquis sedet in templo Dei, tanquam Deus, præ se ferens esse Deum, est homo ille peccati, ac verus Antichristus.* 2 Thess. 2. vers. 4. *Atqui Papa Romanus hoc facit.* Ergo. Minorem ex quotidiana praxi, cui nemo PP. in hunc usque diem adhuc obnunciavit, tam liquidò probamus, ut aut in nostra castra, aut ad asylum absurdissimarum ineptiarum de Antichristo, qui futurus sit unus aliquis singularis homo ex tribu Danitica, confugere cogantur, quorum interest Romanum monstrum perpetuò saginari sanguine fidelium. Quod autem Papa Romanus non tantùm divinam potestatem sibi arroget, sed & Deum se à Gnatonibus salutari permittat, multis adductis testimoniis tam dilucidè pag. 22. Desp. Causæ probavit Voetius, ut Lovanienses etiam talpæ animadvertere possint. Vt & ipse Fromondus concedere compellitur: more enim suo, ut scribax audiat, ea tantùm arrodit, in quæ toto animo ac corpore discedit. *Papa Deus, & vice-Deus* passim vocatur. Defendit hoc ita Fromondus pag. 41. cap. 10. *Sit,* inquit, *Papa Deus, & tamen creatura, quomodo Dii illi minores, quibus præsidet.* Quid audio? Creatura potest esse Deus? Falsus ergo Moses est, dicit enim Deut. 6. vers. 4. *Deus noster, Deus unus est.* Præter unum enim, infinitum, ac æternum Deum, alter finitus, ac in tempore creatus, si Fromondo credimus, adorandus est. Quæ idololatria crassa, blasphema, & absurda magis esse potest? Deus, *cujus cogitationes tantò sublimiores sunt cogitationibus humanis, quantò cælum est altius terrâ*, Es. 55. vers. 9. comparatur vili, evanido, ac scelerato homini? Deum, & simul creaturam esse ἀσύστατα esse hactenus totus Christianus orbis credidit. Quæ autem proportio & analogia intercedit inter Deum, & tyrannorum principem, Papam Romanum. Sed video rationem subtilis hujus absurditatis, secundum Doct. Fromondum, *Creatura potest esse Deus.* Plaudite Arriani, & Sociniani, vicistis enim. Fromondi liber est approbatus à Censore regio Antonio Loverio. *Papa est Deus, Papa est creatura.* Alterutrum ergo verum est. Aut Papa est θεάνθρωπος sicut Servator noster, cujus successorem se esse falsò gloriatur, aut sacrilegorum & blasphemorum maximus ac impudentissimus. Sed prævideo, ita se excusabit Fromondus: *Reges terræ dicuntur Dii, ergo & Papa, qui eis præsidet, sic vocari potest.* Consequentia nulla est. Quamvis reges condecorentur nomine אלהים Psal. 82. vers. 6. & agnoscantur quoque à Servatore nostro Ioh. 10. vers. 34. propterea tamen non sunt Deus. Theologiæ tironibus notum est vocem Dei aut propriè, aut tropicè accipi. Magistratibus nomen אלהים tribuitur, quia ob legitimam electionem Iehovæ vices in terra obeunt administrando justitiam, puniendo malos, ac præmiis ornando bonos. Et quanquam augustissimus ille titulus iis datur, non propterea tamen licitè divinis honoribus afficiuntur. Audi enim Scripturam. Cùm Herodi acclamaret populus *vox Dei, & non hominis.* Act. 12. v. 23. & 24. *Illico percussit eum Angelus Domini, eò quòd non tribuisset gloriam Deo.* Non malè Iesuita Smiglerius in Novis Monstris novi Arrianismi dicit cap. 2. *Fateor in Scripturis plures Deos admitti; sed metaphoricos, non veros. Metaphoricè*

enim homines, ob aliquam cum Deo similitudinem Dii dicuntur, sicut homo pictus ob exterioris formæ similitudinem, homo dicitur. Sic in Psalmo 81. Iudices Dii appellantur propter similitudinem divinæ potestatis: Dei enim locum tenent, & Dei potestate judicant. Porro tales Deos non esse veros, vel ex eo convincitur, quòd nullus illis propterea, quòd Dii nominantur, divinus cultus debetur, nec quisquam eos pro Diis colendos unquam dixerit. Nihil enim divinum in se habent præter Dei similitudinem: at quemadmodum hominis similitudo non facit, ut pictus homo pro vero homine habeatur; ita neque Dei similitudo facit, ut quis pro vero Deo haberi, & coli possit. Hactenus Smiglecius longè felicior in enodandis sacris textibus, quàm Fromondus. Vide sis autem, Christiane Lector, abominandum fastum Papæ. Ne quidem accenseri meretur Diis metaphoricis, & principibus terræ (in æternum enim nemo, aut ex Scriptura, aut ex Patribus, qui primis sexcentis seculis vixere, probare poterit eum constitutum esse vicarium caput Ecclesiæ) & tamen patitur sibi cultum divinum exhiberi. Immo probat eorum factum, qui hoc desensum eunt Antonin. part. 3. tit. 22. cap. 5. §. 4. *Recipit*, inquit, *Papa à fidelibus adorationes, prostrationes, & oscula pedum, quod non permisit Petrus à Cornelio, nec Angelus à Iohanne Euangelista sibi fieri.* Item Adoardus Gualandus Episcopus Cæsenas lib. 14. cap. 3. de Morali & civili facultate (liber est dedicatus Clementi VIII. & excusus Romæ 1604.) hæc inter alia dicit: *A Papa tanquam à capite, in universum Ecclesiæ corpus, hoc est, in omnem Christianam remp. spiritus influunt cælestium gratiarum sensum, fructumque præstantes, & efficacem motum ad sempiternam beatitudinem. Meritò igitur sanctissimus, & beatissimus appellatur, & ab omnibus Christianam religionem profitentibus quasi quidam Deus adoratur, & colitur.* O Bl. sp'emiam! *Quando*, mi Deus, *surges & judicabis terram* Psal. 82. vers. 8. Sed pressiùs respondeamus ad locum ex Psal. 82. vers. 6. adductum. 1. Ibi Sp. Sanctus tantùm loquitur de Regibus & Iudicibus, quibus nullâ ratione Papæ accenseri possunt. 2. Occurrit ibi in numero multitudinis vox אלהים quæ alias quoq; in V. T. angelis & hominibus tribuitur. Nusquam verò in Novo Testamento vox Θεὸς aut Deus hominibus tribuitur. Semel diabolum Deum vocat Paulus 2 Cor. 4. v. 3. quòd ab impiis, idololatris, reliquisque impiis qui à Luce Euangelii remoti sunt, haud secus colatùr, ac quis Deus hujus mundi. 3. Papa absolute Deus vocatur, judices & reges solum cum respectu muneris à Deo Opt. Max. injuncti. Et sic Voetium à contradictione, quâ eum circumvenire studebat Fromondus, vindicavimus. Rogo verò eum ut sedulò despiciat, quâ ratione se ab Arrianismo & horrendis blasphemiis in Divinam majestatem purgare possit.

II. Inter alia argumenta, quibus Voetius probat Papam plus quàm hominem spirare, est etiam hoc, quod quoslibet pro libitu & arbitrio inter Divos referat. Sarcasmo hoc sic eludere satagit Lovaniensis Censor pag. 41. *Apotheosis*, inquit, *aut deificatio hic nulla, sed sola beatificatio, aut sanctificatio, non quâ fiant, sed declarentur sancti.* Dic mihi ergo professor Ignorantiæ, cur ipsi tui magistri canonizationem, more Gentilium ἀποθέωσιν vocent. Vide Sever. de vita, mirac. & act. canoniz. S. Hyacinthi in Præf. lib. 3. & 4. Item Cærem. Roman. in Præf. lib. 2. Et quid si canonizatio tantùm sanctificatio esset, quid tum? Quid faceremus civibus Vtopiæ, & tot larvatis sanctis, qui nunquam in rerum natura fuere? Qualis *primò* est Georgius qui vulgò pingitur contra draconem pugnans, quam picturam mysticam esse fateri compellitur ipse Baronius in Annot. ad Martyrol. Rom. in d. April. 23. *Secundò* Hippolytus quem ab equis discerptum esse comminiscitur ex Metaphraste indoctissimus mendaciorum architectus Iacobus de Voragine. *Tertiò* Gigas Christophorus sub Outide Dagno martyrio coronatus, cujus picturam & historiam Vida Cremonensis Episcopus mysticè interpretatur. Denique Catharina, quam ut Hecaterinam nescio cujus Costi, regis sine regno, filiam fuisse Baronius probet, sanguinem sudat in Annot. ad Martyrol. in d. 25. Novemb. Dic mihi Fromonde,

— *& eris mihi tantus Apollo* quantus est Parisiensis Christophorus, quot uncias sanctitatis ex quatuor his monstris Pontifices tui, Ecclesiæ appendere potuerint. Hoc ubi expediveris,

diveris, amplius quæram, quæ Francisci, Mariæ Ægyptiæ, Thomæ Cantuariensis, & similium hypocritarum sanctimonia fuerit. Dominicum studio hic prætereo, quia in confesso est, eum non practicè solùm, ut loquuntur, sed theoreticè etiam hypocritam fuisse. Docuit enim discipulos suos, quo pacto, graphicè personam ferre possent. Vnde & Vincentius Belluacensis in Speculo caput habet de sancta ejus hypocrisi. Est autem cap. 105. lib. 29. Speculi Histor. narrat in illo *eum rogasse nobiles quasdam dominas ut sibi socioque suo cilicia quærerent, & addidisse, Nemo sciat, servetur secretum: nonnumquam etiam fratres suos admonuisse, ut aliquam ostenderent apparentiam in abstinentiis, vigiliis, verborum ac gestuum disciplina, quum apud seculares essent; & sic eos sanctâ quadam hypocrisi ad fidei reverentiam, & virtutis amorem perpensiùs invitarent.*

III. Postea arrodit testimonia, adducta à Voetio ad arguendam Antichristi blasphemiam, sed tam trepidè ac musculus, qui felem metuit. Reprehendit Voetius pag. 22. Desp. Caus. Gloss. Iuris Canonici, & simul quoque Corn. à Lapide, quòd triplicem Papæ coronam, imaginem & speculum SS. Triados, ipsum verò Papam in cælo dominari dicant. Nec negare, nec defendere hæc audet Fromondus. Garrit tantummodo ac ineptit. Vt autem quisque statuat jure hæc reprehendisse Voetium, quatuor hæc, velim, notet. 1. Mysticâ hac expositione blasphemè innuitur ipsum Papam imperare Trinitati. Corona enim est indicium absolutæ, & regiæ potestatis. Vnde alii non erubescunt dicere, triplici hac coronâ triplicem Papæ potestatem in cælo, terra, & purgatorio adumbrari. 2. Pro eo quod dicitur 1 Ioh. 5. vers. 7. *Tres esse qui testificantur in cælo*, dicendum foret quatuor esse. Æquale enim jus ad testificandum cum Christo habet Papa. Sic enim scriptum est lib. 1. Sacr. Cærem. sect. 7. cap. 6. *Figurat Pontificalis hic gladius summam potestatem temporalem à Christo Pontifici ejus vicario collatam, juxta illud, Data est mihi omnis potestas in cælo ac in terra.* Et sic in Concil. Lateranensi Papa dicitur *habere omnem potestatem in cælo, & in terra.* 3. Otiosus prorsus in hac terra esset cultus SS. Trinitatis, quam Papa triplici suâ coronâ fultus repræsentat: ipse enim est, ut de Gregorio XIII. Stapletonus dicit in Præf. princip. fid. doct. *planè supremum in terris numen.* Si est plane supremum numen, nullum etiam in terris eo est superius, & consequenter nullum quoque supra id est colendum. 4. Secundum Corn. à Lapide Papa major esset benedicto nostro Servatore secundum carnem. Dicit enim expressè loco à Voetio citato, hoc est, in Comment. ad cap. 6. Zachar. *Papam non ad humanum tantum principatum institutum esse, sed ad divinum; non ad principandum solùm mortalibus, nec modò hominibus, sed Angelis.* De Christo verò ex Psalmo 8. Paul. ad Hebr. cap. 2. vers. 7. testatur eum secundum carnem *paulisper inferiorem esse factum Angelis.* Perpendito quæ dico, quisquis hæc legis, & nisi Papæ typhus oculos mentis tuæ eruerit Voetium probabis, & cum Cassandro, non sine gemitu, in libello de Off. pii viri dices: *Pontificem Romanum, quem Papam dicimus, tantùm non Deum faciunt, ejusque authoritatem non modò supra Ecclesiam, sed supra ipsam Scripturam divinam efferunt, & sententiam ejus divinis oraculis parem, imo infallibilem fidei regulam statuunt. Hos non video cur minùs pseudo-Catholicos, & Papistas appellare possis.*

IV. Postea incomparabilem Plessæum invadit Censor, in cujus instructissimam Apothecam Voetius, post relata quædam testimonia papalium blasphemiarum, digitum tantùm intenderat. Quamvis autem in Iniquitatis Mysterio Dn. Plessæus plus quàm 40. loca ex jure Canonico adduxerit, quæ omnia extremè impium & blasphemum esse Pontificem ostendunt, unum tantummodo tamen testimonium, arrodere audet Fromondus, quasi qui confidit se unum militem occidere posse, mox jus triumphandi impetrare debeat. Quod invadit, occurrit *in Glossa in c. Fundamenta de Elect. in 6.* Vbi expressè dicitur, *Papam non esse hominem.* Non olim autem ibi sic lectum est, sed & hodie constanter hæc verba in omnibus Edit. comparent. Vnde hoc tantùm ad excusationem Glossæ adferre potest noster, *quòd nimis loquax, & imprudens sit.* Bella etenim ratio. Glossa nimis loquax, Fromondus quoque,

— *Iam sumus ergo pares.*

Vide


Vide sis mi dicacule Doctor, quomodo te expedias ab Inquisitoribus. Invadis hic coronam, & infallibilem Papæ majestatem. Glossam hoc loco imprudentem esse dicis: sed videre hoc non potuit Gregorius XIII. quandoquidem in recognitione Glossarum facta anno 1580. ne verbulo quidem Glossographi imprudentiam notavit.

V. Vnus adhuc Voetii aries superest in quem ita miserè incurrit Censor, ut non cerebrum tantùm, sed omnem humanitatem, sapientiam, & quicquid Christiani sanguinis habebat reliqui, effuderit. Blasphemiam & ἀθεότητα Paparum inter alia inde arguit Voetius pag. 21. quòd Martinus IV. se à legatis Siculis agnum Dei salutari, ac adorari passus sit. Maculam hanc omni studio eluere satagit Fromondus, sed quò magis laborat, eô plus sordium cumulat. Ex Paulo AEmil. l. 7. Blondo Dec. 2. l. 8. & bono Genebrardo integram historiam ab ovo usque ad mala narrat: existimabat credo (quòd tot testes citet) nos æque in antiquis ac modernis historiis peregrinos esse, ac ipse cum gregalibus suis est. Miror verò quod ad testimonium etiam non vocaverit Anton. Chron. pag. 3. tit. 20. §. 3. Verum hoc condonandum ei, amat enim paucorum librorum esse Doctor. Sed quò tandem redit summa Responsionum. *Quid hic*, inquit, p. 43. *à Pontifice peccatum? si culpa est, panicus ille Panormitanorum terror potiùs accusetur?* Lepidum patrocinium. Exulta, & ride Herodes. Injuria secundum Fromondi Theologiam manus Dei te percussit: ingens quippe Tyriorum & Sidoniorum gaudium tibi reluctanti, ac invito hos honores, & laudes detulit. Act. 12. & Ios. lib. 19. Iud. Antiq. cap. 7. Quis ex Politicis unquam ita insaniit, ut acquieverit in judicio vulgi. Si ego, Fromonde, Lovanium venirem, & osculabundus ad pedes tuos acciderem, ac te sanctum Patrem, Dominum Deum Papam, Vicarium Christi, supremum in terris numen, &c. salutarem, an non pueri per compita te sannis differrent, si hæc absque stomacho ferres? Enimvero *cum Cornelius centurio Petro Apostolo ad pedes accideret, eumque adorare vellet, Petrus eum erexit, dicens, Surge, & ego ipse homo sum.* Act. 10. vers. 25, 26. Et cum Lystrenses Paulo & Barnabæ sacrificare vellent, *illi diruptis palliis suis insilierunt in turbam, clamantes, ac dicentes, Viri, cur ista facitis? nos sumus quoque homines, iisdem, quibus vos affectionibus obnoxii.* Act. 14. vers. 10. & seqq.

VI. Quas dein Prophetias admiscet, ea tam casca sunt deliria, ut jurare ausim nullam anum unquam Lovanii ridicula magis somnia vidisse. Vide sis, quæso Lector, lege, ride, & oblecta te. Si liberet tam facilè quàm volpes pyrum comest, tela usque ad cor Papæ retorquere possem. Sed non libet talibus quisquiliis Lectorem festinabundum delassare. Vnum tantùm agere debeo, expositionem nempe Apocalypseos expositioni opponere. Eam autem non in cerebro meo fabrico, sed commodato ab Episcopo Chemensi sumo. Ita autem is in Onere Eccles. cap. 22. *Illi mendicantes*, inquit, *designantur per locustas de puteo abyssi exeuntes, quia ipsi sunt scurriles, leves, volatiles, carnales, rodentes sacras literas, virides, paganicæ philosophiæ sequaces, quasi equi currentes, sic illi in vanam disputationem.* Quando inter nudipedales fratres, concionaberis Dn. Doctor, ne obliviscitor quæso solidæ hujus glossæ.

CAPVT XII.

Quis, qualisve Lutherus fuerit.

Vòd Augustinus dicit ep. 137. ad Hipponenses, examussim convenit Papanis rabulis. *Hæretici*, inquit, *cùm ipsam divinæ Scripturæ veritatem criminari, & obscurare non possunt, homines, per quos prædicatur, in odium adducunt, de quibus & fingere quicquid in mentem venerit, possunt.* Sub initium Reformationis, cum viri Dei Lutherus, Zuinglius, Oecolampadius, Bugenhagius, Farellus, Crammerus, &c. buccinam Zionis inflarent, ac veternosos Christianos ad audiendũ Euangelium & viam salutis convocarent, nemo aut ex sacrificulis, aut ex monachis ausus fuit sinistram quam famam de eorum vita & moribus spargere: erant enim non tantùm inculpatissimis moribus præditi, sed fervebant quoque zelo pro propaganda veritate Christi. Postea verò quàm semel atque iterum irrito conatu, & summo cum dedecore do-

ctorculi, Eckius, Cochlæus, ac ipſe Cardinalis Cajetanus cum ipſis congreſſi eſſent, viderentque eos inſiſtere immobili Scripturarum cubo, ad alias artes ſe applicuêre. Calumniarum, & mendaciorum non manipulos, ſed integros modios diſſeminare cæperunt, & quicquid aut bilis, aut diabolus ejus moderator, dictare poterat, in vulgus divulgarunt, ut quos argumentis proſternere non valebant, ſaltem fuligine aliquâ offuſcarent. Quamvis autem millies, & amplius, omnibus calumniis reſponſum & ſatisfactum ſit, non tamen conticeſcunt graculi: ſed inſtar phreneticorum identidem idem recinunt: ut omnibus conſtet deſperatiſſimum eſſe Papatum, qui intra centum annos nulla alia argumenta contra veritatem quàm in loco calumniarum, & mendaciorum invenire potuit. Ne quis verò ejuſdem criminis nos reos eſſe putet, quia aliquando inclementius paulò quid in Papas, Romanam Synagogam, & irreformabilem Clerum dicimus: Etiam atque etiam talem (quiſquis tandem ſit) rogo, ut inquirere dignetur, an unquam quis ex noſtris aut dixerit, aut ſcripſerit quid, quod non plurimi ex Papanis Scriptoribus antè eos in acta retuliſſent. Dictorum noſtrorum teſtes, & authores habemus ipſos Pontificios, quos domeſticis teſtimoniis non tantùm conficimus, ſed inſtar pulveris etiam conterimus. Quicquid verò de noſtris Doctoribus, & præ cæteris, de primis Reformatoribus credulo popello (quem ejuſmodi ſiliquis paſcit) narrat raſus grex, emendicatum eſt ex Cochlæo, Staphylo, Bolſeco, Vlenbergio, & Surio acerrimis omnibus religionis noſtræ hoſtibus, & ad hoc mendaciſſimis diaboli filiis. Et quamvis centies millies adverſus ſubleſtos illos teſtes ſit exceptum, inſtar ſurdorum tamen aſpidum nihil ſe audiviſſe ſimulant rabulæ, ut ſine offenſâ fœtulento, & amariſſimo vomitu ſe liberare poſſint. Veriſſimum eſſe quod dico, vel unus Fromondus fidem fecerit. Cùm non auderet ipſum Voetii librum oppugnare, & controverſiam attingere, ut aliquid ſaltem egiſſe videretur, dilapſus eſt ad Lutherum, Calvinum, Bezam, Bucerum, Martyrem, Forrellum, & quaſi nunquam ſanctiſſimi viri contra diabolos eſſent defenſi, quicquid in mendaciorum, calumniarum, & ineptiarum ſcriniis ad manum invenit, in eos illoto ore evomit: ut verò eâdem operâ loquentiam poſſet oſtentare, per paginas aliquot diſtrahit, quæ viginti lineis comprehendi potuiſſent. Vt verbi causâ diſſidium illud inter Lutherum ac Zuinglium, quod ad nauſeam uſque Lectorum inculcat pag. 48. 95. 108. 109. 111. 136. 137. Primò autem impetum facit in Lutherum quem tribus rationis nimiæ acerbitatis peragere ſtudet. 1. *Ex proprio teſtimonio.* 2. *Ex teſtimonio Henrici VIII. regis Angliæ.* 3. *Authoritate Vlderici Zuinglii.* Nota autem Lector, toto capite xi. nihil amplius Luthero à Cenſore exprobrari, quàm virulentiam, & nimiam acerbitatem in aſſerenda cauſa Chriſti. Ne quis verò putet, cucurbitæ caput, paleam tantùm vitiorum Lutheri eſſe ſectatum, de moribus, & vita illius cognoſcat ex Eraſmo, quem tamen conſtat acrem fuiſſe Lutheri antagoniſtam, quemque Papæ ſatellites, (quamvis Vatiniano aliàs odio proſequantur) perpetuò tamen nobis, contra Lutherum opponere ſolent. Ita autem Eraſmus in Epiſt. ad Thomam Cardinalem Eboracenſem quæ eſt ep. 1. lib. 11. *Hominis,* inquit, *vita magno omnium conſenſu probatur: jam id non leve præjudicium eſt, tantam eſſe morum integritatem, ut nec hoſtes inveniant, quod calumnientur.* Et lib. 12. in Ep. ad Cardin. Moguntinum ſic de eodem ſcribit: *Illud video, ut quiſque vir eſt optimus, ita illius ſcriptis minimè offendi.* Et paulò poſt: *Et tamen ſi illi faverem ut viro bono, quæ eſſet invidia?* Ne quis verò Eraſmum ut ſemi-hæreticum rejiciat, loquatur quoque Cardinalis Roffenſis. Is in Epiſt. ad Eraſ. judicat Lutherum *virum eſſe ad miraculum uſque peritum Scripturarum.* Item in Artic. art. 34. *Nemo,* inquit, *qui ſapit ſententiæ (Luthere) tuæ refragabitur.* Sed quid contra hæc oggannit Fromondus? Vehementiam, & acerbitatem viri Dei carpit. Quid tum? Reſpondet pro eo Eraſmus in Epiſt. *Noſtri,* inquit, *mores meruerunt tam inclementem medicum, qui ſectionibus, & uſturis curaret.* VViclefus & Huſſus, diu ante ſignum ad Reformationem dederant, ſed detrectabat eos audire irreformabilis clerus. Stentore opus fuit, qui Endymiones ſecurè fæci Idololatriæ & vitiorum indor-

indormiſcentes ſtimulis excitaret. Sed acerbior aliquantò fuit in regem Angliæ Henricum VIII? Atqui meruerat hoc rex. Quid enim indignius regiâ majeſtate, quàm oblivisci perſonæ, & inſtar ſcholaſtici ſophiſtæ illibatam Chriſti veritatem dicteriis, ac ſcommatis perfundere? Non niſi irritatus, ac provocatus ad decretorium ſtylum deſcendit Lutherus. Miror verò Papanorum rabularum impudentiam. Luthero vitio vertunt acerbitatem: cùm ipſi tamen bipedum virulentiſſimi ſint, ad ſicas quoque & pugiones, non in vivos ſolùm principes & reges, ſed mortuos quoque (cum quibus tamen ſolæ larvæ luctari ſolent) ſi verbulo tantùm Papæ tyrannidi oblocuti fuerint. Quot non plauſtra ex uno Baronio onerari poſſent? congererem quædam, niſi celeberrimus I. C. Goldaſtus in Replica pro Imperio contra Gretzerum id feciſſet, cui hactenus à nemine (quod ſciam) adhuc reſponſum eſt. Vt nihil jam de Sandero, Alano, Rhiſtono, Bellarmino, & Torto dicam, qui totos convitiorum modios in ſcriptis ſuis, paſſim in sereniſſimam Angliæ reginam Eliſabetham, & regem Iacobum VI. exonerarunt. Si Fromondo ſimilis eſſem prolixos indices contexerem, verùm nolo lucernam meridie accendere. Sed progreditur Fromondus, & dicit pag. 48. *de Lutheri nimia acerbitate, ac amarulentia conqueritur quoque Zuinglius.* Non inficias eo. Lutherus homo fuit, erravit in quibuſdam, & errare in pluribus potuiſſet. Non uni omnia largitur Deus. Per gradus à Sp. ſancto illuminatus fuit. Quæ cognoſcebat per Dei gratiam, cum zelo & fervore defendebat. Quæ ex parte tantùm explorata habebat, eodem animi impetu, abſque ulla tamen hypocriſi, conſtantiſſimè propugnabat. Miſſæ abominationes perſpectas habebat, & toto animo deteſtabatur. Dubitabat ſolùm de modo præſentiæ in Cœna. Quia verò opinionem ſuam Scripturæ magis conſentaneam eſſe putabat, eam mordicus, & cum æſtu quodam animi defendit. Sed dices, *Conqueritur Zuinglius.* Quid tum? non propterea tamen pro hæretico habet Lutherum? Quantum poteſt excuſat ejus vehementiam, & quòd piorum eſt, occurrit ei, omnibus modis ejus fervorem aquis modeſtiæ & veritatis extinguere ſatagens. Hinc & in libro, quo reſpondet Lutheri libro de Sacram. aliquoties eum *fratrem*, imo *dilectum fratrem* vocat. Quanti autem Lutherum fecerit Zuinglius, nemo rectiùs quàm ille ipſe docere poteſt. Ita verò Lutherum alloquitur in Exegeſi Euchariſtiæ: *In hoc,* inquit, *laxabo, quomodo & quatenus nobis obſervandus ſis. Cùm haud parum multi eſſent, inquam, qui religionis ſummam, & ſi non admittis, meliùs, at æque atque tu cognitam haberent, nemo tamen erat qui ſe diſcrimini objicere auderet ex omnibus caſtris Iſraël, adeo metuebant immanem iſtum Goliath tanto armorum viriumque pondere minacem. Hic tu unus fidelis David ad hoc natus à Domino, induis quidem arma: primùm cùm juxta illorum ritum pergis cum iſtis diſputare, ac paradoxa, nodoſque Gordios objicere: mox tamen rejectis his impedimentis, è cæleſti flumine lapides eligis, ac libras, expeditâque & rotatâ fundâ tam vehementer jacis, ut in magnum agri ſpatium inuſitata membra porrigas. Vnde fideles animæ nunquam ceſſare debent quò ſegniùs canant: Percuſſit Saul mille, David autem decem millia.* Quod autem ad Lutheri vehementiam, & tonitrua, ea quoque excuſatum it. Arrige aures, Fromonde, & audi quid dicat Zuinglius in Actis ſecundi diei Diſputationis inſtitutæ cum legatis Epiſcopi Conſtantienſis: *Plures quoque,* inquit, *ex doctiſſimi viri Martini Lutheri libris, non aliud, quàm verborum vehementiam referunt, quâ ille nonnunquam ferventi pietatis Zelo commotus, utitur. Sanctum verò & fide credentem ejus animum, quo veritatem & Dei verbum colit, pauci imitantur.* Tacuiſſes, ſat ſcio, Fromonde, nec in Lutheri vehementiam Cenſuram inſtituiſſes, ſi non prorſus peregrinus eſſes in domeſticis ſacris. Quibus non convitiis & maledictis per annos aliquot ſe invicem lacerarunt Sorboniſtæ, & Ieſuitæ. Legatur ſolùm Aurelius ſuppoſititius, & ejus Defenſor. Fulminibus dicteriorum omnia ibi coruſcant. Crederes te intereſſe Lindiis ſacris, quando libros eorum legis. Nec clementius ſe excipiunt Hiſpani Dominicani, & Loyolitæ: putares diabolos inter ſe eſſe commiſſos, quando hi inter ſe ſcriptis certant. Sed exiſtimo hæc Fromondum hactenus ignoraſſe: Eoque in præſens ei gratiam facio.

CAPVT XIII.

Diluuntur calumniæ, quibus conspurcare laborat Fromondus, Calvinum, Bezam, Bucerum, Martyrem, Cramerum, & Farellum. Proponitur speculum continentiæ Paparum.

I. POst Lutherum, sacramentarios invadit canis: Calvinum, Bezam, Bucerum, & quos non? Cerberum putes solutum, & per Brabantinum agrum grassari, qui

——— ἐς μὲν ἰόντας
Σαίνει ὁμῶς οὐρῇ τε καὶ οὔασιν ἀμφοτέροισιν.
Ἐξελθεῖν δ' οὐκ ἄν τις ἐᾷ πάλιν ἀλλὰ δοκεύων
Ἐσθίει, ὅν κε λάβῃσι πυλέων ἐκτόσθεν ἰόντα.

hoc est:

——— *introëuntes quidem*
Adulatur pariter caudâque & auribus ambabus:
Exire verò nõ iterũ permittit denuo, sed observans
Devorat, quemcunque prenderit portas extra euntem.

Frustra verò est cum nostris invidiam concitare studet ex Lutheri polemicis scriptis in Zuinglium & Oecolampadium. Tacuisset hoc si domestica sacra, & conflictus Dominicanorum & Loyolitarum aut Sorbonistarum, & Curialium Romanorum, perspectos habuisset. Sed in antro Trophonii desidere videtur. Initium autem facit à Calvino, delineat eum ex domestico teste, Restiario an Rescio, nescio, pag. 49. quòd fuerit *hæretico pejor, ambitiosus, usurarius, trapezita, avarissimus, aleator, scortator libidinosissimus, vindictæ appetentissimus, & iracundissimus.* Ac dein adducit erronem, & alterum Ecebolium Franc. Balduinum, ut stabiliat boni Rescii fidem. Sed confundamus diabolos. Mitto *hæretici* elogium, quod non magis Calvinum ferit, quàm crepitus asini ex Arcadia. Sed fuit *ambitiosus*? addidisset simul Papa Genevensis. Quisquis Babylonicam meretricem adorare non vult, *ambitiosus* est. Sed ubi, & in quibus rebus, exeruit se Calvini ambitio? Cum potuisset si in Papatu mansisset, ad summos honores, & dignitates evehi, cum Mose *majores divitias duxit, probrum Christi, quàm Ægyptiorum* (hoc est Papanorum) *divitias.* Hebr. 11. vers. 26. Pauperi Ecclesiæ, cum quinque collegis, æquali authoritate præditis, præesse maluit quàm solus Episcopatum administrare, & rheda quotidie vehi magna servorum cohorte insequente. Papis suis hunc titulum deferat, de quibus verè dicit Eberardus quondam Salisburgensis Archiepiscopus apud Aventinum lib. VII. *Flamines,* inquit, *illi Babyloniæ, soli regnare cupiunt: ferre parem non possunt, non desistent donec omnia pedibus suis proculcarint, atque in templo Dei sedeant, extollanturque super omne id quod colitur: fames opum, sitis honorum inexplebilis est. Quò plura avido concesseris, eò plura appetit: porrige digitum, & manum concupiscet. Qui servus servorum est, dominus dominorum, proinde, ac si Deus foret, esse cupit. Ingentia loquitur, quasi Deus sit. Leges commutat, suas sancit, contaminat, diripit, spoliat, fraudat, occidit, perditus homo ille, quem Antichristum vocare solent: in cujus fronte blasphemiæ nomen scriptum est, Deus sum: errare non possum. In templo Dei sedet, longè lateque dominatur.* Secundò innocentissimus virorum traducitur ut *usurarius, & trapezita*: ideo quòd ex verbo Dei, sana philosophia, ratione, & jurisprudentia docuerit licitum esse quid supra sortem vice moderatæ usuræ, accipere ab iis qui solvendo sunt. Multa possent dici, & clarissimè ostendi nihil à Calvino esse traditum, quòd non docuerint plurimi ex canonistis, & casuistis. Sed nolo post præstantiss. virorum Rivetum rem actam agere. Vide sis quæso, Lector, ejus Cathol. Orthodoxum tract. 4. quæst. 15. & excusatissimum habebis Theologorum coryphæum. Vos verò Pontificii, qui existimatis Theologiam vestram fucatam, & hypocriticam, adversari Calvini doctrinæ, meditamini quæso versus, quos explicat Antonin. part. 2. tit. 1. cap. 7. & post eum Azorius l. 7. cap. 8. proponunt enim casus aliquot in quibus quid supra sortem accipere licet. Ita verò sonant:

Feuda, fidejussor, pro dote, stipendia cleri,
Venditio, fructus, cui velles jure nocere,
Vendens sub dubio, pretiũ post tempora solvens,
Pœna, nec in fraudem, lex commissoria, gravis
Dans socii pompæ, plus sorte modis datur illis.

Si ostendere quis possit immoderatæ, & illicitæ usuræ, ac trapezitis patrocinium præstitisse Calvinum, non renuam quò minus usurariorum,

rum, ac trapezitarum maximus vocetur. Legite omnes, qui legere poteſtis ejus Commentar. in Exod. 22. Ezech. 18. & Epiſt. 383. ac toto animo in ejus ſententiam diſcedetis, ſi modo guttulam ſalis & candoris poſſideatis. *Tertiò* calumniator Reſcius *avariſſimum* Calvinum vocat. Quaſi verò optimus virorum unquam coacervandæ pecuniæ & opibus ſtuduerit? Scio, hoc fratres Simoniacos, qui alienum animum ex ſuo æſtimare ſolent, eo etiamnum vivo ad ravim clamaſſe. Sed confuſi ſunt omnes poſt mortem ejus: quem enim putabant Midæ & Craſſi theſauros corraſiſſe, ejus bona omnia, cum ſupellectile, & bibliotheca quoque haſtæ ſubjecta, vix trecentos aureos æquarunt: veriſſimumque deprehenſum eſt quod ante dixerat in Præf. Pſalmorum: *Me*, inquit, *non eſſe pecunioſum, ſi quibuſdam vivus non perſuadeo, mors tamen oſtendet.* Ite jam vos rabulæ & avaritiam objicite pauperculo Calvino. Scio diaboli filios, *Bolſecum*, & *Balduinum* jactare auſos fuiſſe pauperum eleemoſynas ab eo interverſas, & furto ſublatas eſſe. Sed diluat quæſo ipſe hanc plus quàm ſatanicam calumniam. Ita enim in Epiſtola ad Piperinum: Vt nihil jam dicam de Epiſt. ejus ad Sadoletum Cardinalem, quâ omnes provocat; *Me*, inquit, *pauperibus furatum eſſe jactant. Hoc etiam improbiſſimi de nihilo fictum eſſe fateri cogentur. Si quid pauperibus erogant pii homines, nullum nummum attingo. Mortuus eſt apud me ante octo annos vir quidam nobilis, qui apud me ſupra duo coronatorum millia ſine chirographo depoſuerat. Vbi mortis eſſe periculum intellexi, quum meo arbitrio permittere vellet, negavi me id ſuſcepturum oneris. Curavi etiam ut Argentinam mitti juberet octingentos, ſublevandæ exulum inopiæ. Meo hortatu delegit homines minimè ſuſpectos, qui reliquam ſummam diſtribuerent. Mihi quum legare vellet, quod alii non ſprevíſſent, recuſavi: ſed video quid urat meos adverſarios. Quia enim ex ſuo me ingenio metiuntur, non dubitant quin undique accumulem, ubi tam oportuna ſuppetit facultas.* Poſtremum hoc veriſſimum, & oraculum magis, quàm humana vox. Papæ, Cardinales, Epiſcopi, Prælati, Canonici, & Sacrificuli aurum colunt, & noctes dieſque rationes ineunt cogendi pecuniam. Ex re eſt audire querelam Theodorici à Niem Tract. 6. cap. 37. *Camera Apoſtolica*, inquit, *aſſimulatur mari in quod intrant omnia flumina, & non exundant. Sic enim portantur ex diverſis mundi partibus auri pondo millia, attamen non impletur: in qua eſt generatio, quæ pro dentibus gladios commutat: ut comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus: in qua ſunt multæ ſanguiſugæ dicentes, Affer, Affer. Cujus quidem cameræ officiales Gentes cameræ nuncupantur. Bene quidem. Gentes enim ſunt barbaræ nationes, habentes ritus extraneos à moribus hominum.* O *juſtiſſimæ gentes, rectè cum infernalibus furiis, ſeu Harpyis, & Tantalo ſortem ſitibundi poſituri, qui nunquam ſatiantur.* Libri ſcribendi eſſent, de avaritia Ioannis XVI. Ioannis XXI. Benedicti IX. Innocentii III. Gregorii IX. Innocentii IV. qui moribundus flentes amicos hac aureâ ſententiâ conſolatus eſt: *Quid plangitis*, ajebat, *miſeri? nonne vos omnes divites relinquo? quid amplius exigitis?* De Nicolao III. Honorio IV. Ioanne XXIII. in cujus mortui ærario teſte Petrarcha reperta ſunt vicies quinquies millena aureorum millia, ſive ut nos loquimur, viginti quinque milliones auri. De Bonifacio IX. Gregorio XII. Martino V. Calliſto III. Paulo II. Innocentio VIII. Alexandro VI. Sixto V. Vt de gregalibus jam non loquar. *Tertiò*, Calvinus etiam ut *aleator* traducitur: quem tamen aleas nunquam ludendi gratia attigiſſe credo. Quaſi vero homo occupatiſſimus (cui præterquam quòd tot volumina eſſent ſcribenda, ſingulis quoque diebus concionem, & diebus dominicis nonnunquam binas habere, ad hoc quotidie legere, nec non reſponſiones adornare ad amicorum literas, & alia ſexcenta negotia Eccleſiaſtica expedire debebat, teſte etiam Flor. Ræmondo toties à Fromondo laudato lib. 7. de Nativ. Hæreſ. cap. 10.) fritillo & alea tempus fallere ſtuduerit. Quàm deteſtetur autem aleæ luſum, videre eſt in illius Epiſtolis, & Reſponſis.

Pergit diabolus & *quintò* Calvinum *ſcortatorem libidinoſiſſimum* vocat. Reſpicit opinor ſtigma: de quo erit nobis dicendum infra cap. XVII. Si fornicationem ſimplicem, aut concubinatum innuere voluerit, næ ſe turpiſſimè confundit. Genevæ enim, ubi XXIII. annos

vixit,

vixit, & placidè ac piè obiit, non ut Romæ, ulla lupanaria, aut ſcortatores tolerantur. Ne quidem illius Eccleſiæ membra eſſe poſſunt, qui tantùm leviſſimâ fornicationis ſuſpicione laborant, nedum ut tolerentur paſtores in propatulo concubinarii, & fornicatores. *Poſtremo tanquam vindictæ appetentiſsimus, & iracundiſſimus* traducitur. Quia cum zelo domum Dei ædificare ſtuduit, & acriter ſe oppoſuit veritatis adverſariis, nec patienter ferre potuit ullam contumeliam divino nomini illatam, à papalibus lupis *vindictæ appetentiſsimus* dicitur. Qui perfert, & concoquit quamvis privatam injuriam, & ſolummodo commovetur ob blaſphemias, quæ intenduntur regi regum crudelis habetur, & cenſetur vindictam ſpirare? Quæ in gratiam Card. Lotharingi ferrei oris Balduinus commentus eſt, pili non ſunt facienda. Evertunt ea ſemet. Poſtquam enim omnia in Reſponſ. altera ad Calvinum eructaſſet, quæ bilis alicui dictare potuiſſet, ut ſe modeſtum, hoc eſt in propatulo mendaciſſimum probaret. *Neſcio*, inquit, *an memineris: ſed profectò memini, quænam pridie quàm abs te diſcederem, domi tuæ nocte agitarentur conſilia, de nece cujuſdam tui (ut vocabatur) capitanei.* Et ſimul conticeſcit furcifer, ac velut ſacro igne eſſet percuſſus, verbum non poteſt proloqui. Si nefaria in Calvini ædibus agitabantur conſilia, cur non detexit, & indicavit magiſtratui Genevenſi: noverat enim ut I. Conſultus quid hac in parte eſſet agendum. Sed quod in vertiginoſo cerebro fabricaverat mendacium, præ pudore chartæ illinere non fuit auſus. Additur *iracundiſsimus*. Probare illud Apoſtata, & venalis I. Conſultus Balduinus ſtudet ex Buceri literis, clanculariò ab eo ipſo ex Calvini muſæo furto ſublatis, quemadmodum à Brechthano ſummo I. Conſulto, antè eadem fide abſtulerat Comment. ad Inſtitutiones (ut ei exprobravit Beza, nec unquam diluit,) Sed quid myſterii latitabat in Buceri epiſtola? Iudicabat incomparabilis Theologus Calvinum ſeveriorem paulò eſſe in arguendis quibuſdam fratribus ἀγαπητοῖς: hinc inter alia dicit: *Iudicamus prout amamus, amamus autem prout libet*. Quid hic peccatum tantopere? Iudicabat ita ſummus Bucerus, nihil commovetur tamen pientiſſimus Calvinus, neque eo uſque motus illi inſurrexere, ut exortus ſit inter eos παροξυσμός, hoc eſt, exacerbatio, quemadmodum de Paulo & Barnaba teſtatur Lucas Act. 15. verſ. 39. Imo poſtea, modeſtiſſimis Calvini literis ita commotus eſt Bucerus, ut ad eum teſte Beza adv. Balduinum, hunc in modum ſcripſerit: *Chriſtus ille ſolus bonus paſtor donet veniam omnibus nobis, quorum culpâ hoc tam infinitum offendiculum extitit. Equidem mihi bonam hujus culpæ partem aſcribere ipſa me cogit conſcientia.* Et poſtea, poſtquam incentores & authores ſuos retuliſſet, *Sed quid*, inquit, *facio, peccatum meum elevans, quando ipſa mea me condemnat conſcientia.* Et hoc eſt apodicticum illud argumentum pro Calvini iracundia, quod ſolum ex ſignatis tabulis nebulo Balduinus probare potuit! Præclarum etenim, & indiſſolubile. Sed quid ſi Calvinus ὀξύχολος fuiſſet (ad quod vitium cum temperamenti ratione vergeret, ſedulò tamen rationis habenis compeſcuit) quid tum? homo fuit. Sanctiſſimus ille, & ferventiſſimus Chriſti ſervus, Apoſtolus Paulus, 1 Cor. 15. v. 9. agnoſcit ad gloriam Dei, ſe non dignum eſſe qui Apoſtolus vocetur, & 1 Timoth. 1. verſ. 13. libenter fatetur ſe ante converſionem fuiſſe βλάσφημον, διώκτην, καὶ ὑβριστήν, hoc eſt, blaſphemum, perſecutorem, & injurioſum.

II. A Calvino ad Bezam, fideliſſimum ejus amicum & Achatem, ac alterum velut Timotheum trahimur. Ille quoque nullo ſuo merito dicteriorum ſputo conſpurcandus eſt. Quid verò ei exprobrat Doctor? quod primò ſibi ipſi, ſimulac ad ſanam mentem venit, exprobraverat: laſciviores nempe luſus poëticos, juvenilis ingenii. Quæ Beza Papiſta etiamnum, applaudentibus papiſtis, & hortantibus, primâ juventæ face ad exemplum Catulli, Tibulli, Anacreontis, aliorumque majorum gentium poëtarum, ac præ cæteris omnium poëtarum iſtius ævi Italorum, Gallorum, Belgarum, &c. in Candidam quam, & Audobertum luſerat, objiciuntur ei Reformato, & poſtquam publicè ea ipſa aliquoties deteſtatus fuerat, poſt cineres quoque exprobrantur? Imo propterea à Fevardentio comment. in 3. cap. Iacobi *ſalax* vocatur, & à virulentiſſimo Loyolitarum Coſtero Apolog. l. 3. cap. 1. *Galliæ probrum, Simoniacus,*

moniacus, Sodomita, omnibus vitiis coopertus. Quorum vestigiis insistens Fromondus post recitationem versuum, velut territus quis Circumcellio exclamat pag. 53. *O linguas reformatrices cælesti, & Sodomitico igne fulminandas!* Quæ calumnia, quæ malitia est, si hæc non est? Quæ de Candida, & Audeberto viro eximio, equite S. Marci, & apud Aurelienses honoratissimo, ex Bolseco garrit, quid opus est, ea omnia minutatim excutere? Videsis, Lector, ipsum Bezam in respons. ad Claudium Xainthes monachum Parisiensem, item in Præf. 3. Edit. Poëm. ad Andr. Duditium, ut & Cl. Rivetum in Iesuita Vapulante cap. 2. nec non Cl. Molinæum in Hyperaspiste opposito calumniis Iesuitæ Petracellæ lib. 1. cap. 13. Sed excutiamus versus super quos ita παρατραγῳδεῖ Fromondus. Cum aliquando Beza Vezeliis apud patrem desideret, desiderio amicissimi sui, Germani Audeberti, juvenis integerrimi, hendecasyllabos quos condidit: in quibus præter Audebertum, & Candidam quam [non eam quam postea uxorem duxit, matronam spectatissimam, ac castissimam, sed aliam ficti nominis] introducit, hunc in modum;

Abest Candida, Beza quid moraris?
Audebertus abest, quid hic moraris?
Tenent Parisii tuos amores
Habent Aurelii tuos lepores,
Et tu Vezeliis manere pergis,
Procul Candidulaque, Audebertuloque?
Immò Vezelii procul valete,
Namque Vezeliis carere possum,
Et carere parente, & his, & illis,
At non Candidulâ, Audebertuloque?

Et postea;

O duram necessitatem!
Sed postquam tamen alterum necesse est,
Priores tibi defero, Audeberte.
Quòd si Candida fortè conqueratur,
Quid tum? basiolo tacebit uno.

Dicite, dicite omnes, qui legitis hæc, in quo versu, in qua voce, pathici hominis gemitum, affectum, aut Genium videatis. Obtestor vos omnes, ut dicatis, & significetis. Ad me quantum, ita sum talpa in abominandis illis, & quotidianis monachorum sacris, ut ne levissimum quidem vestigium videre queam. Sed non mirum est pæderastas sacrificulos, & clericos plus nobis omnibus videre; assuevere ut cum Firmico loquar, *muliebria pati*, eòque putant se in innocentissimis quoque, *hanc impuri, & impudici corporis labem gloriosâ ostentatione detegere* posse. Si Bezam, Fromonde, versus hi pæderastam arguunt, etenim primus inter nebulones eos censendus est, novus Lovaniensium tuorum sanctus I. Lipsius, quem tamen innocentissimum esse ipse credo. Ita enim ad Andream Schottum, quem speciosum fuisse certum est, scribit Cent. 3. ad Belg. ep. 37.

An sileam in tuo reditu?
Ipsum te expecto, & cum poëta, brevi
Iucundum os, oculosque suaviabor.

Vtrum magis Sodomiam redolet, dubitare utrius amor prævaleat, Audeberti ne, an commentitiæ Candidæ, an velle Schotti oculos suaviari? Iudicate, qui cor habetis. Notum quid nequitiæ latitet in illis Catulli versibus:

Iucundos oculos tuos, Iuventi,
Si quis me finat usque basiare,
Vsque ad millia basiem trecenta.

Desine ergo, Fromonde, sanctissimum virum Theod. Bezam pæderastam vocare, aut exagitabimus posthac vestrum delicatulum Lipsium. Sed demus Bezam, quod tamen æternùm non probabitur, in juventute, dum Antichristo adhuc adhæreret, impudicè vixisse, quid tum? Taceri tamen deberent Papani rabulæ? Quis enim ita à ratione alienus, qui eos dum Bezam exagitant Manichæis, Donatistis, & Pelagianis longè posteriores, ac imprudentiores esse non judicet? Quamvis enim hi infestissimo animo persequerentur Augustinum, à quo strenuissimè oppugnabantur, nunquam tamen leguntur ei exprobrasse, quòd sub Manichaismo concubinarius fuisset. Non nocent præcedentia peccata electis Dei servis: quæ crimina seriâ & acerbâ pœnitentia amplectente salutifera Christi merita, sunt expiata, objici non debent Dei filiis. Rectè Apostolus 1 Cor. 6. vers. 11. *Hæc quidem fuistis, sed jam sanctificati estis.* Et Hieronym. Comm. in Marc. cap. 16. *Peccata preterita non nocent, quando non placent.* Quàm non indignaretur sacerrima Loyolæ soboles, si quis ei superstitiosissimi Patris Ignatii (quem omnibus sanctis præferri cupit) dissolutam

adoleſcentiam (de qua videndus Maphæus in ejus vita lib. 1. cap. 4.) objiceret? Deſinant ergo canes Bezæ hoc nomine maledicere, ejuſque inſectatione nos, aliàs patientiſſimos incitare ad denudanda illorum flagitia. Sodomiam Papatus in præſens non delineo: in quot enim non ſcriptis, & libris ejus iconem ex fide digniſſimis, iiſque Papanis Scriptoribus exhibuimus? Tu qui curioſus es, adito authores ſupra citatos. Sed alio argumento Bezæ ſalacitatem, & incontinentiam probatum it Fromondus, pag. 54. dicit: *Sed in S. Hieronymum præcipuè & acerrimè dentem ſtringunt, quia nimis multa de Virginitate adverſus Iovinianum & Euſtochium ſcripſit*, &c. *Vide tantùm Bezæ in Novum Teſtamentum indicem*, &c. Egregium etenim argumentum. Beza reprehendit Hieronymum, quod Matrimonium ante lapſum in ſtatu innocentiæ à Deo in Paradiſo inſtitutum velut opus carnis inſectetur. Ergo concludere vult Fromondus, Beza fuit ſalax, & exoſum ei fuit donum ſinceræ continentiæ. Si ſcire quis velit an jure reprehenderit Hieronymum Beza, non ejus tantum notas in Novum Teſtam. adeat, ſed potiſſimum doctiſſimum tract. de Conjugio, in quo Hieronymi rationes omnes non ſolùm expendit, ſed ſolidè etiam diluit. Si Beza hic peccavit peccarunt quoque Acoſta, & Salmeron Ieſuitæ, quos ille authores, & ex parte etiam fautores habet. Ita verò loquitur Acoſta lib. 2. de Chriſto Revelato cap. 20. *Hieronymus*, inquit, *virginitatis oppugnatores inſectans videtur aliquantò matrimonio iniquior, & ut egregius miles, ardore feriendi adverſarios premit & interdum ſocios.* Salmeron verò Comment. in 1 Cor. 7. Diſp. 14. *Hieronymus*, ait, *etſi veritatem apertè profiteatur, ubi tamen occurrit de hortando à matrimonio, acrior eſt, atque ferventior.*

III. Poſt Calvinum, & Bezam utriuſque amicos Bucerum & Martyrem invadit, ac de utroque hanc fabellam ex bipedum mendaciſſimo Sandero narrat: *Collegia*, inquit, *caſtiſſimè prius inſtituta, ac inſtar Monaſteriorum, exactiſſimâ diſciplinâ adminiſtrata, uxoribus, ancillis, puellis, lapſis monialibus, aliiſque impudiciſſimis fæminis, ipſi primùm, aliique horum exemplo repleverunt, quas ex Germania ſecum attulerant, vel in Anglia corruperant: quarum conſuetudine multùm remolleſcentes, & paulatim labefacti ſtudioſorum animi, ad hæreſin capeſſendam aptiores reddebantur.* Mendacium dignum Cretenſium generoſitate: Sed quo teſte hæc probat Sanderus? Scimus qualis ejus ſit hiſtoria, quam ἐν τῷ ψευδεῖ ἄκμονι præ indignatione, & impatientia explendæ avaritiæ cudit. Quaſi verò Bucerus, Martyr, & Fagius homines pauperes, & exules, ab Argentina, uſque in Angliam numeroſam fœminarum cohortem ducere potuerint? Non Martyr, aut Bucerus collegia & monaſteria Anglicana impuritate, & ſcortatione infecere. Infecta jam olim, aliquot centenis annis ante, erant: & jam recenter repurgata à rege Henrico VIII. pientiſſimi Eduardi VI. parente. Pudet referre, quæ horrenda flagitia ab eo in generali viſitatione fuerint detecta. Videatur hiſtoria Inquiſitionis: ea edita eſt, & ſummatim refertur apud Balæum Cent. 8. & 9. Sodomiâ, & fornicatione omnes anguli inquinati erant. Abbas de Abingdon gregem meretricum alebat, nec tamen ab inceſtis nuptiis temperare ſibi poterat. Vbique deprehenſa oſſicula infantum, aut in terra defoſſorum, aut in piſcinis ſuffocatorum. Cætera non refero, quia hiſtoria eſt obvia. Quod ad Collegium verò celeberrimum Ieſu, Cantabrigiæ, in quo docuit piæ memoriæ Bucerus non ab eo hoc eſt infectum, ſed jam antè à monialibus ſub Henrico VII. turpiſſimè deformatum fuerat. Teſte enim Holinſh. in vita Henrici VII. in calce: cùm antè fuiſſet monaſterium fœminarum, propter abominandam earum turpitudinem à Ioanne Alcock converſum fuit in collegium.

IV. Dein Boreas maledicentiæ Thraſonicum noſtrum Æneam ad Catharinam proram Lutheri uxorem defert: de ea ita pag. 35. ex Henrici VIII. Regis Epiſt. mentitur, *quòd biennio antequàm Luthero nuberet inter Scholares VVittebergenſes ſcortata fuerit.* Quod eſt mendacium, ſi hoc non eſt? Quis putet virum Dei Lutherum (qui poſtquam Papam oppugnare cæpit, factus eſt odium totius mundi) ita imprudentem fuiſſe, ut domum duceret diobolarem meretriculam? aut hoc toleraturam fuiſſe Eccleſiam VVittebergenſem, aut pientiſſimum ducem & electorem Frederi-

cum

cum, aut zelotem ejus fratrem Iohannem, quorum intererat Lutheri uxorem, non esse meretricem. Rumores qui incerto authore jactantur vani ducuntur à prudentibus. Gnato quis, aut parasitus credulo regi mendacium hoc obtrusit, aut illud ipsi dictavit odium, quo in Lutherum tum temporis ferebatur. Ni Fromondus maledicentiâ canem, & ignorantiâ asinum Cumanum superaret, reticuisset hanc legendam. Si inter suos nolit mendax haberi, ex Dn. Iacobo de Voragine, historiolam de S. Maria Ægyptiaca narret, quæ per septendecim annos nulli non corpus suum vulgavit: quæque tam liberalis fuit in addicendo, ut cum aliquando flumen trajectura esset, & pecuniam non haberet, nautis se loco nauli supponere maluit, quàm precariò trajicere: nec non de Beatrice Moniali quæ teste Cæsario lib. 7. cap. 34. clam reliquit cœnobium, & per quindecim annos secuta est clericum, qui eam corruperat, formam ejus interea assumente, & locum inter sororculas supplente B. Virgine Mariâ.

V. A Luthero ad constantissimum & sanctissimum Christi Martyrem Thomam Cramnerum, Cantuariensem Archiepiscopum fertur; de eo autem ex mendacissimo Sandero hæc narrat pag. 56. *Vnum*, inquit, *illud molestissimè semper ferebat, quòd meretricem quandam suam non poterat palam uxoris loco liberè habere, quia id non laturum Henricum sciebat; sed partim domi eam occultare, partim, cum foras prodiret, cistâ quadam ad id affabre factâ inclusam, secum unâ circumferre cogeretur.* Mendacium dignum diaboli filio Sandero, & præcone Fromondo. Quasi miraculum tum temporis in Anglia fuisset Episcopum, concubinam in propatulo habere, eam Cramnerus in cista secum circumtulisset? ne illa ampla & spatiosa cista esse debuit, & prudentissimè semper à famulis, in curribus & navibus collocari: nisi fortè quæ ei inclusa erat ex sobole Pygmæorum fuerit, & in bulga seponi potuerit. Memini me aliquando in Italico authore legere, cortosanum quem se cistæ inclusisse, & per ministrum in ædes amasii deferri curasse, à ministro autem, qui claves habebat, fuisse per dies aliquot neglectum, ita ut ab eo dum cistam aperire, & eum in cubile dominæ deducere meditaretur, suffocatus, ac mortuus fuerit deprehensus. Næ Anglici ministri diligentes esse debent, qui tam sedulam scortilli Cramneriani curam gessere. Convenirent tales Abbatibus & Monachis Papalibus, qui non semel, ut in Facetiis Poggius narrat, nudi cistæ se inclusere, ne à supervenientibus maritis apud uxores in lecto adulterantes deprehenderentur. Sed quorsum hoc absurdissimum mendacium à transfuga Sandero de Cramnero excogitatum? ut deleret & obliteraret ignominiam VVarami antecessoris Cramneri in sede Cantuariensi, de quo teste Foxo, & Balæo omnibus Anglis constabat, quod refertum meretricibus gynæceum haberet.

VI. A Cramnero iterum ad Bucerum trahimur, pag. 56. Magnum is scilicet designavit flagitium, judice tenebrione Surio, quòd *ad tertias nuptias fuerit progressus.* Sed aliud adhuc vitii & monstri in reconditis pectoris penetralibus alebat, *Audivi*, inquit Carthusiæ carcinoma, *ego ex quodam gravi, longèque doctissimo viro, fuisse eum Iudæum, & cùm quandoque puerum quendam nescio ex qua fœmina sustulisset, eum circumcidisse. Vtrum autem hæc prorsus certa sint non possum affirmare; præsertim quòd ille qui hæc referebat, se ab aliis accepisse diceret.* En accuratum historicum, dignissimumque qui miracula S. Francisci, S. Dominici, & S. Brunonis sui cedrinis tabellis inscribat. Sed videamus, quantopere scrupulosam hanc diligentiam Lovaniensis morio prædicet. *Vides*, ait, *hic obiter, mi Voeti, quàm religiosus & candidus sit noster Surius, nec affirmate loquatur, ubi verum ei est in nubilo. Sed hypocritam hic agit, ut alibi decipiat inquies. Prudenter respondes. Tibi hoc expedit. Sic semper dicito.*

Spectatum admissi risum teneatis amici.

Rogo vos Lectores Papanos, qui casu incidetis in hunc locum, & aliquid potestis apud Serenjss. Cardinalem, & Amplifs. curatores Lovaniensis Academiæ, ut iis persuadeatis præter Clar. & Amplifs. Puteanum alium adhuc Professorem, qui novitates Ecclesiasticas contra Gnesios legat, constituendum esse: ac imprimis de meliori nota commendetis, Dn. Doct. Libertum Fromondum: habilis erit magis illi professioni, quàm Theologiæ. Obscurissimos

Surii Annales æquè magno cum concursu ac quondam Lipsius Tacitum aut Plinii Panegyricum, præleget. Illud de eo testor, me certò credere, eum ita intra semestre spatium eos radiis suæ loquentiæ illustraturum, ut haud aliter splendeant, ac stercus in laterna: quod verò in iis desideratur, supplebit ex novellis Antverpiensibus, in quibus solet esse

—— *veri nihil, omnia falsa.*

Sed hæc per parenthesin. Apage sis Iudaismum Buceri. Rumor ille ab incerto authore est ortus, & à nugatore Scriptore consignatus: haud magis Bucerum, aut quam constanter professus est religionem ferit, quam fulmem aliquod è pelve. Possem multa de Papis & Papistis Iudaizantibus reponere, sed nolo hoc tempore, & loco. In circumcisionis incidimus mentionem, unam quæstionem proponere non quidem Fromondo, sed aliis eo doctioribus & subtilioribus, debeo. Quomodo nempe à Iudaismo excusari possint, qui in Lateranensi Ecclesia adorant præputium Christi. Et an illud germinaverit, aut aliud genuerit, ut præter Christi dentes, & crines, etiam ostendi possit Cracoviæ à devotis monachis, an verò sit omnipræsens. Quæstionem hanc qui solverit eum Sophum salutabo.

VII. Post narratas calumnias de Calvino, Beza, Martyre, Bucero, & Cranmero, ex incertissimis, & mendacissimis Scriptoribus, spiritus vertiginis, & mendacii afflavit Fromondum, neque temperare sibi potuit, quin in bonum Ecclesiæ Romanæ novam sine teste, sine authore, cuderet calumniam. Sed quia & dexteritas quædam in mentiendo requiritur, ostendit quoque quam sit asinus, & stipes. Ita autem loquitur pag. 56. *Guilelmus*, inquit, *Farellus, Calvini in cathedra Genevensi antesessor, & ab eo depulsus, senex septuagenarius filiam ancillæ suæ juvenculam 18. annorum duxit. Rogatus ab amicis, ut sibi temperaret, neque tam bellam ridendi ansam Papistis in manum daret, neve infamiam illam inureret Ecclesiis, nil aliud, quàm se in illa adhuc ætate re uxoria indigere respondit, Nec famam obstare pudori.* Misselle, affectu mentiris: te vera te deridendum largiter propinas: credo tamen te diabolo tam acceptum esse pro eo quod conaris, quàm quod potes. Hactenus mendacia tua aut ex Bolseco, aut Sandero, aut Balduino confirmasti. Hoc verò nulla ex talibus columnis nititur. Credo te præcedenti hieme, ut insomnium falleres, hoc fabricasse. Sufficere posset ad refutationem, dicere ταῦτα μήτε δεδραμένα, μήτε εἰρημένα εἶναι, hoc est, *hæc neque facta neque dicta esse*, ut cum Aristoph. loquar. Sed lubet, animi gratia, paucis pellucidum hoc commentum lustrare. Dicit: *Farellus Calvini in Cathedra Genevensi antesessor, & ab eo depulsus.* Itane Calvinus expulit Farellum Genevâ? miror ergo quod ad extremum usque tam constantes & fideles amici fuerint? Et quod Farellus suis tonitruis permoverit Calvinum ut Argentorato ad Allobròges rediret? ut testatur Claudius Feræus in Epist. ad Farellum: quæ est inter epistolas Calvini 20. Quodque jam portans sexagesimum nonum annum Neocomo Genevam venerit desiderio invisendi φιλτάτην κεφαλήν. Pergit, *senex septuagenarius*: quæro ex te Fromonde quotum annum supra septuagesimum egerit? Si scivisses ex Bezæ Iconibus, aut Bucholzeri Chronologia eum ipso septuagesimo anno excessisse, sat scio dixisses sexagesimum nonum. Dein, *filiam ancillæ suæ 18. annorum duxit*: Atqui meminisse debuisses rarò aut conjugatas fœminas, aut viduas pro ancillis operam suam locare. Eâdem operâ dixisses fuisse concubinæ suæ filiam, & eum naturalem filiam thoro suo junxisse. Vah! professorem Lovaniensem tam ineptè, ac absurdè mentiri!

VIII. Dein sub finem capitis Pyrgopolynices noster triumphum agit in plaustro stercorario, præcedentibus quatuor canibus. Quasi oracula nobis de Calvino, Beza, Martyre, Bucero, Luthero, Cranmero, Farello fudisset, & omnes ministri, ac reformati iis similes essent, in eos ut quos salaces Faunos, ac Satyros debacchatur. Quis ferat hæc, & non ringatur? Plin. l. 8. cap. 21. *Ex canibus unum semel tantùm locutum esse narrat.* Quoties non loquuntur Antichristiani catelli? quoties non Lovaniensis Molossus? Post recitatum mendaciorum, ac calumniarum carmen pag. 56. ait: *I jam Gisberte Voeti, & Pontificum ac sacerdotum nostrorum libidinem nobis objice.* Objecimus vobis millies, & nemo unquam diluit. Si vir haberi

haberi velis, & zelotes Ecclesiæ filius, retundito, & confundito ea, quemadmodum ego tua, tuorumque mendacia. Sublestis, domesticis, & intestabilibus testibus calumnias vestras probare studetis. Nos verò vestros historicos, & non unum aut alterum, sed plurimos sæpe adducimus ad probandam paparum, ac sacerdotum turpitudinem. Quia verò Voetio metum incutere tuis calumniis studuisti, ne vitia & nefandas libidines Paparum referret, age aures arrigito, & hac vice eas ex me audito. Agmen ducet *Sergius tertius*, de quo refert Luitprand. Ticinensis lib. 3. de Imper. Gestis cap. 12. quod *Marozіam* nobile scortum in oculis civium Romanorum velut uxorem habuerit, ex qua & genuit filium, qui, teste Platina, per scortationes sedem obtinuit, & dictus est *Ioannes XII.* vel secundum Platinam *Ioannes XIII.* qui & testatur *eum in adulterio esse confossum. Landus* quoque, ut Platina dicit *homo obscurus* inter meretrices consenuit, erat enim ut Luitprandus l. 2. hist. cap. 13. dicit *homo turpis & obscænus.* filium habuit, qui ei in pontificatu successit, & dictus est *Ioannes XI.* Ioannes hic in delitiis habuit impudentissimam meretricem Theodoram, per quam primò ad Bononiensem Episcopatum, dein ad Ravennæ Archiepiscopatum, & postremò ad pontificatum est evectus. Vide Platinam. Quid de *Benedicto IX. Sylvestro III.* & *Gregorio VI.* dicam, quos Platina *tria teterrima monstra* vocat. Sane Baronius impudentissimus aliàs Papanæ tyrannidis promachus hic manus dare compellitur, sic enim tom. 10. ad annum 912. §. 8. dicit: *Quæ tunc facies sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quàm fœdissima? cùm Romæ dominarentur potentissimæ, ac sordidissimæ meretrices, quarum arbitrio mutarentur sedes, darentur Episcopi, & quod auditu horrendum & infandum est, intruderentur in sedem Petri earum amasii Pseudo-Pontifices.* Item Genebrardus in Chronico ad annum mundi 4987. *Seculum,* inquit, *hoc uno infelix, quòd per annos ferè centum quinquaginta à Iohanne octavo, Pontifices à virtute majorum defecerint, Apotactici, Apostaticive potius, quàm Apostolici.* Responde quæso semel tantùm Dn. Doctor ad hæc testimonia, quæ toties Ecclesiæ tuæ objecêre Plessæus, Chamiærus, Molinæus, Rivetus, Voetius in Philonio, & in Desp. Causa ac post omnes hos & ego. Si tu nolis, mandato alteri qui tibi succenturiabitur. Sed nec tu, nec ille hoc faciet. Accedo ad *Clementem V.* eum qui primus sedem Avenionem transtulit, fuit hic teste authore Paralipom. ad Vrsperg. ad annum 1303. *publicus fornicator.* Vtque de eo dicit Ioannes Villani lib. 9. cap. 58. *Fue lussurioso, che palese se dicea, che tenea per amica la comtessa di Parigogo,* hoc est, *Fuit luxuriosus, & publicè velut amicam habuit Comitissam Perigordensem. Benedictus XII.* ipsissimus ille qui de se dicebat (erat enim sibi conscius, quàm eruditus esset) cùm nuncium acciperet pontificatus sibi delati: *Scitè fecistis, quòd asinum elegistis.* Is secundum Platinam meretrices aluit. Ex re autem est adjungere jucundam narrationem, quæ de ejus amoribus occurrit apud Hieronym. Squarzafico in vita Petrarchæ: *Erat,* inquit, *ei* [Petrarchæ] *soror quæ jam duo de viginti habebat annos, quæ Avenione ubi orta est, cum Ghirardo patruo morabatur: eleganti formâ, insignis moribus & virtute prædita, cujus pulchritudine & formâ perditè deperibat Pontifex* [Benedictus nempe XII.] *& ut illâ potiretur, multa fieri fecit experimenta. Cogitavit præmiis, & honoribus Petrarcham in suam trahi opinionem. Cardinalem facturum promittit, dummodo illa suo concederetur arbitrio. Franciscus, qui in omni re Deum præ oculis habebat, cui nihil occultum: ut ille, qui nihil comere, nihil fingere, nihil dissimulare didicerat, ut debuit irâ commotus, & id linguâ, quod fronte atque animo habebat respondit, tam fœtidum galerum capiti non esse ponendum, ac fugiendum, abominandum omnibus tanquam nefandum, & dedecorosum. Et si reverentia nominis, quòd vices Dei in terris gerebat, non teneret, calamo tantæ rei se vindicaturum. Et fecit, prout Philadelpho placet, in una sua morali cantilena, quæ incipit:* Io non vo piu cantar, como solea. *Nihilominus Pontifex furoris impatiens, alterum fratrem Ghirardum tentare fecit, qui paucis muneribus captus, sororem prostituit. Quo facinori audito, & Ecclesiam Dei videns per abrupta vitiorum sic trahi, Avinione aufugit, Italiam versus ire cæpit. Frater pœnitentiâ ductus, nuptâ sorore, sanctæ religionis habitum quæsivit, & Carthusiensi ordini in conventu de Materno, quod est*

prope Maßiliam, rebus mundanis rejectis, se devovit. Hæc Hieronymus. *Sixtus IV.* qualis ille Faunus? De eo ita Agrippa de Vanitate Scientiarum cap. 64. *Lupanaria,* inquit, *utrique veneri erexit, cardinalique cuidam masculæ Veneris usum certis mensibus indulsit.* Ejus sepulchro affixum fuit hoc Epigramma *Ioannis Sapidi*;

Sixte jaces tandem, deflent tua busta Cinædi,
Scortaque, lenones, alea, vina, Venus.

Et Baptista Mantuanus Iovem infernalem sic eum alloquentem introducit:

At tu implume caput, cui tanta licentia quondam
Fœmineos fuit in coitus, tua facta putabas
Hoc quoque prætextu mitræ impunita relinqui?
Sic meruit tua fœda Venus, sic prodiga in omnem
Nequitiam; ad virtutis opus tua avara libido.

Quis *Innocentius VIII*? *ille ex gente Cibonum ô miraculum!* scortator in propatulo, & publicus adulter: idem & multos liberos ex vago concubitu genuit teste *Stella, Guicciardino,* & ipso quoque *Onuphrio.* De hoc extat tale Marulli Epigramma;

Quid quæris testes, sit mas an fœmina Cibo?
Respice natorum pignora certa, gregem.
Octo nocens pueros genuit, totidemque puellas:
Hunc meritò poterit dicere Roma patrem.
Spurcities, gula avaritia, atque ignavia deses,
Hoc, Octave, jacent, quo tegeris tumulo.

Ioannes XXIII. ut liquet ex appendice Concilii Constantiensis, tum propter alia scelera est depositus tum etiam *quòd cum uxore fratris sui, & cum monialibus incestum, cum virginibus stuprum, cum conjugatis adulterium, & alia incontinentiæ crimina, propter quæ ira Dei descendit in filios diffidentiæ, commisisset.* Qualis autem *Paulus II*? Is ut erat simul incontinens, & superbus (teste Stanislao Orichovio de cælibatu ad Iulium III.) expostulavit cum Syricio de acerbitate legis de cælibatu, eo *quòd cum summo probro filiam in ore, atque in oculis civitatis versari videret.* Accedo ad *Alexandrum VI.* quem hoc Epitaphio condecoravit *Actius Sanazarius*

Sævitia, insidiæ, rabies, furor, ira, libido,
Sanguinis & diri spongia, dira sitis:
Sextus Alexander jaceo hic

Is filios suos spurios per fas nefas promovit, ut videre est apud Guicciardinum, & Platinam. Notissimum Epigramma Pontani de spuria ejus filia Lucretia:

Hoc jacet in tumulo Lucretia nomine, sed re
Thais, Alexandri filia, sponsa, nurus.

Vt enim Guicciardinus ait lib. 3. *Fama erat in amorem Lucretiæ non germanos tantùm, sed patrem ipsum cum liberis concurrere.* Vnde non injuria idem l. 6. tali eum elogio condecorat: *Draco, qui immoderatâ ambitione, & perfidiâ, omnibusque horrendæ crudelitatis, monstrosæ libidinis, & inauditæ avaritiæ exemplis orbem universum infecit.* Succedit *Iulius II.* de quo ita Guicciardinus lib. 9. *Iulius secundus ebriosus, delitiis, voluptatibusque fuit innutritus.* Idem *filiæ ejus nothæ* mentionem facit lib. 7. In pueros quoque insaniit, modo illud Grebellii distichon de eo jactatum, est;

Venit in Italiam spectabilis indole rarâ
Germanus rediit de puero mulier.

Leonem X. prætereo hic, quia de eo supra quid delibavi Sequitur *Paulus III.* qui ut Cardinalitium galerum consequeretur sororem suam Iuliam Alexandro VI. stuprandam dedit; nec hoc tantum? ex nobili puella Anconitana, quam spe nuptiarum deceperat genuit Petrum Aloisium hominem crudelem, & libidinosum. Cum filia Constantia, & sorore quoque consueverat: ad hoc deprehensus fuit in lecto neptis *Lauræ*, quæ *Nicolao Quercæo* nupserat. Vide sis de ejus flagitiis *Valerium Anselmum.* De *Iulio III.* ex re est referre verba præsidis *Thuani,* qui ita lib. 6. Hist. *Iulius,* inquit, *soluto ad omnem licentiam animi homo statim adeptâ dignitate, qualis esset omnibus manifestum fecit. Nam cum antiquæ consuetudinis sit, ut novus pontifex galerum cui velit, suum largiatur, eum juveni cuidam, cui Innocentio nomen, quique quòd in familia simiæ curam gereret, Simiæ, etiam post adeptam dignitatem nomen retinuit, cognomine suo, atque insignibus attributis donavit. Quærentibus verò Cardinalibus quod indignum hominem ad tantum fastigium evexisset, non inurbanè respondit: & vos quid tandem meritorum in me comperistis, quem Christianæ Reip. principem constitueritis?* Qui dein verò cum consecuti sunt politicè & occultè magis pueros & scorta amare cæpere: adeo ut eorum flagitia non ita ut olim jam extra Palatium eliminentur,

minentur, quamvis non ſit dubium eos nihilo illis, quos nominavi meliores eſſe. Neque enim ſolent capones inter pontifices adoptari, nec quiſquam ex iis tam veſanus unquam repertus eſt, qui cum Origine ſe caſtravit. Ioannam VIII. quia mulier fuit non produxi. Vide ſis Lector, hiſtoriam quæ de illa circumfertur ex plurimis & fide digniſſimis ſcriptoribus probatum apud Voetium in Deſp. Cauſa lib. 3. ſect. 2. cap. 1. p. 542. Eat jam Fromondus, & hanc Paparum ſuorum turpitudinem diluat; ſi maculas horum XVII. eluerit, cum poſtquam induſtriam ſuam oſtenderit in erudienda Pontificis ſimia, dignum putabo rubro galero.

CAPVT XIV.

Quo docetur quàm caſtè & continenter illi vixerint, qui ab initio novi Teſtamenti, uſque ad hoc ſeculum contra divina præcepta caſtitatem, ac cælibatum vovere.

I. VIdimus ſuperiori capite patienter heroum noſtrorum virtutes calumniis à Fromondo, & qui ei ſimiles ſunt, Bolſecus, Balduinus, Serarius, Surius, lacerari. Certum illud indicium eſt, eos Deo charos, & dilectos eſſe, quandoquidem ita exoſi ſunt hominibus, qui nocte dieque calumnias, quibus eorum probitas & pietas obnubilari poſſit, meditantur, & fabricant. Quandoquidem verò Fromondus, ultrò, ac non provocatus Augiæ ſtabulum in nos exonerare ſtuduit, ægrè ferre non debet, ſi in Papanum fimetum digitum tantùm intendamus. *Non negamus*, inquit, pag. 56. *à quibuſdam caſtitatem Deo votam, per ſcelus violari, ſed plurima millia tibi dabimus, qui intra, aut extra monaſteriorum clauſtra, per exercitia ſpiritalia, & carnis mortificationes illibatam cuſtodiunt, factoque ipſo ſtolidum illud Lutheri dogma, caſtitatem eſſe rem impoßibilem, refellunt*. De hac Lutheri calumnia videbimus infra in examine cap. XVII. Et iterum pag. 83. Fromondus: *Caſtitas*, inquit, *Clericalis etiam perpetua divino munere, quòd ritè petentibus deeſſe non ſolet, à plurimis intemeratè cuſtodiri poteſt, qui nemine cogente ſacrorum Ordinum, aut Monaſticis votis ſe illigant.* Examinemus hæc. Vt autem ſolidè poſſimus capite hoc inſititio, breviter & ſuccinctè incunabula, progreſſus, & fructus ſacerdotalis, & monaſtici cœlibatus excutiemus. De concubinatu preſbyterorum ſi quid dici poſſet, reſervabimus uſque ad examen cap. XVII.

II. Notiſſimum eſt, nec hic probandum, neque jure Moſaico veteris teſtamenti, neque jure novo Chriſti ullis (cujuſcunque etiam conditionis ſint) matrimonium interdici. Axioma illud Apoſtoli Heb. XI. verſ. 4. nullam limitationem, nullam exceptionem admittit: τίμιος ὁ γάμος ἐν πᾶσι, καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος. Quæret ergo quis unde dimanarit ſacerdotum cælibatus? E diabolo 1 Timoth. 4. v. 1. Effaſcinavit ille gentiles: & abominandorum idolorum ſacerdotibus eam ſpeciem ſanctitatis conciliavit, ut libidinoſæ mulieres volupe & pium eſſe duxerint iis ſe proſtituere, & ante altare corpus ſuum vulgare. Athanaſ. contra Gentes de Phæniſſis mulieribus: *Olim*, inquit, *Phœniſſæ mulieres ante idola proſtituebantur, dedicantes numinibus ſuum quæſtum, perſuaſæ meretricatu ea propitiari, ac proſperitatem rerum inde naſci.* Nec Phæniſſæ ſolæ ita obſequentes ſacerdotibus fuere, ſed & aliæ. Hinc Tertull. Apolog. cap. 15. dicit: *Cæterum, ſi adjiciam, quæ non minùs conſcientiæ omnium recognoſcent, in templis adulteria componi, inter aras lenocinia tractari, in ipſis plerumque æditùorum, & ſacerdotum tabernaculis, ſub iiſdem vittis, & apicibus, & purpuris, thure flagrante libidinem expungi, neſcio ne plus de vobis dii veſtri, quàm de Chriſtianis querantur.* Item Minutius Felix in Octavio; *Vbi autem magis à ſacerdotibus, quàm inter aras & delubra conducuntur ſtupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur? frequentiùs denique in æditùorum cellulis, quàm in ipſis lupanaribus flagrans libido defungitur.* Nec tantùm eam exiſtimationem ſacerdotibus Idololatris conciliavit diabolus, ſed quoſdam etiam eò induxit ut temerarium ſervandæ caſtitatis votum facerent. Ita cælibes fuere Germanes Indorum philoſophi teſte Strab. l. 15. Item Ægyptii ſacerdotes, ut authoritate Chęremonis probat Hieronym. l. 2. in Iovin. Ab his Eſſæni didicere, de quibus præter Ioſeph. lib. 18. Antiq. cap. 2. & l. 2. de Bell. Iudaic. cap. 7. Videndus Euſeb. lib. 8. Præpar. Euang. cap. 4. Imo quidam, ut

Cybeles

Cybeles sacerdot. castrabant se Samiâ testâ, teste Plin. lib. 11. cap. 49. Idem de sacrorum præfectis apud Athenienses qui Hierophantæ dicebantur, testatur Hieron. lib. 1. in Iovin. & lib. de Monogamia ad Geruntiam.

III. Post Messiæ adventum, Satan ad similem pene turpitudinem, sub prætextu Euangelicæ perfectionis, & Apostolicæ æqualitatis, primo Nicolaitas pellexit, ita dictos à Nicolao, incertum, an diacono cujus mentio fit Act. 6. vers. 5. an alio. qui quod ob formosam uxorem inter libidinosos male audiret, eam prostituit & vulgarem esse sivit. Ab hoc Nicolaitæ denominati, quos jure detestatur Sp. sanctus Apocal. 2. vers. 6. in propatulo enim abominanda inter se committebant. Videri de iis possunt Clem. lib. 3. Stromat. Eus. l. 3. Hist. cap. 23. Augusti. hæres. 5. Epiph. Hæres. 25. Niceph. l. 3. Hist. cap. 15. Irenæus lib. 1. cap. 27. dicit: *mæchari, & idolothyta edere, eos pro nihilo duxisse.* Ab his orti sunt Gnostici, quorum pater fuit Carpocrates; de quibus ex re est videre Clem. Alex. l. 3. Strom. Illi in ἀγάπαις quarum tum in Ecclesiis vigebat consuetudo, nefanda patrabant. Variæ etiam inter eos sectæ fuere: quidam enim, teste Epiphan. Hæres. 25. Phibionitæ, alii Epiphanis sectatores, nonnulli etiam (si non fallant codices) Stratiotici vocabantur. De iis ita Epiphan. Hæres. 26. *Ad talem,* inquit, *magnitudinem, ac profunditatem malorum, hostis hominum diabolus ducit illi credentes, ut polluant & mentem, & cor, & manus, & ora, & corpora, & animas eorum, qui ab ipso in tanta cæcitate, eruditi sunt.* Cùm autem communiter omnibus permitterentur conjugia, inter eos tamen quidam similes modernis Monachis fuere, quos Levitas vocabant, de quibus ita Epiphanius loquitur loco dicto: *Qui Levitæ apud ipsos vocantur, non miscentur fœminis, sed ipsi inter se mutuo miscentur: & hi sunt præcipui apud ipsos, & laudatissimi.*

IV. Postea Marcion, Tatianus, Montanus Encratitæ, & Manes incrustare hanc fæditatem cæpere, προφάσει perfectionis Euangelicæ nuptias damnantes, & quasi humano generi in pænam datæ forent, absurdè non tantum, sed & blasphemè de iis scripsere, & locuti sunt. Nec ipsi solum ita sensere, sed & viros aliquos, egregios, doctos, & pios pellexere. Certè Tertullianus fuit subtilis Montanista. Quamvis enim nō apertè nuptias damnare fuerit ausus, tamen dilucidè satis in condemnatione secundarum nuptiarum, quid sentiret, ostendit. Vide sis eum lib. 1. ad uxorem cap. 1. & 4. lib. 2. de velandis Virginib. cap. 10. & lib. de Monogam. cap. 12. Origenes quoque, quamvis trepido, & suspenso vestigio non obscurè tamen in eorum castra discessit: imo apertè satis nuptias in clericis condemnavit. Videatur ejus homil. 23 in Num. Adeo ut & Originistarum secta, idem pene cum modernis Iesuitis docens, ab eo nomen acceperit. Ex re verò est, ex Epiphanio discere, quàm castè & religiosè cælibatum coluerint. Ita autem is, de iis loquitur Hæres. 63. *Rejiciunt nuptias, & non cessat apud ipsos libido. Inquinant autem suum corpus, & mentem, & animam in petulantia. Non enim student ipsi castitati, sed simulatæ castitati, & nomen saltem habenti.* Ac dein turpia & nefanda quædam subjicit, quæ unumquemque apud eum legere malim, quàm ipse referre. A Tertulliano circumventus, & in errorem pellectus Cyprianus est, qui & ipse amore præceptoris plus æquo tribuit virginitati, & ex parte quoque, odio prosecutus est fœmineum sexum. Videatur ipse de Habitu Virginum & alibi. Quid mirum ergo si & tum, sub Ecclesiæ Infantiam, propter persecutionem 1 Cor. 7. vers. 26. quidam præfractè, & contra Apostoli præceptum & exemplum cælibatum colere inceperint: Sed quo successu? quâve puritate, & perfectione? loquatur ipse Martyr Cyprianus, lib. 1. ep. 11. *Legimus,* inquit, *literas tuas, frater charissime,* (is erat Sedulius) *quas per Paconium fratrem nostrum misisti, postulans & desiderans ut tibi rescriberemus, quid nobis de iis virginibus videatur, quæ cum semel statum suum continenter, & firmiter tenere decreverint, detectæ sint postea in eodem lecto pariter mansisse cum masculis, ex quibus unum diaconum esse dicis.*

V. Pervenimus usque ad annum χρισ͂ογ. 250. vidimusque jam tum fundamenta exorituræ abominationis ab hoste veritatis esse jacta. Proserpsit autem paulatim gangræna, & quibusdam tantùm doctoribus placebat cælibatus, probari, imo urgeri cæpit à presbyteris

in variis Synodis provincialibus, Arelatensi, puta, Neocæsariensi, Ancyrana, & aliis: usquedum Synodus œcumenica Nicena prima; Anno 325. erecta gravi oratione Paphnutii, grassanti malo fibulam imposuit, Socrat. lib. 1. cap. 8. Zozom. lib. 1. cap. 22. Nicephor. lib. 8. cap. 9. Sed ne sic quidem lolium extirpatum fuit. Divisi erant Doctores, & Episcopi. Alii cælibes, alii ut Hilarius, & Gregorii Nazianzeni pater, uxorati erant. Cælibes quam perfectionem sibi attribuere, & alteros contemnere cæpere. Hinc illæ lacrymæ! Vbique pulpita, contra Scripturam & rationem personabant virginitatis laudibus, & vituperiis conjugii, ita tamen ut nulli laqueus injiceretur: aut vota urgerentur. Qui poterant, cælibatum, quamvis non integra semper existimatione, colebant. Videantur Athan. Epist. ad Dracont. Epiph. hæres. 4. Quamvis non negem, eos qui obloquebantur, & pro libertate stabant acrius exceptos fuisse. Ita invectivis Iovinianum & Vigilantium incessit Hieronymus, & Græcos Epiphanius Hæres. 59. Quis miretur ergo si prurientia, & ambitiosa quædam ingenia laudem ejus doni affectaverint, quo non dotare eos visum erat supremo Deo! Verum egregiè confusi sunt in turpitudine sua, ut non reticent illi, quos præ aliis authores sibi esse gloriabantur. Docet Hieron. Ep. ad Oceanum, quâ acriter *promiscuam venerem, & caninas clericorum nuptias* perstringit. Nec non Chrysostomus in Oratione, quâ insectatur regulares fœminas, quæ viris cohabitabant, inter alia dicit: *Duo*, inquit, *genera commixtionis viri, & fœminæ nota fuerunt, conjugium, & stuprum. jam verò tertium à regularibus istis fœminis inventum est.*

VI. Postremò ex hoc privatarum opinionum conflictu emicuere scintillæ Antichristianismi. Contra Scripturam, contra praxin Apostolorum, contra decreta Synodi Nicenæ, Syricius Papa post plurimas blasphemias in sacrosanctum conjugium eo clericis interdixit, ut liquet ex Distinct. 82. quod postea renovavit Innocentius I. Distinct. 82. cap. *Proposuisti.* Et denique Leo I. circa annum 440. quamvis illius nullum extet decretum. Non acquiescebant enim rigidæ illi legi Ecclesiæ Græcæ, nec etiam magnam partem Ecclesiæ Latinæ. Opus fuit subinde renovatione, & synodis, in quibus error surgentis Antichristi sub anathemate confirmaretur: quamquam nihilominus tamen in Galliis multi ex Episcopis uxorati fuerunt. Vt solidè, & invictis argumentis probat Dn. Plessæus lib. 2. de sacra Eucharist. cap. 10. in calce. Quæ sanctitas cælibum clericorum, & quis fructus affectatæ virginitatis circa hæc tempora fuerit, optimè docet Salvianus Massiliensis Presbyter qui vixit circa annum 460. Is in gravi & seria illa reprehensione clericorum l. 5. de Gubern. sic inter alia loquitur: *Præposterum est quod agitis, non est conversio, sed aversio: qui jam pridem, ut fama est, opus etiam honesti matrimonii reliquistis, tandem à scelere cessate. Et quidem justum est, ut ab omni scelere: sed tamen si non ab omni, quia hoc fortasse durum, & impossibile esse creditis, certè vel maximo, & prodigioso.*

VII. Crescebat interea Papæ potestas, & jam jam in lucem proditurus erat Antichristus, eôque paulatim quoque per Galliam, Germaniam, Italiam, & Hispaniam, frustra ubique, obloquentibus doctis & piis quibusque, doctrina dæmoniorum disseminata est. Quam ęgrè autem intolerabile jugum illud clerici receperint, & in quæ obstacula in singulis provinciis & regnis Papæ offenderint, haud opus sigillatim narrare. Factum hoc aliquoties à nostris. Videantur Kemnitius, & Plessæus in Mysterio, & loco supra citato. Hoc certissimum est, plerosque ex iis, qui perpetuam continentiam, & virginitatem vovebant, usque ad annum 600. nihil minus fuisse, quàm continentes. Vt ipsa experientia, quæ stultorum solet esse magistra, Gregorium Magnum docuit. Ex re autem est historiam referre, prout eam narrat Huldericus Augustanus Episcopus, in Epist. ad Nicolaum I. *Sunt*, inquit, *verò aliqui, qui S. Gregorium suæ sectæ sumunt adjutorium, quorum quidem temeritatem rideo, ignorantiam doleo: ignorant enim quod periculosum hujus hæresis decretum à S. Gregorio factum condigno pœnitentiæ fructu postmodum ab eo sit purgatum. Quippe cùm die quadam in vivarium suum propter pisces misisset, & allata inde plus quàm sex millia capitum videret, intimâ mox ductus pœnitentiâ ingemuit, & factum à se de abstinentia decretum, tantæ*

cædis causam confessus, condigno illud, ut dixi, pœnitentiæ fructu purgavit: suoque decreto prorsus damnato, Apostolicum illud laudavit consilium: Melius est nubere, quàm mortis occasionem præbere.

VIII. Statuta erat de clericorum cælibatu lex, non observabatur tamen, aut in praxi vigebat. AEgrè ei parabat Germania. Hinc tot legati Pontificum eo missi, & tot artes excogitatæ, quibus humanæ traditiones obtrudi possent. Nihil tamen, aut parum iis est præstitum. Opposuere se acriter septicipi bestiæ Episcopi, præ cæteris circa annum 860. Huldericus Augustanus Episcopus, qui fortiter de hac re literis cum Nicolao I. non tam velitatus est, quàm certavit. Nec injuria? constabat pio & docto viro, qui turpitudinum rivi ex corrupto illo fonte luxuriarent. Ex re est eum ipsum audire, ut quisque cognoscat Sodomiticos coacti cælibatus fructus. Sic ergo dicit in Epist. ad Nicolaum I. *Multi verò assentatores, hominibus, non Deo pro falsa specie continentiæ placere volentes, graviora committunt. Patrum scilicet uxores subagitant, masculorum ac pecudum amplexus non abhorrent, in quovis sanctissimo ordine constituti, alienis uxoribus non dubitant abuti. Cumque quidam Episcopi & Archidiaconi, ita præcipites sint in libidinem, ut neque adulteria, neque incestus, neque masculorum (proh dolor) turpissimos amplexus sciant abhorrere, tamen casta clericorum conjugia dicunt sibi fœtere, & ab eis jubent, & cogunt clericos abstinere. Et dicunt honestiùs esse pluribus occultè implicari, quàm apertè, in hominum vultu & conscientia, cum una ligari. Sed væ vobis Pharisæi, qui omnia facitis propter homines. Item Clerici, dum licita unius mulieris consortia (Pharisaico furore devicti) relinquere coguntur, fornicatores, & adulteri, & aliarum pravitatum ministri efficiuntur. Et quod flendo cernimus, omnes in supradictis sæviunt sceleribus.*

IX. Mansere diu in proposito Germani, contemptisque Paparum precibus & minis, uxorati simul & clerici fuere: usque dum infernalis ille titio Hildebrandus, sive Gregorius VII. vi, & anathematum fulminibus tum eos tum Imperatorem Henricum IV. sibi subjecit. Compulit enim (proh dolor) circa annum 1074. teste Sigeb. Schaffnab. & Avent. l. 5. omnes qui altari inserviebant ad fictum & fucatum cælibatum. Et quamvis Synodus VVormatiensis, quæ eum exauctoravit, acriter se opponeret, diris tamen & anathematis ejus, ut & qui eum secutus est, Vrbani II. tantum est effectum, ut Calixtus II. adminiculo parricidæ Henrici V. cujus auxilium advocaverat ejus antecessor Paschalis II. perpetuam & irrevocabilem legem de clericorum cælibatu, (& ut videretur aliquid addidisse antecessorum Satanicis inventis) de dimittendis quoque concubinis tulerit. Ne verò deesset species æquitatis, & juris, rigidam & hæreticam opinionem, mox in Synodo Rhemensi anno 1120. comprobari curavit. Quàm religiosè autem, & quâ castitate, & sanctimoniâ circa hæc tempora, id est ab anno 1050. ad annum 1200. observatus fuerit cælibatus docent historici, & scriptores σύγχρονοι. Petrus Damiani, qui floruit circa annum 1060. teste Bellarm. lib. de Script. Eccles. tetram cleri libidinem acriter est insectatus, & de remedio etiam egit cum Leone IX. quòd ita corrupisset omnis caro viam suam: *ut non tantùm ad eas abluendas sordes, videretur satis esse diluvium, sed nefanda scelera ignem è cælo Gomorrhæum, quo est exusta Pentapolis, postularent.* Baronii hęc verba sunt ad annum 1049. n. 12. Aventinus l. 5. Histor. ad annum 1080. Agens de Hildebrandica lege, *Gratum,* inquit, *fuit scortatoribus, quibus pro una uxore, sexcentas jam mulierculas inire licebat. Hinc occasione acceptâ, multi falsi prophetæ nebulas offendebant, fabulis, miraculis, quæ exempla vocantur, à veritate plebem Christi avertebant, sacras literas interpretando suo negotio servire cogebant. Porro paucissimis Veneri bellum indicentibus, quibusdam castitatis jactantiam quæstus ergo simulantibus, maxima pars, sub honesto castimoniæ nomine, stupro, incæstus, adulteria, passim, & impune committebant.* Bernard. in Serm. de Convers. ad Clericos cap. 29. *Si,* inquit, *juxta Ezechielis prophetiam, parietem fodiamus, ut in domo Dei videamus horrendum. Siquidem post fornicationes, post adulteria, post incæstus, nec ipsæ quidem apud aliquos ignominiæ passiones, & turpitudinis opera desunt. Vtinam non fierent, quæ usque adeo non conveniant; ut nec Apostolum hæc scribere, nec nos dicere oporteret, ut nec dicentibus crederetur,*

quòd humanum aliquando occupaverit animum tam abominanda cupido. Væ, væ, inimicus hominum, ſulphurei illius incendii reliquias circumquaque diſperſit, execrabili illo cinere Eccleſiæ corpus aſperſit, & ipſorum quoque miniſtrorum ejus nonnullos ſanie fœtidiſſimâ, ſpurciſſimâque reſperſit. Idem ſuper Cantic. ſerm. 66. *Tolle de Eccleſia honorabile conjugium, & torum immaculatum: Nonne reples eam concubinariis, inceſtuoſis, ſeminifluis, mollibus, maſculorum concubitoribus, & omni denique genere immundorum.* Item Ekbertus Abbas Benedictinus S. Florini in diœceſi Trevirenſi ad Epiſcopum Colonienſem Anno 1160. *Verti,* inquit, *me aliò, & oppoſui cor meum, ut hujus generalis ruinæ cauſas intelligerẽ. Inſpexi Clericorum Eccleſias, ac reperi in eis enormitates grandes, & innumeras. Vidi clauſtra virginum, quorum alia rectiùs viſcarium id eſt aucupitium Sathanæ appellaverim: & ecce ignis alienus cuncta vaſtaverat: lilia caſtitatis aruerant, & deploratus univerſo orbi animarum interitus ubique apparuit; circumſpexi & ſuſtinui, qui ſimul mecum contriſtaretur, ſuper omnibus malis his, & vix unum de mille reperi, qui dignus haberetur inſcriptione Thau.* Nec authores hujus ſeculi ita tantum loquuntur, ſed idem quoque docent exempla. Ivo Carnutenſis Epiſcopus, qui floruit circa annum 1100. Epiſtola 70. ad Galterium Maldenſem Epiſcopum ita ſcribit: *Ex literis Dominæ Adeleidis venerabilis comitiſſæ audivi turpiſſimam famam de monaſterio S. Faræ, quod jam non locus ſanctimonialium, ſed mulierum dæmonialium proſtibulum dicendum eſt; corpora ſua ad turpes uſus, omni generi hominum proſtituentium.* Item Guilelmus de Naugiaco Benedictinus Monachus in Chronologia ad annum 1129. *Moniales,* ait, *quædam infames, quæ Eccleſiam beatæ Mariæ de Argentolio diu potentiâ cujuſdam ſororis Caroli Magni Regis Francorum occupaverant, induſtriâ Eugerii Abbatis S. Dionyſii in Francia inde expelluntur, & monachis ejuſdem loci, quorum prius fuerat, reſtituitur.* Item Robertus de Monte continuator Chronici Sigeberti ad eundem annum; *Lauduni,* dicit, *in Eccleſia ſancti Iohannis, conſilio regis ac principum, monialibus, quæ male infames erant, ejectis, & monachis in eorum locum ſubſtitutis, Drogo religione, & facundiâ venerabilis à Bartholomæo Epiſcopo primus Abbas ordinatur.*

X. Nec pilo ſanctior fuit ἄγαμος clerus duobus proximis ſeculis decimo tertio nempe, & decimo quarto. Audiamus ſcriptores coævos. Honorius Auguſtodunenſis qui floruit circa annum 1220. In dialog. de prædeſt. & lib. arbitr. *Aſpice,* inquit, *habitacula monialium, & cernes in eis beſtiæ præparatum thalamum, hæ à tenera ætate impudicitiam diſcunt.* Et paulò poſt: *Omnibus,* ait, *fornicariis pejus proſternuntur, & ut inſatiabilis Charybdis, nunquam ſtercore immunditiæ replentur.* Brigitta in Revelat. lib. 4. cap. 33. *Nunc,* inquit, *abuſionem continet nimis gravem, in eo quòd portæ indifferenter clericis, & laicis, quibus placet ſororibus introitum dare, etiam in ipſis noctibus ſunt apertæ. Et ideo talia loca ſimiliora ſunt lupanaribus, quàm ſanctis clauſtris.* Alvarus Pelagius, qui vixit circa annum 1320. de planctu Eccleſ. lib. 2. art. 2. *Adoleſcentibus,* inquit, *impudicè abuſi ſunt: heu, heu, intra ſanctam eccleſiam multi religioſi; & Clerici in ſuis latebris, & conventiculis, maximè in Italia: publicè quodammodo nefandum gymnaſium conſtituunt & palæſtram, in illius flagitii abominatione ſe exercentes, & optimi quique Ephæborum in lupanari ponuntur.* Item art. 27. *Contra ſanctam caſtitatem, quam Domino promiſerant ſic offendunt continuè, etiam publicè, præter ea nefanda, quæ in occultis perpetrant, quod nec chartæ reciperent, nec calamus poſſet exarare.* Exempla quoque docent. Balæus in fine Centuriæ 6. ad annum 1349. ex fide digniſſimis hiſtoricis refert: *Canonicum quendam de crimine peſſimo, Sodomitico ſcilicet in publico parlamento VVeſtmonaſterii fuiſſe accuſatum. Atque inde Magnates publicè diſputaſſe quòd lex continentiæ, adjuncta ſacerdotio, in totam Eccleſiam Sodomiam induxerit.* Addebant: *Delicata cibaria virorum Eccleſiaſticorum, quærere naturalem purgationem, vel pejorem: & votum continentiæ Moniales cogere ad horribilia peccata, ut ſunt interfectiones abortivorum, deſtructio naturæ per medicinas, mutuæ libidines, & alia non dicenda.*

XI. Sequitur ſeculum decimum quartum. Hic nubes teſtium, graviter cleri Sodomiam, & fornicationem deteſtantium, occurrit. Nos aliquos tantùm, eoſque Papanos omnes, in medium adducemus. Petr. de Alliaco, lib. de reform. Eccl. *Clauſtra,* inquit, *monialium ultrà*

quàm dicere ausus sum, dehonestata sunt. Ioannes Gerson de vita Spirit. lect. 4. coroll. 14. loquens de libidine: *Sic*, ait, *invaluit hoc malum, ut jam major ratio sit tolerandi sacerdotes fornicarios, quàm meretrices, ne deteriora flagitia admittant.* Nicol. Cusanus de Concord. Cathol. lib. 3. cap. 8. *De Monialibus, & earum custodia cura adhiberi deberet. Nam ille S. Bonifacius scribit Ethebaldo Anglorum regi, quod apud Græcos, & Romanos, quasi blasphemiam Deo irrogasset, qui de hoc reus foret, ut cum moniali concubuisset.* Nicolaus Clemanges lib. de corrupto Eccles. statu cap. 23. *Nam quid*, inquit, *obsecro, aliud sunt hoc tempore puellarum monasteria, nisi quædam, non dico Dei sanctuaria, sed Veneris execranda prostibula? Sed lascivorum, & impudicorum juvenum ad libidines explendas receptacula, ut idem hodie sit puellam velare, quod publicè ad scortandum exponere.*

XII. Restat seculum decimum quintum de quo tantùm adhuc loquar, quòd de hoc currente, omnes qui vivunt testari, propriamque experientiam adducere possint. Picus Mirandula in Orat. ad Leon. X. *Virginum septa*, inquit, *in meretricios fornices, & obscœna latibula conversa fuere.* Corn. Agrippa (quem Pontificium fuisse infra probabo) de vanitate Scientiar. cap. 63. *Quin & plurimæ*, ait, *monialium, & vestarum, & beguinarum domus privatæ, quædam meretricularum fornices sunt, quas etiam monachos, & religiosos (ne diffametur eorum castitas) nonnunquam sub monachali cuculla, ac virili veste in monasteriis aluisse scimus*, &c. *Habent enim sacerdotes, monachi, fraterculi, moniales, & quas vocant sorores, specialem lenociniorum prærogativam, quum illis religionis prætextu liberum sit quocunque pervolare, & quibuscunque, quantum, & quoties libet, sub specie visitationis & consolationis, aut confessionis secretò sine testibus loqui, tam piè personata sunt eorum lenocinia, & sunt ex illis, quibus pecuniam tetigisse piaculum est, & nihil illos movent verba Pauli dicentis; Bonum est mulierem non tangere; quas illi non raro impudicis contrectant manibus, & clanculum confluunt ad lupanaria, stuprant virgines sacras, vitiant viduas, & hospitum suorum adulterantes uxores, nonnunquam etiam, quod ego scio, & vidi, Illiaci instar prædonis abducunt, & Platonicâ lege, cum popularibus suis communes prostituunt, & quarum animas lucrari debent Deo, illarum corpora sacrificant diabolo; aliaque his multò sceleratiora, & quæ nefas est eloqui, insanâ libidine perpetrant: interim castitatis voto abundè satisfacientes, si libidinem, si luxuriam, si fornicationem, si adulteria, si incestum verbis acerrimè incessent, detestenturque, & de virtute locuti clunem agitent. Sed & flagitiosissimi lenones, scelestissimæque lenæ sæpe sub illis religionum pellibus delitescunt.* Erasmus in Annotat. in 1. ep. ad Timoth. cap. 3. *Si quis*, inquit, *perpendat horum temporum statum, quotam hominum portionem Monachorum greges occupent, quotam Sacerdotum, & Clericorum collegia: deinde perpendat quàm pauci in tanto numero verè servent vitæ castimoniam, tum in quæ libidinum genera quàm innumeri devergant, quanto cum probro complures palam incæsti sint & impudici: fortaßis judicabit magis expedire, ut iis, qui prorsus non continent, jus fiat publici matrimonii, quod absque mala fama purè sanctéque colant potiùs quàm infeliciter ac turpiter libidinem. Nunc cælibes habet mundus quàm plurimos, castos perpaucos: quamquam nec is castus est, qui Venerem non attingit, quia non licet.* Bapt. Mantuanus Carmelita;

— Nulla hic arcana revelo;
Non ignota loquor, liceat vulgata referre.
Sic urbes populique ferunt, ea fama per omnem
Iam vetus Europam, mores extirpat honestos.
Sanctus ager scurris, venerabilis ara Cinædis
Servit, honorandæ Divum Ganymedibus ædes.

Michael Palingenius lib. 5. sub Leone de Monachis;

------ falsa sub imagine recti
Decipiunt stolidos, ac religionis in umbra
Mille actus vetitos, & mille piacula condunt,
Raptores, mœchi, puerorum corruptores,
Luxuriæ atque gulæ famuli.

Idem in Virgine;

Quis non mœchatur? mystæ vafrique cuculli,
Quos castos decet esse, palam cum pellicibus, vel
Furtim cum pueris, matronis, virginibusque
Nocte dieque cubant.

Concludo scenam hanc versibus Ermoldi Nigelli, qui ita de Monialibus canit;

Quarum sunt steriles, & quædam parturientes,
Virgineoque tamen nomine cuncta tegunt.

Quæ

Quæ pastoralis baculi dotatur honore
Illa quidem melius, fertiliusque parit.

XIII. Vides opinor, Fromonde, quàm vana tua gloriatio sit de castitate, quæ ab inclusis & rasis tuis colitur. Quod ex præcedentibus necessariò sequitur, confidenter dico, *Ne millesimum quidem ex iis, qui temerarium castitatis votum concipiunt, castum corpus & animum servare.* Garrito quantum potes & vales, non dilues infallibilem fœdissimæ tuæ ecclesiæ notam. Scio quid respondebis, idem quod pag. 56. Peccare quidem quosdam, cæterùm eos illibatos se custodire qui student *exercitiis spiritalibus & carnis mortificationibus.* Rectè. Illi ergo & sanctiores sunt Hieronymo. Quis etenim corpus suum severius quam ille castigavit, & tamen libidinem & carnis titillationes non effurcillavit. Ex re est ingenuas ejus querelas audire, quas per literas in sinum Eustochii sui effundit. Ita verò loquitur: *O quoties ego ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus, horridum monachis præbet habitaculum, putabam me Romanis interesse deliitiis. Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat! quotidie lacrymæ, quotidie gemitus, & si quando repugnantem somnus imminens oppreßisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam, &c. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum, tali me carcere ipse damnaveram, scorpionum tantùm socius & ferarum, sæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora jejuniis, & mens desideriis æstuabat in frigido corpore, & ante hominem suum jam carne præmortuâ, sola libidinum incendia bulliebant.* Quis ex Baalis sacerdotibus, aut hypocriticis monachis & clericis unquam tam severè corpus castigavit. Enimverò si otiosi, & qui bellariis ac vino se onerant, castitatem (quam inviti contra Deum, & Scripturam vovere) servent, prodigium, imo miraculum est.

CAPVT XV.

Absterguntur calumniæ contra VValdenses. Falsò Magiæ insimulantur VValdenses. Iidem non fuere Adamitæ. Petrus VValdus, non est idem cum Picardo illo, qui à Zisca in Bohemia est occisus. Multi ex sanctis Pontificiorum fuere Adamitæ.

I. VValdensium, capite hoc, patrocinium contra abominandas Fromondi calumnias suscipere compellimur, quod nec difficile nobis est. Innocentia facilè, nulloque negotio defenditur: calumniis oppugnatur quidem, non tamen evertitur. Vt palma ponderi, ita ipsa suâ sponte obnititur. Nec solùm obnititur, sed etiam emergit. Fateor, gravia sunt quæ innocuis objiciuntur, sed omnia ejusdem notę, cum iis, quæ falsò exprobrabantur Salvatori nostro à Patriarchis Papanorum Doctorum. Math. 22. vers. 24. *Primò* magiæ eos insimulat Fromondus. Et ut suæ sectæ homines credant Gersonem citat qui obiit Anno 1429. Bella probatio. Gerson vixit trecentis annis post exortos VValdenses, eoque ei ut θεοπνεύστῳ prophetæ credendum est in omnibus, quæ de iis narrat? Cui magis fides adhibenda, quàm infestissimo Turrelupinorum adversario Raynerio Sachono, qui in eos constitutus fuit inquisitor, vixitque circa annum 1250. Is verò ne verbulo mentionem sacrorum Magicorum facit, quibus eos litasse vult Gerson, imo contra pag. 54. Edit. Ingolst. Gretzeri, testatur *eos magnam habuisse speciem pietatis, eo quòd coram hominibus justè viverent, & bene omnia de Deo crederent.* Idem de illis testatur Claudius Seiselius. Enimverò si talium flagitiosorum manifesti fuissent, non tam honorificum hi duo testes omni exceptione majores, de eorum moribus, & vita perhibuissent testimonium. Concidit verò per se Gersonis error, (in quem inductus erat à sinistra fama) dicentis, *eos sacratissimam hostiam ab ore suo deposuisse, & bufonibus diuturnâ fame cruciatis edendam præbuisse, & dein extracto sanguine de corpore pueri innocentis, quem parricidio necabant, pulveres ex bufonibus incendio revolutis confecisse, & prædicto sanguini*

guini commixtos in pastam liquidam vertisse, eaque se inunxisse, & ad volandum idoneos reddidisse. Meminisse debuisset bonus Cancellarius, panem in administratione Eucharistiæ non consuevisse à VValdensibus consecrari, nec eos à sacrificulis hostiam, quam manu attingere nefas in Papatu habetur, accepisse. Sed alia est ratio, quâ Censor probat Magiam exercuisse VValdenses. *Magicarum*, inquit pag. 62. *superstitionum olim compertos fuisse VValdenses affirmat evidentissimè Gualonica Hannoniæ, & Artesiæ vicinarumque Galliæ provinciarum lingua, quâ hodieque Magum aut maleficum Vaudois, seu VValdensem appellant.* Idem more fratrum suorum (cuculorum nempe) recinit pag. 86. Solidum etenim argumentum, & dignum Philosopho VValonico Fromondo. Eâdem ratione concludat omnes Protestantes in Gallia nocturnos grassatores & latrones esse, quòd à Cæsarodunensibus nomen Hugenotis iis sit inditum, à nescio quo Hugone rege, qui noctu pomæria urbis obequitare, & obvios homines pulsare credebatur, ut testatur Thuanus lib. 17. Histor. Quantum verò ad vocem *Vaudois* incerta ejus est origo secundum Monstreletum Vol. 3. Hist. ad annum 1458. quo loco & attestatur Atrebati multos per calumniam Magiæ fuisse accusatos & combustos. Quæcunque autem origo vocabuli *Vaudois* sit, VValdensibus aut Turrelupinis non nisi à calumniatoribus seriò attribuitur. Alienissimi illi à Magia, imo omni Magiæ specie fuere, ut cognovit rex Ludovicus XII. cum per delegatos acerrimè in eorum fidem, & mores censuram exercuisset. Ex re autem est narrantem hæc audire Carol. Molinæum I. C. celeberrimum lib. de Monarchia Francorum: *Misit*, inquit, *Rex* (Ludovicus XII.) *Do. Fumæum libellis supplicibus in Regia sua præfectum, & Magistrum Parvum, & alium Doctorem Sorbonicum, qui sibi à confessione auriculari erat, ex eo ordine mendicantium, quos fratres Prædicatores vocant: qui ambo peragrarunt, & visitarunt omnes parochias, & templa eorum: Nulla invenerunt simulachra, nec vestigia, aut ornamenta Missarum, & cæremoniarum Papalium. Viderunt nihil esse de Magicis artibus, scortationibus, & aliis criminibus à Papistis impositis, &c. Rex auditâ relatione suorum Commissariorum, qui omnia perscrutati fuerant, dejerans exclamavit illos meliores esse Christianos se, & populo suo: exercitum reduxit, privilegia eorum, & immunitates confirmavit.* Molinæo adjungo Balduinum item Iurisconsultum, quem quia classicum testem esse putat Fromondus, quando in Calvinum scribit, certè & ei de VValdensibus credere debet. Ita verò loquitur in commentario ad Instit. lib. 4. cap. 18. §. 6. *Magna*, inquit, *erat VValdensium mentio, quos adversarii jactabant nescio quid commercii habere cum immundis spiritibus. Hujus criminis prætextu optimi quique statim opprimebantur. Sed tandem Senatus Parisiensis causâ cognitâ, vidit meras esse sycophantias: infelices reos liberavit: improbos sycophantas cum iniquis judicibus damnavit. Extatque adhuc ejus memorabile hac de re Arestum, editum vigesimo die Mensis Maii, anno* 1491. Hactenus Fr. Balduinus.

II. Hæc de Magia VValdensium. Quod ad nefarias libidines, quas ex Gersone iis objicit Fromondus, abundè mendacium & calumniam illam diluit Molinæus loco proximè laudato. *Secundò* manibus pedibusque laborat pag. 59. & seqq. ut inter Adamitas (qui teste August. l. de Hæres. cap. 31. *nudi incedebant*) referantur. Ne verò sine teste loquatur adducit Æneam Sylvium, qui ita cap. 41. Histor. Bohem. loquens de Hussitarum tumultibus, *Inter hæc*, inquit, *& alia apud Bohemos nefanda & inaudita priùs, emersit hæresis. Picardus quidam ex Gallia Belgica transmisso Rheno per Germaniam in Bohemiam penetravit. Qui præstigiis quibusdam fidem sibi concilians, brevi tempore non parvam mulierum virorumque plebem ad se traxit, quos nudos incedere jubens, Adamitas vocavit.* Fromondus, ut probaret se tam ineptum & ignorantem esse historicum, quàm est ridiculus theologus, dicit Picardum, cujus meminit Æneas Sylvius, eundem esse cum VValdo VValdensium patre. Si decennis puer tam crassè erraret, censerem eum à magistro severè virgis objurgandum esse. Quæ enim ἀνιστορία major esse potest? Petrus VValdus vixit circa annum Christi 1160. Æneas autem loquitur de alio quo Picardo, qui floruit circa Ziscæ ætatem, hoc est, anno 1420. aut præter propter. Probo hoc inde, quia 1. dicit *Picardus*

quidam,

quidam, intelligens quem ex secta Picardorum, ipse enim VValdus fuit civis Lugdunensis, secundum Thuanum, Nicolaum Eumericum in Directorio Inquisitorum parte 2. q. 14. & omnes alios. 2. Quis hic Picardus fuerit, exponit auctor Paralipomen*on* ad Vrspergensem. Sic de tertia secta, quæ per Bohemiam grassabatur, loquens: *Tertia*, ait, *secta eorum, quos vocant Picardos, sic dicti à quodam transfuga, qui huc veniens ante annos nonaginta septem, eo tempore, quo Ioannes Zisca bellum ecclesiasticis, & omni clero indixit*, &c. Sed Thuanus favere videtur Lovaniensi Doctori: Dicit enim lib. 6. Histor. *Petrum VValdum relictâ patriâ primò venisse in Belgium, & inde in Germaniam. consedisse verò in Bohemia.* Resp. 1. Nullâ ratione procedere potest hæc consequentia: Petrus VValdus sanam prædicans doctrinam ex Belgio per Germaniam venit in Bohemiam, Ergo non potuit alius quis planus, qui se jactabat esse ex secta Picardorum 250. annis post ex eodem Belgio, per eandem Germaniam, tendere in Bohemiam. 2. Videtur hic falli præses Thuanus: non enim vero consentaneum est ipsum VValdum usque ad Boëmiam penetrasse: & Dubravio credere malo, qui existimat, lib. 14. Histor. Boëm. ejus sectarios religionem disseminasse. Verba ejus, quia originem & progressus VValdensium, (quamquam & calumniis ac mendaciis multis sunt aspersa) comprehendunt, adscribere non erit supervacuum: *Auctor*, inquit, *VValdensis sectæ, est Petrus cognomine VValdensis, natione Gallus, civitate Lugdunus, vir idiota, indoctus, illiteratus, nec dignus inter serios hæreticos numerari, nisi hæresim ejus postea VVIclefus Anglus sophisticis argumentis condiisset. Cæterum quando nemo hactenus hæreticorum mutus est repertus, huic quoque facultas disserendi eorum quæ in buccam veniunt, ac præsertim quoties disserendum fuit adversus Ecclesiæ instituta, aut in eos qui in potestate positi sunt, summa aderat. Aderant & opes, unde alere suam factionem adhuc tenuem potuit. Ex quibus cum timeret periculum, distraxit quas Lugdun. habuit possessiones omnes, partemque de pretio, eodem modo quo Ananias, & Sapphira, suis domesticis seponens, alteram pauperibus totam erogavit, ut sine opibus, quasi inops absque ullius timore, suo ductu, arbitrioque viveret, & ubi sibi placeret, ibi habitaret. Placuit autem illi ea pars Galliæ, quæ Picardia nuncupatur. In hanc igitur Lugduno migrans cum divertisset, longum post se discipulorum agmen trahens, quos pauperes Lugdunenses cognominabat, celeriter incolas Piccardiæ ita fascinavit, ut & mente, & auribus, oculis quoque cæci evaderent, non juxta disciplinam Christianam, sed juxta concupiscentias suas ambulantes, nimirum cæcorum ducum cæci assectatores. Tam latè hoc malum, tantàque vi per domos etiam nobiles vagatum est, quia tardius ei remedium à rege Galliæ adhibitum fuit, ut Ludovicus, ejus nominis octavus, post edicta, & minas, ad arma postremò venire, insaniamque fanaticorum ferro, & sanguinis missione coercere coactus fuerit. Trecentas illorum domos evertit, mæniaque nonnulla solo æquavit: sed nec illi, quos fuga in Germaniam avertit, tutum ibi valde perfugium habebant. Nam Archiepiscopus Moguntinus, ex eorum numero XVIII. vivos comburi jussit, qui rationibus victi, de sententia tamen sua perfida desistere noluerunt. Ergo in Bohemiam tandem reliquiæ illorum confluxerunt, quò sentina omnium sectatorum confluere solet.* Hæc Dubravius. Miror verò frontem, & impudentiam Fromondi, quòd Pseudo-Picardo-Adamitas nobis objicere ausit? Cùm ipse nos excuset, adducendo AEneæ Sylvii verba ex cap. 41. Histor. Boëm. ubi Adamitas hos, ad duos usque à fortissimo heroë, & altero Gedeone Zisca excisos esse testatur. Ita & legas in Paralipomenis Vrspergensis: *Hoc tempore*, inquit author, *Adamitæ fuerunt in Bohemia, viri & mulieres, nudi & nudæ incedentes, & ii insulam quandam Lusinitio amne cinctam occuparunt. Dicebant cæteros homines servos esse, se verò, & qui ex eis nascerentur, liberos. Ex iis quadraginta viri insulâ exire, & intrantes vicinas villas, evaginatis gladiis, quos diaboli filios asserebant, interfecerunt. Iohannes Zisca his auditis, duxit in eos exercitum, expugnatâque insulâ, Adamitas omnes gladio delevit, duobus tantum reservatis, & queis gentis superstitionem cognosceret.* Non magis ergo Adamitæ hi aut VValdensium Ecclesiis, aut Reformatis, quæ eas in sinum suum recepere, objici possunt, quàm *Servetus*, & *Valentinus Gentilis*, qui ob blasphemias in Deum jure meritóque carnifici traditi sunt. Cognosce autem,

Lector,

Lector, Papanorum inverecundiam, cùm Pontificii Episcopi Albigenses Carcassonæ degentes, post duram obsidionem, ad deditionem compulissent, noluere iis parcere, nisi ut nudi tum viri, tum mulieres pudendis detectis per universum exercitum irent. Et sic inviti & reluctantes Adamitæ esse coacti sunt, ad beneplacitum, & oblectandos oculos sanctorum mitratorum asinorum. Mentiri me diceret Fromondus, si historiam hanc non referret *Petrus Monachus vallis Sarnensis, editus Parisiis Anno* 1615.

III. Quis verò non rideat Fromondum, quod bis tanquam insigne flagitium, Adamitarum Pseudo-Picardorum, ex AEnea Sylvio *eorum liberos femoralibus non utentes traducat.* Quid monachis suis faciet, quorum plerique iis carent: nota sunt *Poggii* & *Rableesii* de iis scommata, quæ referrem, ni vetaret pudor meus. Si Doctores suos, & historias diligentius legisset, non ut Adamitas, aut Cynicos insectatus esset VValdenses. AEgyptii Monachi, à quibus pleræque superstitiones in claustra dimanarunt, tum viri tum mulieres in vastas solitudines se abdebant, cæterum nudi, præter pudenda quæ velabant teste Evagr. lib. 1. Hist. Eccl. cap. 21. S. Franciscus quem liber Conformitatum pag. 39. *meliorem Apostolis* fuisse dicit, cum aliquando tentigine pene rumperetur, fœmineam statuam ex nive confecit, seque omnibus vestibus exuit, ac pleno affectu in niveam & frigidam suam dominam effudit, ut refertur in ejus vita. fol 122. Edit. Metensis anni 1509. Placuit autem præ omnibus aliis hæresibus, lepido huic sancto, Adamitarum error. Si leviter enim peccassent discipuli, vice pœnitentiæ iis injungebat, ut braccam exuerent, & nudi ad populum concionem haberent: ne autem erubescerent, & ipse se exuebat eosque ita nudus, ut è matre egressus erat, è vestigio sequebatur. Vt videre est libro jam laudato pag. 176. Ne autem obstupescas, Lector, ad caninam hanc impudentiam, notes velim, successorem Luciferi S. Franciscum de Assisio fuisse puram virginem, ut ipse plus quàm apodictico argumento probavit Episcopo Assisiensi, cum vestibus se nudasset in magna hominum frequentia, & dicto Episcopo braccam suam dedisset. Allegatur hæc ratio pro virginitate ejus libro dicto pag. 211. Quid de S. Maria AEgyptia dicam, quę (teste egregio & fide dignissimo scilicet Historico D. Iacobo Voragine mendaciorum, Episcopo Genuensi, in legenda aurea plumbeorum monachorum) *postquam 17. annos publicum & diobolare scortillum fuisset, Hierosolymam abiit, crucem adoratum, eam verò venerari non potuit, nisi per intercessionem Mariæ; cujus quoque gratia ab ignoto quo tres nummos accepit, unde tres panes emit, & cum iis in eremum discessit, ac ex iis quadraginta septem annos se sustentavit, reliqua incolumis nisi quòd nuda prorsus (vestes enim computruerant) incedere debuerit.* Vide sis quoque, Censor, quomodo hæreticorum numero eximas fratres Minores, Capucinos, aliosque, qui ex monachis detectis pedibus incedunt. Enimvero in primitiva Ecclesia hæreticis accensos fuisse Nudipedales, docet nos August. lib. de hæres. cap. 68.

CAPVT XVI.

De Lutheri diabolo. Diluuntur Fromondi cavillationes, ac contra eas defenduntur Voetii responsiones.

I. ACcessimus ad apicem ineptiarum Fromondi, Lutheri nempe Magistrum, Zuinglii somnium, & Calvini stigmata: in quibus haud mirum ab eo omnes picas, & graculos loquentiâ vinci, nullam die festo concionem audit, in qua non mugientes fraterculi fulgura illa in Guezios vibrent. Hinc & quotannis tot libelli de terribilibus illis Furiis, & Hæreticorum terriculamentis, passim excuduntur. Probo factum. Sic ignavi monachi parcunt oculis, & saginæ suæ, cujus dispendium facerent si postillam legerent. Mirum verò quâ jactantiâ, & fastu trisulca hæc fulmina cucurbita togata jaculetur. Primum se esse putat, qui Gorgones has ostentavit. Sed audiamus asinum? Cap. XIV. de Lutheri dæmonio garrit. Summa huc redit, ut ostendat Lutherum, semet ipso teste, Missæ abrogationem à diabolo didicisse. Quæ Voetius fusè probavit, & diluit cap. X. & XXIII. lib. 2. sect. 2. non repeto. Summa

hæc

hæc eſt. Diabolus in paroxyſmo tentationis, aliquando Lutherum deſperationis undis obruere ſtuduit, quòd miſſam celebraſſet: quia autem Papiſmi tenebris adhuc immerſus erat, quod objiciebatur diluere ſtuduit, ac minorem propoſitionem negavit, cum neganda fuiſſet majoris conſequentia, quæ hæc erat, *Tibi Luthere pereundum eſt*, ut ipſe vidit, poſtquam oculos mentis Deus ei aperuiſſet. Quid ad hæc Fromondus? garrit, & ineptit. *Primò*, pag. 64. Voetium mendacii arguere ſtudet, quod dixerit *Lutherum profiteri, ſe nullam veritatem à diabolo didiciſſe*. Ipſe enim vult, eum didiciſſe, *Miſſam privatam eſſe horrendam idololatriam*. Sed probare debuiſſet ex verbis Lutheri: aut quia ejus librum inſpexit nunquam, ſaltem ἐκ διαβολῶν Serarii. Fuit tantùm tentatio. Totam cauſam tradam, ſi ex hoc Lutheri loco, aut alio quo quis Pontificius probare poſſit, Lutherum fateri ſe Miſſæ abrogationem à diabolo didiciſſe. Scivit etenim diabolum mendacem eſſe, nec ei credendum. Sic enim in lib. à Fromondo citato, nempe lib. de Priv. Miſſa: *Quaſi*, inquit, *ego tres has voculas* [*Diabolus eſt mendax*] *ignoraſſem, niſi vos Papiſtæ eximii Theologotati monuiſſetis*. Sed progreditur noſter & Lutherum ad contradictionem adigere ſatagit. *Secundò*: dicit Lutherus, *Non poſſum negare me peccaſſe: ſed ibi mentitur Satan, quòd ultrà urget ut deſperem, ut Cain*. Contra hæc ita cornicatur Fromondus pag. 64. *Quo unico*, inquit, *Caini exemplo Lutherus funditus ſternit quod proximè adſtruxerat, Diabolum non mentiri quando urget magnitudinem peccati. In animo enim Caini ita urſit & mendaciter exaggeravit peccatum, ut ſupra Dei miſericordiam, magnitudinem ejus attolleret*. Bellè, aut potius ridiculè. Quis præter Lovanienſem Lyriceum hic contradictionis umbram videre poteſt? *Diabolus rectè exaggerat magnitudinem peccatorum, & mentitur quando ſuadet deſperationem*. Itane in Philoſophia hoſpes es, Fromonde, ut ignores ex veris præmiſſis ſæpe à Sophiſtis, quorum princeps eſt Deus tenebrarum, falſam concluſionem elici? Vrgeo verò fidem tuam quæ fluxa magis eſt, quàm olim Pœnorum, quòd Lutheri verba, quæ ſequuntur non addideris. Quod à te per fidem eſt omiſſum, ego, qui ubique bonam fidem præſtare ſtudeo, ſupplere cogor. Sic autem vir Dei laudato aliquoties loco: *Non*, inquit, *poſſum negare me peccaſſe: ſed ibi mentitur Satan, quòd ultra urget ut deſperem, ut Cain: Confeſſus quidem ſum coram Diabolo (lege Dei convictus) me peccaſſe ut Iudam; ſed verto me ad Chriſtum cum Petro, Chriſtum invoco, in Chriſtum credo, qui omnem horrendam damnationem damnavit, qui meum peccatum delevit per ſanguinem ſuum: de hoc non dubito, in hoc baptiſmum accepi, & ſacramenta ſigilla divinæ gratiæ*, &c. Videte, humaniſſimi Lectores, triumphum & victoriam Lutheri. Diabolus deſperationem ei ſuadet, confugit vero ad Chriſtum, qui omnes peccatores onus peccatorum ſentientes ad ſe invitat Matth. 11. verſ. 28. & in ſanguine ac morte ejus vitam invenit, qui ægrè præ multitudine peccatorum ſpiritum ducebat. Eodem modo diaboli oppugnationes retudit Bernardus teſte authore vitæ ejus, in qua hæc lego: *Sanctus Bernardus in acerrimo conflictu cum Diabolo, Fateor, inquit, non ſum dignus, nec meritis meis poſſum ego regnum obtinere cælorum: cæterum Dominus meus Chriſtus duplici jure illud poſſidet, hæreditate patris, & merito paſſionis*. Animadvertite, qui fallaci crucis ſigno contra diabolum vos munitis. *Tertiò* dicit Fromondus pag. 64. *Interpretationem Scripturarum, & cetera omnia diaboli motiva evidentia non ſunt, ſed obſcura, ſophiſtica, falſiſſima; igitur non tam propter eorum perſpicuitatem, quàm propter dicentis authoritatem Lutherus illa credidit eſſe vera*. Multa falſa, & abſurda. I. Lutherus non credidit veram eſſe diaboli propoſitionem ob authoritatem dicentis. Clariſſimè illud ex ipſis Lutheri verbis oſtenſum eſt à Voetio in Deſper. Cauſa pag. 176. quibus nihil addo. Poſt Homerum enim Iliada ſcriberem. 2. Contradicit DD. ſuis, quando *motiva omnia diaboli falſiſſima* eſſe dicit. Ozor Ieſuita tom. 4. Com. de devotione B. Virginis Mariæ: *Licet*, inquit, *diabolus pater mendacii ſit, tamen aliqua vera profert*. Toletus Comment. in cap. 8. Luc. *Cùm Dæmon Ieſum vidit, procidit ante illum.*] *Adorabat Ieſum, non quidem amore, ſed præ timore; & ſicut ſervus, ejus flagellum evadere cupit, clamans* [*Quid mihi tecum, fili altiſſimi?*] *In illo Chriſti humanitatem, in hoc ejus divinitatem ſignificans*.

gnificans. Conferto hæc, Lector, cum Thomæ verbis, quæ exhibuit Voetius in Deſper. Cauſa pag. 176. 3. Evertit multas probationes eorum dogmatum, quæ præ cæteris famelicos Morionum ventres paſcunt. Salmeron Ieſuit. Comment. in 1 Cor. c. 15. *Probamus*, inquit, *imaginum cultum, Purgatorii pœnas, reliquiarum uſum, ex revelationibus animarum, quæ ab inferis, vivis apparuerunt*. Revelationes autem hæ, ſunt domini Diaboli, familiariſſimi monachorum amici. Nec eſt hæc mea calumnia, ſed ipſiſſima opinio Pererii Ieſuitæ, qui ita ait lib. 1. de Magia cap. 11. *Simulant dæmones animas defunctorum ſecundum Auguſtinum, & Chryſoſtomum, quò faciliùs errores gentilium animis hominum inſerant, ad eos decipiendos: quia homines animabus defunctorum, vel parentum, vel cognatorum, vel amicorum ſuorum, quos diligunt, & à quibus ſe diligi non dubitant, lubentiùs, ac promptius credunt, quàm dæmoni, quem naturaliter horrent. Deinde perſuadet hominibus infernum non eſſe carcerem perpetuum: nec adeo eſſe graves, & perpetuas inferni pœnas, ſicut homines putant.* *Quartò*, ut probet Fromondus Lutherum authore diabolo abrogaſſe privatam Miſſam pag. 65. dicit: *Dein colloquium, & prolixam illam diſputationem, nimis familiarem, & ſimillimam Magorum cum dæmone confabulationibus fuiſſe dicimus. Non enim ſolent viri ſancti cum ſerpente illo aſtutiſſimo, cui mille nocendi artes, & hoſte ſalutis noſtræ juratiſſimo, tam longos ſermones ſerere, & objectionibus, ac replicis diſputationis ſerram reciprocare.* Ineptè. Imprudenter ergo fecit benedictus Servator noſter (abſit Deus dicto blaſphemia) quando cum diabolo Math. 4. ultro citroque collocutus eſt. Et Apoſtolus Paulus omnium hominum deploratiſſimus eſt habendus, quòd ne poſt tertiam quidem deprecationem liberari potuit ab angelo Satan, qui eum ἐκολάφιζε. 2 Cor. 12. verſ. 7, 8. Inſtantias, & replicas, ad detegendum impudentiam & turpitudinem Papanam, nullas in præſens ſubjicio: ne actum agam. Adi quæſo, Lector, ipſum Voetium loco aliquoties laudato.

II. Et ſic Lutheri dæmonium cum ornamentis omnibus, in Fromondi caſulam abegimus: qui ſi ſemunciam judicii ad Criſios ſcriptionem attuliſſet, camarinam hanc nunquam moviſſet. Non ad abrogandam miſſam à diabolo Lutherus eſt inſtigatus: ſed tantùm oppugnatus in conſcientia, foretne piaculum & crimen æterno exitio luendum, non miſſificare. Rogo verò non tantum te Fromonde, ſed & alios ex ordine tuo (cum quibus ſi compareris & ὥσπερ πέζος παρὰ τὸ λύδιον ἅρμα) mentitus fuerit, an verum dixerit diabolus cum Luthero perſuadere ſtuderet, eum damnationem non poſſe evitare, quod intermiſiſſet privatam miſſam? Si cum Serario affirmetis: rogo amplius ſemperne diabolus mentiatur? an verò aliquando verum loquatur, ut decipiat? Si poſterius aſſeveretis (ut non dubito quin contra Fromondum facturi ſitis) quæro tertiò bene, an malè in ſpecie Angelica ſuaſerit Abbati illi, cujus meminit Delrio lib. 4. diſq. Magic. cap. 1. qu. 3. §. 5. ut miſſam celebraret, contra canones, antequam nempe ordinem ſuſcepiſſet? Dein an benè à Paredro quo quinque ſolidos exegerit, ut inde pauperi Eccleſiæ campana emeretur, quâ diebus dominicis fideles ad divinum officium convocarentur? Prout narrat Delrio lib. 2. diſq. Magic. in calce cap. ult. Si diverſimodè reſpondeatis, quæſo mihi dicatis, quando diabolus verum dicat, & fidem mereatur, & unde conſtet Lutherum ab eo mendaciis oppugnatum eſſe. Reſpondete quæſo & reſponſiones veſtras ad efficaciam miſſæ, & purgatorium applicabimus.

CAPVT XVII.

De Zuinglii ſomnio. Oſtenditur mala fides Fromondi in citando Bezæ loco. Diluuntur frivolæ illius exceptiones contra ſolidas Voetii reſponſiones.

I. A Luthero ad Zuinglium tranſilit Fromondus. Rectè equidem: canes mundiores angulos aquâ ſuâ perfundere ſolent. Sed quid tandem deliquit ſanctus vir? alicubi ſomnii ſui mentionem facit, in quo, aliquis *qui an ater an albus fuerit ipſe ignorat*, argumentum ſuggeſſit contra abominandam Tranſubſtantiationem. Grande flagitium: digniſſimumque accuſatore Fromondo. Ne autem ei ſimilem me præbeam

beam, & ea quæ millies à nostris sunt diluta, tædiosè iterum chartæ illinam, vide quæso, humanissime Lector, ipsum Voetium in desperata Causa, pag. 305. & seq. ubi solidas octo responsiones, & quarum ne unam quidem infirmare potuit Fromondus, Iansenii sarcasticæ interrogationi opponit. Quid ergo Censor facit, quatuor paginis distrahens Zuinglii somnium? Nugatur suo more, & garrit, ut modò ostendam. Antè enim flagellare debeo ejus perfidiam in citandis nostris authoribus. Dicit pag. 69. & in antecessum alieno loco p. 63. Cl. Bezam in responsione contra VVestphalum, Zuinglii somnium apologis accensere, & dicere *recreandi potius causa, quàm tuendæ veritatis studio ab eo confictum esse*. Vbi fides! Et hic tamen est ille Fromondus qui p. 271. gloriatur se *Lutheri, Zuinglii, Calvini, Bezæ non pauca legisse*. Aut insigniter mentitur, aut plagiariorum, quotquot unquam fuere, maximus est. Sed audiamus ipsum Bezam confundentem Fromondum, & eum qui scelestè verba sua excerpsit. Ita autem dicit Responsione adversus VVestphalum p. 38. Edit. Genev. anni 1559. *Cæterà, quæ in hujus capitis extremo commemorat homo lepidus de quodam Zuinglii somnio (animi potiùs recreandi causâ, opinor, quàm tuendæ veritatis studio) quid attinet regerere? Certè iniquè facit cùm non permittit Zuinglio, ut bona cum ipsius pace, vel semel inter dormiendum eruditè somniarit, quum ipse ne vigilans quidem, aliud quàm de corpore, & animo somniet.* Dicite mihi, qui non estis è prosapia fungorum, an hæc eadem sint: dicere Zuinglium verè somniasse: & alium quem indoctum ac ineptum hominem fortè animi recreandi causa illud religioni, & Ecclesiæ, cui fideliter præfuit Zuinglius, objicere?

II. Quid verò argumentorum Fromondus adducit, ut Zuinglii somnio velut quâ nebulâ offuscet claritatem Reformatarum Ecclesiarum? Nihil, nihil omnino. Totâ Philippicâ vix quinque verbis, de tribus capellis garrit. Calumniatur, nugatur. Calumnias de pane Eucharistiæ nostræ à pistore in furno cocto prætereo. Quamquam jure traducere possem eõrum spumam, nescio è quâ polentâ & adipe à superstitiosis Monialibus confectam, & coctam, ex quâ dein Idolum Panaceum virtute quinque verborum formant. *Primò* Voetium cum Zuinglio committere laborat. Dicit Voetius p. 305. *Zuinglio in somnio recurrisse meditationes, quibus interdiu erat intentus.* Adversatur hoc secundum vanam & stultam Fromondianæ hæresios Logicam Zuinglio, qui dicit *se vera narrare*. hoc est reverà somniasse. Quasi verò Dominus Doctor, quando totum diem meditatus est quâ ratione bicipitem mitram possit consequi, & noctu aliquis Genius summam, quâ eam mercari possit, auribus insusurret, expergefactus manè, sodalibus dicere non queat, se revera somniasse de ratione consequendi Episcopatum. *Secundò, Zuinglius Deo gratias egit, quòd suggestus esset locus Exod. 12.* p. 68. Libertinicè, καὶ σοφῶς. Sed unde probabit Diabolum suggessisse locum illum Zuinglio? Interrogasset maximum virorum Puteanum, quid significet hæc locutio *Albus an ater sit nescio*. Voetius relegavit eum ad Erasmi chiliades, & tamen obstrepere non cessat. Si Erasmo non credit, credat saltem aliis authoribus, apud quos hæc locutio *albus an ater sit*, de ignoto semper accipitur. Catull. ad Cæsarem:

Nil nimiùm studeo, Cæsar, tibi velle placere,
Nec scire utrum sis albus, an ater homo.

Hieronymus contra Helvidium; *Ego ipse*, inquit, *qui contra te scribo, cum in eâdem urbe tecum consistam, in qua balbutis, & erubescis, albus an ater sis, nescio.* I Fromonde, & dic secundum mirabilem tuam criticam sapientiam, ater ibi malum notare, quia ita capitur apud Horat. ep. ult. Egregius & bellus homo es. Invenisti nuper novam philosophiam, & jam Theologiam, item Criticam meditare, & sequenti anno Papa eris: nos libenter pro triplici corona, tribus nolarum ordinibus te coronabimus. Vide verò, Lector, Fromondi diligentiam in calumniis suis contra Reformatos Doctores, quorum doctrinam nullis rationibus aut sophismatis infringere potest, stabiliendis. Vt probaret Satanam argumentum Zuinglio dictasse, evolvit totam ejus exegesim adversus Lutherum, aut fortè per discipulos suos plura ejus opuscula, ut inveniret locum ubi ater acciperetur pro malo. Sed quem offendit locum, hilum non favet. Quid enim aliud Zuinglius

in Exeg. ad Luther. vult signare, cum ait: *Tumultuabitur insanum aliquod caput coram Ecclesia, hoc esse hæresim, aut errorem, quod nondum exploratum habet, album an atrum sit*; quàm pertinacem aliquem, & superstitiosum sectarium hæresim illud judicare, quod ignorat & exploratum non habet. Quomodo & Iudas in Epist. vers. 10. *Quosdam calumniari*, ait, *ea quæ ignorant?*

III. Quæ dein garrit de dissensu Calvini, & Zuinglii in interpretandis verbis Eucharistiæ ipsa ineptia ineptiora sunt, & ne legi quidem, nedum refutari digna. Miramini verò, Christiani Lectores, Papanorum rabiem in insectandis Doctoribus nostris. Somnia consectantur, nugas, & quisquilias, cùm ipsorum doctrinam, confessionem & fidem nullis machinis labefactare possint. Quod æque autem manifestum desperatæ causæ potest esse indicium, quàm omissis gladiis, hastis, & telis, dicteriis, sordibus, ac putidis pomis certare. Quòd si nos somnia, quæ vidêre eorum sancti, persequi, & excutere vellemus, libri forent scribendi. Quid de *Brigittæ, Catharinæ Senensis, Gertrudis, Bedæ, Carthusiani*, revelationibus dicam, quæ & multis è pontificiis suspectę sunt. In quanto tamen vulgò habentur pretio? Si omnia excuterentur, nihil differre deprehenderentur, à Priscillæ Revelatione, ex qua Tertull. lib. de Anima cap. 9. probare studet *animam esse corpoream*. Quandoquidem autem Fromondus tam diligenter, etiam usque ad dispendium existimationis suæ inquirit, albus an ater fuerit Zuinglii spiritus, etiam atque etiam eum me docere velim, cujus coloris ille fuerit, qui aliquot noctibus (teste Platina) angelica quasi voce per occultum canalem Papæ Cælestino quinto insonabat: *Cælestine, Cælestine, cede. negotium enim supra vires est*. Si aures, & oculi me non decipiunt, erat ipsissimus *Benedictus Cajetanus*, qui postquam simplicem Cælestinum de sede Antichristi deturbasset vocari voluit Bonifacius VIII. qui quantus vir fuerit, docet elogium, quod post mortem ejus jactatum est: *Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus est ut canis*. De diabolo hoc videatur etiam Valla lib. Cont. Donat. Constant.

CAPUT XVIII.

De Calvini stigmate. Retunduntur latratus Bolseci, & Fromondi.

I. POst *Lutherum*, & *Zuinglium* nullus præter *Calvinum* supererat, in quem genuinum poterat frangere. Eum ergo aggreditur. Et ut noris Lector, quàm hoc serium ei sit scutiferum Bolsecum, flagrionum quos unquam terra tulit maximum, cum lato clypeo ex juncis contexto, ante se incedere jubet. Existimo te subodorari, quid sanctissimo viro exprobrare velit. Iterum stigmata. Nec injuria. Conscientia ejus ut loquitur Apostolus 1 Timoth. 4. vers. 2. κεκαυτηριασμένη est. Mirandum verò, quàm volupe sit obesis & sordidis monachis de Calvini stigmatis concionari, & diabolicam pæderastiæ calumniam refricare. Thymo illo libenter claustrales apiculæ pascuntur. Quæ curant, & patrant sine missione, pro suggestu eructare etiam dulce putant. Ex plenitudine cordis os loquitur. Quanquam autem millies à nostris, præsertim *Cl. Riveto in Proleg. Cathol. Orthod. & in Iesuita Vapulante cap.* 2. putidissimum hoc mendacium sit dilutum, & ipse diabolus ejus architectus confusus, non pudet tamen ejus satellites, velut infernales ranas, identidem eadem coaxare. Voetius in Desp. Causa pag. 302. breviter, & solidè calumniam domuit. Noluit tamen acquiescere Fromondus. Et quasi nemo ex nostris unquam respondisset, integram historiam ex Bolseco (quo quod debere caruerit patibulum, adhuc flet, & dolet) narrat, implorato amplius auxilio clarissim. & fide dissim. virorum *Leonardi Cessii*, & *Petri Simonis Tiletani*. Rogo te, humanissime Lector, ut quandoquidem omnia ad vivum excutere non statui, adire digneris Præst. D. Rivetum, in libris citatis. Satisfecit infestissimis veritatis, & Calvini hostibus Loyolitis, satisfaciet etiam tibi, modò humanitatem non exueris. Sed quid tandem Doctor Fromondus? Duo agit. Historiam refert ex Bolseco, & dein probare laborat eum classicum, & fide dignissimum Scriptorem esse. Cap. 16. pag. 69. & seqq. Examinemus singula paucis. Quod ad histo-

riam, ea etiamſi ab angelo quo conſcripta eſſet, ſeipſam everteret. Dicit Bolſecus cap. 5. ſacerrimi libelli de vita Calvini: *Eum cum curatum Noviodunι beneficium, & aliud ſacelli cujuſdam ſacerdotium obtineret, Sodomitici ſceleris convictum fuiſſe.* O accuratum hiſtoricum! Iactat hæc ex ſe actis Noviodunenſibus hauſiſſe, quæ latebant apud nebulonem Bartelier quondam ſecretarium Genevenſem, & poſtea ob flagitia excommunicatum, & dein profugum: & annum annotare non potuit, quo actio inſtituta, & Calvinus reus peractus eſt. Quaſi verò Noviodunenſes obliti eſſent eum actis ſuis inſerere: cum in Gallia Sodomia pene inaudita ſit, & Gallum pęderaſiam eſſe, idem ſit, ac AEthiopem album conſpicere. Pergit, & dicit; *eum igni propterea fuiſſe cremandum; ſed Epiſcopi urbis commiſeratione pœnam moderatam, ut cauterium tantum inureretur.* Næ ille Epiſcopus malè miſericors fuit. Vivicomburio in Sodomitas animadvertendum eſſe ſtatuit Parlamentum Pariſienſe, & ſic ſervatum fuiſſe teſtatur *Papon. lib.* 24. *arreſtor. tit.* 10. *arreſto* 6. Imo omni jure eſt pœna mortis ſtatuta in mares ἀφέντας τὴν φυσικὴν χρῆσιν θηλείας. (1.) Iure Canonico, ut docet Menochius de Arbitr. Iud. caſ. 286. §. 9. Et ita Concilium Viennenſe ſub Clemente VI. ſtatuit Templarios flagitii hujus convictos igni conſecrandos eſſe. Teſte Pet. Crinito l. 24. de honeſta diſciplina cap. 13. (2.) Ex jure civili gladio ultore puniuntur. l. 31. C. ad leg. Iul. de adult. Omitto jam jura nunicipalia, quæ omnia pene abominandum flagitium flammis expiant. Videantur *Menoch. loco d. Damhoud. in pract. crim. cap.* 96. *num.* 12. & *Iul. Clarus in pract. crim.* §. *Sodomia verſ. ſed quæro.* Quod ergo boni Epiſcopi flagitium, qui contra omnia jura, & ſtatuta, ultimum ſupplicium in levem & tolerabilem pœnam mutavit? Excute omnes arculas tuas, Fromonde, & nullum colorem invenies, quo tingere poſſis alienam, & intempeſtivam Epiſcopi commiſerationem. Dicite verò mihi omnes, dicite quæſo pſeudo-Catholici: Quis hic miſericors pater, & quando mortuus fuerit? Ni oſtendatis liquidò eum mortuum fuiſſe, antequam in apoſtaſiam laberetur Calvinus, eum hæreticorum fautorem, & nihil minùs quàm juratum Papæ clientem fuiſſe, clamabo. Dicite amplius, an ulli ex clero conſcii fuerint hujus clementiæ: ſi fuerint, quæ inhumanitas, quæve barbaries, quòd nunquam patefecerint. Intererat multùm. Vna illa ſiniſtra fabula, plus læſiſſet ſanctiſſimum & pientiſſimum virum, quam centum millia latratuum monachalium. Sed nemo ex illis exortus eſt ante Bolſecum qui myſteria illa detexit. Credo eos læthargo fuiſſe correptos, aut ad Lethe acceſſiſſe, & obliviosis aquis ſe inebriaſſe. Addit dein Bolſecus: *Quo probro confuſus, neque talem ignominiam ferens, utrumque Eccleſiaſticum beneficium in paſtorem Noviodunenſem tranſtulit, & ab eo certâ pecuniæ ſummâ acceptâ, &c.* Oſtendit ſane mendacium monachorum paſtor, tantum ſe de jure guſtaſſe, quantum Arcadici aſini de modalibus & ente rationis ſolent. Quo tempore hoc accidit nondum uſitata erat in praxi Turrecrematæ opinio, quam Navarrus & Loyolæ filii poſtea interpolarunt, quòd nempe *irregularitas non contrahatur extraordinariâ fornicatione.* Sodomitæ amittebant ipſo jure dominium omnium bonorum. Quæ & hodie adhuc, verior & communior DD. eſt opinio Teſte *Iul. Claro in pract. crim.* §. *Sodomia verſ. item Sodomita.* Et tamen ſecundum bonum hiſtoricum licuit, & permiſſum fuit Calvino *certâ pecuniæ ſummâ transferre ſua beneficia Eccleſiaſtica.* Aut falſiſſima eſt tota hæc narratio, aut totum Noviodunum cum univerſa Epiſcopi aula, inſtar Sodomæ & Gomorræ ſordibus nefandis fuit immerſum. Quis enim audivit unquam in ullo terrarum angulo clementiùs caſtigatam fuiſſe Sodomiam? Ipſe Fromondus loquatur p. 81. *Objicis,* inquit, *alibi Sodomiam apud nos irregularitatem non inducere, quaſi iſtâ diſſimulatione pœnæ crimen approbaremus, quòd tamen atrociſſimè ignibus, & vivicomburio vindicamus.*

II. Quomodo autem bonum virum fuiſſe Bolſecum probat Fromondus? quem excucullatum Carmelitam, duplicem Apoſtatam, venalem ſcriptorem, & intus ac in cute nebulonem fuiſſe, abunde docuerunt Beza, Voetius, & poſtremò in Ieſuita Vapulante Clariſſ. Dn. Rivetus. 1. Dicit pag. 70. *Non fuit criminibus ſuis, ſed Calviniſtarum mendaciis apud homines vitæ ejus ignaros infamis Bolſecus.* Quaſi verò Calvi-

nistæ hominem non novissent? Qui non semel Genevæ turbas dedit, quique à Magistratu Bernensi ob impietatem repressus, & castigatus est. Postquam enim ex arbitrio opimum ministerium obtinere non potuit, omnia excogitavit ad exosum reddendum Calvinum, quem præ cæteris sibi impedimento fuisse credebat: nec hoc tantùm? religionem & pietatem omnem ejuravit: medicinamque amplexus est, ac postremò cùm ex illa vix famem diurnam propulsare posset, vendidit se cum Balaam ad maledicendum defuncto Calvino. Sciebat enim porcus, mortuum & sepultum loqui non posse, nec se defendere. (2.) Dicit pag. 71. *Sanè apud Catholicos insolens est, sinere impunè Monachum, in veste seculari extra claustrum tam diu vagari, & Medicam artem (quod fecit Bolsecus) exercere.* Egregium unguentum pro exulcerata conscientia? Bolsecus sine cucullo oberravit inter Papanos: quod illud flagitium? Ejuraverat jam antè cum Ecebolio Gentilismo-Iudaico-Papismum: ad hoc geminam successivè uxorem duxerat, votumque castitatis, quod ne sodomia quidem enervasset, conjugio fugaverat. Quot non ex raso grege ad nos quotidie in habitu civico, & militari oberrant, quorum nullus tamen sigillum & plumbum pontificis ostendere posset. Abjecerat cucullum quòd liberiùs paulò in Bartholomæi fano Parisiis concionatus esset, (ut respondet Beza Claudio Xaintes, qui & verbo id nunquam diluit) inde peragratâ Italiâ Genevam venit, & postquam frustra divitias in paupere Ecclesia captasset, ad vomitum rediit. An hoc ergo, quod nunquam ab Episcopo quo, aut Generali Carmelitarum accusatus sit, eum virum bonum, & testem fide dignum reddere potest? Non puto præter Fromondum quemquam ita delirare. Pudet me vero Dn. Doctoris ignorantiæ, qui tam hospes est in Theologia domestica. An non omnes casuistæ & canonistæ docent, *professum regularem, simulac habitum abjicit, fieri secularem?* Vide Cajet. in summa verba Apostasia. Sylvest. in summa, in verbo Apostasia. n. 3. in fine. (3.) pag. 71. *Si unquam,* inquit, *in sensu & hæresi Sacramentariorum fuit Bolsecus, certè se emendavit, & testium emendatorum depositiones scimus à jure non insuper omnino, & flocci haberi.* Multa falsa. *Si*, ait, *in hæresi Sacramentariorum fuit Bolsecus.* Simulavit ad tempus spe lucelli, & promotionis: simulac ea decollavit ad excrementa, quæ reliquisse videbatur, rediit. Haud magis tamen ex iis fuit, quos per contemptum Sacramentarios vocat artolatra, quàm Iudas ex electis, aut Christi ovibus. *Se emendavit*, dicit. Egregia emendatio. Quia unctis Dei in gratiam filii perditionis, & locustarum ejus maledixit, se emendavit. Vtinam Spalatensis Episcopus invenisset aliquem ex nostris principibus, aut Theologis, quem instar Bolseci arrodere potuisset in gratiam Curialium Romanorum, fortè contra fidem datam boleto non fuisset submotus. Addit: *Emendatorum testium depositiones scimus à jure omnino flocci non haberi.* Optimè. Probet emendatum fuisse Bolsecum: nec hoc tantum, sed etiam virum sanctum fuisse, dum Genevæ viveret, utrumque enim requiritur. Si enim nebulo & apostata erat, dum cum Bartelier consilia communicaret de Calvino opprimendo, credi ei non potest quid asseveranti post reditum suum ad Papatum de calumniis, quas diu ante fabricaverat. An magistratus crederet latroni, qui veniam scelerum impetravit, per omnia sacra juranti, se, dum grassaretur, alicubi in sylva virum honestum & integræ existimationis in adulterio deprehendisse. Non existimo. Sed demus, Bolsecum post reditum suum in gremium Ecclesiæ, omnibus visum fuisse angelum, ejus tamen testimonium hili non est faciendum, non tantùm ideo quòd Calvini capitalis fuerit hostis, & adhoc domesticus testis, & homo vilissimus. Sed ne quidem secundum canones, & communem sententiam casuistarum. Omnis clericus qui abjecto habitu uxorem ducit de hæresi est suspectus, & inquisitor in eum mitti potest, secundum *Simanc. in Cathol. inst. tit. 40. & Pegna in comment. ad Directorium Inquisitorum 2. part. comm. 74. col. 2.* Quis unquam autem statuit admittendum esse hæretici testimonium? (4.) Vult Dn. Fromondus nos animadvertere ad obtestationem & juramentum Bolseci. *Audi*, inquit pag. 71. *jusiurandum, & divini Numinis obtestationem.* Miselle doctorcule, pudet me cathedræ Lovaniensis, quam talibus emblematis deformas. Si

quondam

quondam devotus fraterculus Cornelius Adriani cognomento flagellator, ita apud Brugenses suas aniculas concionatus fuisset, vix Iprensis Episcopus id tulisset: Et tu Theologiæ Doctor, ac professor, ita apud hæreticos, ut vocas, te ridiculum præbere audes? Adi quæso Collegas tuos Tuldenum, & Valerium Andream (eos enim ex I. Consultis vestris novi) & roga quantum valeat juramentum testis, in quem nullæ notæ genuini, & classici testis cadunt. Nolo enim semper referre, quæ ubique occurrunt, & pueris in trivio quoque nota sunt. Antequam progrediar, vellicationem Voetianæ ἐνστάσεως contra Bolsecum, asserere debeo. Dixerat Voetius in Desp. Causa p. 302. *Ne Sadoletum quidem, aut alium Calvini antagonistam unquam ante Bolsecum stigmata objecisse.* Diluit autem hoc ita pag. 73. *In facili*, inquit, *& promptu est responsio. Nescierunt fortasse arcana ista, & sacra Eleusina, nec cura adhuc fuerat mittendi Secretarium, & inquirendi in Calvini juventutem.* Sed vivebant adhuc multi ex clero Noviodunensi, & fortè adhuc ipsissimus ille Clemens Episcopus. Non omnes illi aut hæretici, aut idola erant. Quòd autem flagrio Bartelier à magistratu Genevensi ad inspicienda acta Noviodunensia missus fuerit, æque putidum est commentum, ac ipsum stigma.

III. Hactenus nobis Fromondus probum virum, & tertium Catonem, Bolsecum fuisse probavit. Credo autem præ lætitia cineres ejus in urna se movisse. Spectemus jam aliam testium nubem sanctè asseverantium Calvini stigma. *Quare*, inquit pag. 73. *tot etiam alios præter Bolsecum testes, quos excitat tibi Lessius non memorasti? Certè enim librum ejus, quem aliquoties citas, legisti. Isti sunt Iul. Brigerus, Thomas Stapletonus, Edmundus Campianus, Ioannes Duræus, Laur. Surius, Guilel. Reginaldus, Cunrad. Schlusselburgius. Et addere licet, præter alios, Pet. Simonem Tiletanum Episcopum quondam Iprensem.* Gordius etenim nodus, utinam adesset Tenedia securis. Eadem ratione nos probare possumus Ioannam Papissam sedisse Romæ, Papam esse Antichristum, Pontificios esse falsarios scripturarum, &c. non tantum decem, aut duodecim testibus, sed millenis aliquot, qui omnes syngrapha sua hæc testabuntur. Miror verò tuam stultitiam Dn. Doctor, neque enim fabæ, credo, florebant cum meditareris de Calvini stigmatis. Addidisses Simoni Tiletano (in quo invento gloriari videris) ejus quoque successorem Dn. Iansenium, & teipsum: æquè enim multum fidei vobis tribuimus, ac cruciario Campiano, aut transfugæ Stapletono. Scio consilium quod si sequaris, innumerum numerum testium pro Calvini stigmate corrades. Peregrinationem suscipito per omnia Papæ regna, & Provincias, pervagator omnia claustra, cellas, angulos, & cryptas, & colligito omnium eorum nomina, qui credunt sanctum Bolsecum non mentitum esse. Credo te, exceptâ Galliâ, ubi fabella hæc jam magnam partem evanuit, spatio semestris plures testes ejusdem cum Surio commatis, collecturum esse, quàm habet Illyrius in Catalogo testium veritatis. Quantum ad Catholicos caudatos qui apud nos vivunt, spondeo tuum fore P. à Gouda. Ostendit jam quanta expeditiore fide, quàm Thomas Apostolus, credat stigmata, procurando editionem libellorum Belgicorum de hac fabella. Quod si consilium hoc displiceat, & lætos Italiæ campos lustrare malis, rectà Romam ad sanctissimum Patrem Vrbanum tendito, æquè expeditè bullâ suâ imperabit ut omnes adoratores sui credant verum fuisse Calvini stigma, atque Gregorius IX. Alexander V. & Nicolaus III. sub hæreseos pœna omnibus mandarunt, ut crederent vera esse S. Francisci stigmata.

IV. Ad ea quæ ex Lessio dein adfert, non respondeo, ne post Cl. Rivetum actum agam. Cæterum quod de VVitakero habet præterire nec possum, nec debeo. Pag. 74. dicit: *Cum Edmundus Campianus Calvinistæ VVitakero Calvinum perfugam stigmaticum appellasset, solum respondit, Si stigmaticus fuit Calvinus, fuit etiam Paulus, fuerunt alii; ridiculè simul & impiè stigmata Sodomitica Calvini comparans cum sacratissimis stigmatibus Christi, in corpore S. Pauli expressis. Atque ita objecta non rejiciens videtur admittere.* Vbi fides! Hoccine tantùm VVitakerus dixit? Ipse loquatur ut totus mundus cognoscat Lovaniensem Censorem plagiarium, & falsarium esse. Ita vero VVitak. in Resp. ad tert. *Rationem Campiani Calvinum*, inquit,

inquit, *quem tu perfugam, & stigmaticum vocas, tota Christi Ecclesia virum optimum, & servum Domini constantissimum novit: qui tantum ab omni dedecore, & turpitudine abfuit, quantum tu à modestia, atque honestate. Si stigmaticus fuit: fuit etiam Paulus, fuerunt alii. at non fuit.* An hoc est admittere Calvinũ fuisse stigmaticum? Subjicit dein ex bono Tiletano nescio quæ κρουνοχυτρολήραια, & furibunda mendacia. Prætereo ea, quia se ipsa evertunt. Vnum quod de Calvini fratre Antonio, qui cum uxore adultera divortium fecit, speciem quam præ se ferre videtur. Nihil tamen facit ad probationem stigmatis. Non magis hoc Calvinum lædit, quàm avaritia & desperatio Iudæ, benedictum nostrum Servatorem. Rectè Augustinus ep. 137. & cum Augustino Calvinus dicere potest: *Quantumlibet vigilet disciplina domus meæ, homo sum, & inter homines vivo, nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit, quàm arca Noë, ubi inter octo homines reprobus unus inventus est.* Quæ de juvencula in territorio Gez, prope cujus lectum inventa fuissent vestigia quasi Calvini, ex Tiletano pag. 75. blaterat, quàm infrunitum, quàm stultum est? Quasi vero Calvino, qui ut claudus sutor assiduò domi sedebat, vacaverit, *valde quidem frequenter*, ut dicit diabolus, ad juvenculam in Gez excurrere. Si non depuduisset prorsus Fromondus, hæc reticuisset. Non fuit obsessor alieni matrimonii Calvinus: nec similis Papis qui sæpe in adulterio fuere deprehensi. Non Calvinus, sed Paulus IV. erat, qui in facie à Nicolao Quercæo vulnus accipiebat, quòd apud neptem Lauram cubaret. Presbyter quoque erat, ut narrat Thomas Cantiprat. de Apib. l. 2. cap. 30. qui sexagenariam virginem, præ furore libidinis iniit.

V. Et hæc sunt argumenta, quæ pro Calvini stigmate militant. Quantum ex iis in equuleo etiam tortis, confici possit, judica ipse, Lector. In iis tamen ita sibi plaudit Fromondus, ut Iò Pæan canere ausit. Sed condonemus hanc ei vesaniam. Quæ postremò pag. 76. & 77. de sanctitate eorum, qui olim Reformationem sunt aggressi, garrit, nec Voetium, nec Reformatos feriunt: arguunt verò insignem ac intolerandam illius ignorantiam. Qualis ante conversionem fuerit Paulus docet nos Sp. Sanctus Act. 9. Qualis Mathæus, ille ipse in Euangelio cap. 9. Nec quis paulò humanior est qui ignoret Augustinum prius fuisse Manichæum & concubinarium, ac Cyprianum inflatum rhetorem, & magum. Sanctitatis imagine & specie sæpe quoque pientissimi decipiuntur. Imo si audimus Pererium Iesuitam, Sanctimoniæ umbra propria & genuina erit Antichristi nota. Sic enim scribit Comm. in Dan. lib. 14. *Antichristus futurus erit callidissimus, & variis artificiis utetur ad homines decipiendos, principio eos, qui studebunt pietati, & religioni, capiet specie & simulatione sanctitatis, castitatis, abstinentiæ, pietatis. Antichristum fore hypocritam testatur Hippolitus.* Hæc si scivisset Fromondus, non ita ineptiisset.

CAPVT XIX.

Ecclesia Romana docet furtum, & fornicationem. Diluuntur quinque calumniæ. Clerici Sodomia sunt infames. Variè contra bullam Pii V. excipiunt casuistæ. Verum est quod dixit Voetius, quòd doceatur in Papana Ecclesia: Præstare ut clerici concubinarii scortatores sint, quàm uxorati.

I. ACcedimus ad Caput XVII. Crisios: eo Fromondus Ecclesiam suam furum, & scortatorum contubernio eximere laborat. Sed tantùm laborat. Nihil agit, nisi hoc unum quod ansam nobis præbeat denudandi ejus ulcera, & turpitudinem. Voetius pag. 17. Desp. Caus. Papanum conciliabulum in doctrina morum errare docet, quia furtum & fornicationem ut res licitas, in certis casibus probat. Vtrumque diluere laborat Fromondus: sed more suo quàm frigidè, & ineptè. Nos omnia excutiemus ordine. De furto probavit Voetius ex *Viguerio*, *Antonino*, & *Bannes in Thomam* qui docent furari esse licitum *in extrema necessitate*. Difflatis omnibus fumis huc redit summa Responsionis Fromondi: pag. 78. In casu extremæ necessitatis secundum Theologos & Iurisconsultos omnia sunt communia. Et dein citat *Covarruviam* ex suis, & ex nostris *Gothofredum*, *Treutlerum*, & *Bacchovium* quoque: ideo

ideo credo quod factus fuerit Apostata. Potuisset I. Consultis & multos ex Theologis nostris, si tantùm de facie eos novisset, adjungere. Inter alios Cl. Amesium: dicit enim in Casibus Conscientiæ l. 5. cap. 50. *Res aliena auferri potest sine crimine furti, si irrationabiliter censeatur Dominus invitus: ut in eis, quæ accipit aliquis ex alieno, ad extremam & præsentem suam necessitatem sublevandam, cui aliâ ratione succurri non potest.* Sed hæccine excusant turpitudinem Babylonis? Minimè. Anguis latitat in *extrema illa necessitate.* Admittimus libenter etenim descriptionem Thomæ 2. 2. q. 66. art. 7. quæ ita habet: *Si tamen adeo sit evidens & urgens necessitas, ut manifestum sit instanti necessitati de rebus occurrentibus esse subveniendum (puta cùm imminet personæ periculum, & aliter subveniri non potest) tunc licitè potest aliquis ex rebus alienis suæ necessitati subvenire, sive manifestè sive occultè sublatis; nec hoc propriè habet rationem furti, vel rapinæ.* Manifestè Thomas, manifestè nostri Theologi (Iurisconsultos qui secundum leges & jus soli respondent, non moror) talem intelligunt necessitatem, quæ cum mortis periculo, & quidem manifesto est conjuncta, ac cui nulla alia ratione subveniri potest. Quàm longè verò hinc recedunt *Viguerius, Antoninus,* & *Bannes.* Hic quidem virum honestum docet (quot autem sunt qui se tales esse non existiment!) furari potius debere, quàm mendicare. Quòd verò furum patroni sint Papani ex aliis etiam Casuistarum locis docebo. Et primò quidem bonam Voetii fidem in interpretandis *Viguerio, Antonino,* & *Banne* assero ex sequentibus DD. qui optimè scivêre quæ esset illa *extrema necessitas.* Toletus dicit lib. 5. de Instr. Sacerdot. cap. 15. *Quartò furtum est licitum cùm sit urgente necessitate: cùm enim aliquis est in extrema necessitate vitæ, aut in ejus periculo probabili, si secretò ab alio accipiat sibi, quod necessarium est, non est fur, nec facit contra justitiam, maximè cùm iste aliis non dat: sed hoc non licet in quacunque necessitate, sed gravissima, & fere extrema.* Arrige aures, Fromonde, ad illud *ferè*, quod à Voetii amanuensi in loco Augustini omissum esse, alibi humanè vix pateris. Maldonatus in Summula qu. 8. art. 3. *Pauperes*, inquit, *non faciunt furtum, cum pressi extrema necessitate, rem alienam capiunt, quia res tum proprie non est aliena, sed communis vitæ periclitantis: nec necessitas extrema est, quæ jam ferè non potest admittere remedium, ut cum pauper exhalat animam; sed cùm vix aliâ ratione potest subveniri.* Diana in Resolut. tract. 3. miscell. resol. 29. *Dico*, inquit, *probabilem esse illam sententiam, quæ asserit in gravi necessitate licere furari aliena occultè: per gravem necessitatem, intelligo, non quovis modo gravem, sed valde gravem, etsi non extremam; puta, si fuerit necessitas morbi famis, nuditatis, &c.* Idem docent Eman. Sa, verb. *Furtum* n. 1. Per. Navarrus l. 3. p. 4. cap. 1. d. 5. Vides opinor, Fromonde, differentiam Voetiumque à calumnia, quam ignorans impingebas, absolvis? Statuimus nos tam extremam necessitatem, quâ extremior esse non potest, vos vultis tantum gravem necessitatem & fere extremam, mendicosque pulchrè docetis, quandocunque recusatur iis victus aut amictus, furari, & vim facere.

II. Quamvis Voetio suffecerit in Desper. Causa ex exiguo solùm specimine probare furtum à Papanis DD. doceri, nobis tamen non debebit vitio verti, si provocati ab importunissimo Fromondo, ostendamus Romanam Ecclesiam & docere, & suadere furtum. Arbitramini, Lectores, & ex iis quæ subjiciam judicate. Tolet. Instr. Sacerd. Tract. de septem peccatis cap. 49. *Is*, inquit, *qui justo precio non potest vendere vinum, vel propter iniquitatem judicis, vel propter emptorum malitiam, qui conveniunt inter se, ut pauci emant, ad pretium remittendum; tunc potest minuere mensuram, aut paululum aquæ miscere, ac vendere pro puro, & completa mensura, justum exigendo pretium dummodò non dicat mendacium: quod si dicat, non erit mortale peccatum, nec obligans ad restitutionem.* Bonacina de Contract. disp. 2. q. 8. punct. 1. n. 7. *Quatuor*, inquit, *sunt genera personarum in ordine ad quas consideranda est gravitas, & levitas furti. Primò, aliæ sunt personæ illustres, quæ splendidè alunt familiam. Secundò, aliæ quæ vivunt ex suis reditibus; quales sunt communes divites. Tertiò, quæ se suo sustentant artificio, & operâ. Quartò, aliæ quæ mendicando vivunt. Respectu personarum primi generis, nummus aureus, ut minimùm est materia notabilis, & sufficiens ad*

peccatum mortale. Respectu personarum secundi generis, quatuor regales circiter plus minusve. Respectu personarum tertii generis, duo regales, & tandem respectu personarum quarti generis, unus regalis, erit gravis materiæ. Ergo, si nobilis à paupere qui tantùm possidet sex regales, quatuor furetur, non peccat mortaliter. Berarducius in summa Coronæ pag. 1. cap. 1. num. 28. in fine: *Si actus,* inquit, *furandi procedunt à voluntate intercisa, hoc est, dum homo furatur illud parum, non intendit furari, nec alio tempore, & postea de novo subvenit alia occasio furandi similiter, tunc quantumcunque reiterat hujusmodi furta sic conditionata, semper est veniale, nec tenetur de necessitate salutis restituere ea.* Diana tract. de Paupert. religiosa Resol. 34. in fine: *Notandum est,* inquit, *furantes non teneri sub peccato mortali, ad restitutionem totius quantitatis furatæ, sed tantùm ad illam partem, quâ restitutâ cessat notabilis quantitas ad furtum mortale petita.* Toletus lib. 5. Instruct. Sacerdot. cap. 27. *Nullus,* inquit, *tenetur cum vitæ periculo, aut famæ rem alterius restituere: sunt enim vita & fama nobilioris ordinis, quàm res. Nullus autem tenetur cum detrimento bonorum superioris ordinis, bona restituere inferioris ordinis.* Anton. 2. part. tom. 2. cap. 5. & Tolet. de Instr. Sacerd. l. 5. cap. 19. *Mulieres,* inquiunt, *accipientes pretium pro vitio carnis, non obligantur ad restitutionem, quia actio ista non est mala contra justitiam, quamvis sint virgines, & conjugatæ, & cujuscunque conditionis.* Navarrus de Restit. lib. 3. cap. 2. n. 84. *Non,* inquit, *meo judicio quodcunque monopolium mercatorum, ut non nisi certo pretio emant, est iniquum, si revera illud est justum pretium.*

III. Secundò probavit Voetius in Desperata Causa p. 18. Papalem Ecclesiam errare in Doctrina de moribus, eò quod permittit lupanaria, & fornicationem. Maculam hanc eluere subtilitate sua non poterat Fromondus, eoque ad solita sua κρησφύγετα, calumnias confugit, ut ita Lectoribus pulverem ob oculos spargeret. Calumniæ sex sunt, quas excutiemus antequam incipiamus examinare ejus subtilitatem. *Prima est;* Lutherus, inquit, dixit. *Si non vult uxor, veniat ancilla.* Vulgaris hæc est cantilena, cui plùs millies ex ipso Luthero respondêre DD. nostri. Piget autem hanc crambem recoquere. Sed jam tamen necessarium. Vrget adversarius, quia non tantum pag. 79. sed & 99. ejus mentionem facit. Quid autem innuere voluit Lutherus? nihil aliud quàm Apostolus 1 Cor. 7. vers. 15. ob malitiosam nempe desertionem uxoris, aut alterius conjugis, licere innocenti aliam conditionem quærere. Liquet ex sequentibus Lutheri verbis, quibus maritum instruit, quâ ratione reluctantem ac pertinacem uxorem aggredi debeat, ut debitum solvat: *Si tu nolis, alia volet. Si domina nolit, adveniat ancilla: ita tamen ut antea iterum, & tertiò uxorem admoneat maritus, & coram aliis etiam ejus pertinaciam detegat, ut publicè, & ante conspectum Ecclesiæ duritia ejus & agnoscatur, & reprehendatur. Si tum renuat, repudia eam, & in vicem Vasti, Ester surroga, Assueri regis exemplo.* Quid si reluctetur uxor nullumque locum aut precibus, aut minis facere velit, pro deserta est habenda. Dupliciter autem crimen falsi committunt Papani in citanda hac Lutheri sententia: 1. quod eam à sequentibus verbis avellant. 2. Quod interminatoria verba tertiæ personæ suggesta in casu necessitatis à Luthero, accipiant tanquam verba præcepti. Iudicate verò æquissimi Lectores, uter gravius peccet, Lutherus, qui permittit marito ut dicat reluctanti, & desertionem meditanti uxori, *si non vult uxor, veniat ancilla,* an Pontifex qui ita sanxit contra rationem, & Scripturam: c. 30. q. 1. *Ab hoc ergo Spiritus sancti dono, usque ad septimum gradum nullus Christianus suam commatrem in conjugium suscipere debet: Et qui præsumpserit, tamdiu vinculo anathematis religetur, donec pœnitentiam dignè egerit. Secunda calumnia* quâ nos gravat Fromondus pag. 80. est hæc. *Si Lutheri,* inquit, *est vera sententia, castitatem hominibus impossibilem esse, nec se magis à muliere potuisse abstinere quàm à cibo, & potu.* Ybi hoc habetur apud Lutherum? In margine citat ejus colloq. Mensal. quæ ab alio quodam consarcinata nemo unquam probabit esse Lutheri. Ostendit etenim quàm versatus sit in Lutheri scriptis. Si Campianum suum inspexisset, didicisset hoc à Luthero esse dictum in Concion. de Matrimon. Pervertit vero uterque nec non Feyardentius quoque in Theomachia

Calvinistica part. 2. lib. 13. cap. 33. Lutheri verba. Neque enim de se loquitur, sed de necessaria propagatione generis humani, secundum promissam Dei benedictionem, *Crescite & multiplicamini*. Eodem modo August. loquitur lib. de bono conjugali cap. 16. (ut per literas mihi indicium fecit Præst. Dn. Rivetus) *Quod*, inquit, *cibus est ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis*. Et quid si, quod nunquam tamen probabitur, Lutherus de se locutus esset, quid tum? Conjugium iis æquè est necessarium ac βιωτικά, quibus non est divinitus concessum donum continentiæ. Rectè Thomas in 1 Cor. 7. lect. 1. *Dictum est*, inquit, *quod bonum est homini mulierem non tangere: sed quia ad hoc bonum non sunt omnes homines idonei, unusquisque vir propter fornicationem scilicet vitandam suam uxorem habeat. i. sibi determinatam, ut tollantur vagi & incerti concubitus, quod pertinet ab fornicationem*. Quod autem Fromondus dicit, Lutheri sententiam esse *castitatem hominibus impossibilem esse*, pura puta calumnia est. Ipse Lutherus loquatur. In Concione de Matrimonio, quæ extat inter opera ejus tom. v. expresè laudat Eunuchos illos, *qui alti & prædivites Spiritu sunt, per gratiam Dei infrænati, qui naturâ corporisque viribus ad rem inidonei non sunt, & suapte tamen sponte cælibes permanent*. Item ibid. *Nec ideo*, inquit, *cælibatum, & virginitatem reprobare mihi animus est, nec inde quemquam ad jugale vinculum invitare. Quisque pro dono suo divinitus impertito, ut potest feratur*. Succedit *tertia calumnia, Calvinistæ*, inquit, *tui in Scuto quodam fidei magistraliter pronunciasse dicuntur, Marem fœminamve quinque continuis diebus non posse à re Veneris abstinere*. Et dein in margine citat. Pen. Foriar. cap. 33. quod existimo esse σφάλμα typographicum, & legendum esse Fevard. part. 2. lib. 13. cap. 33. Pura puta calumnia est. In toto Scuto fidei, scripto à Barthol. Causse & opposito Scuto Pontificio nihil tale comparet. Petracella Iebusita, & fraterculus Fromondi in Notis ad epistolam Molinæi, dicti hujus authorem citabat Lutherum. Fevardentius loc. cit. introducit authorem de se loquentem. Vterque falsissimè: si Fromondus hæc ex Scuto fidei eruere possit, Argo oculatior erit. *Quarta calumnia* hæc est pag. 80. *Inter regulas*, inquit, *militares Rupellæ editas anno* 1621. *hæc est* 17. *Omnibus viris militaribus, nemine excepto, interdictum volumus lascivam, ac scandalosam vitam agere, fœminas in civitate aut castris in comitatu habere, sub pœna capitis, fœminis verò sub castigationis capitalis interminatione*. Grande flagitium. Rupellenses castra & militares suas cohortes meretricibus, & propudiosis fœminis exonerant: ergo jure meritoque possunt allatrari à cane. Præstat igitur, inter lixas & impedimenta etiam scortilla esse. Næ, tu Fromonde, ostendis cujus genii sis. Ineptus, dicax, mordax, & ridiculus calumniator es. Vide sis verò homo ne quis ex Politicis Doctoribus castiget stultam tuam rabiem. Enimverò nullus adhuc reprehendit Lipsium, aut Tholosanum quòd hic l. 11. de Republ. cap. 9. ille verò lib. 5. Polit. cap. 13. suadeat duci, ut à castris luxuriosos apparatus conviviorum, & instrumenta libidinum arceat. *Quinta calumnia* occurrit pag. 83. *Scis*, inquit, *haud dubiè, quid de ministris Germaniæ uxorum noctes interdum invicem permutantibus, & de Augustano ministro, qui uxorem confratris Ministri Francofurtensis duxerat ipso volente, scribat post Rescium Ræmondus*. Calumnia, & mendacium. Si narrarem tibi, Fromonde, & centum adhuc vivos testes producerem, qui omnes jurarent verissimum esse quod ante quinquennium cloppa quæ, ut loquuntur, aut domestica monialis, Roterodami ex sacrificulo conceperit, pepererit, & ô flagitium! infantulum in forica etiam suffocaverit, ea verò paulò post exspiraverit, ac cadaver magistratus sententia prope patibulum fuerit collocatum, an non mentiri me diceres? Iure ergo magis, rejicere possum Rescium & Ræmondum, testes sublestos, inimicos, & in propatulo falsos, ac mendaces. Superest *sexta calumnia*, quâ religionem Reformatam collutulare studet. Dicit pag. 83. *Nec te tam propinquum*, inquit, *fugere potest, his annis proximis duos Hagæ Comitis Ecclesiæ Francicæ, vulgò Muylkerck, Ministros adulteriorum, & libidinum manifestos publicâ ibi infamiâ laborasse*. Et iterum pag. 139. *Cum uxor Ministri cujusdam Hagæ-Comitani ternos liberos uno partu his annis enixa esset, parentem scivisse potiùs binos ex illis sine sacro lavacro emori, quàm*

ut diem concionis præverteret. Conjungo historicas has narrationes quia eodem pertinent. Sed an circa illas non fallitur Fromondus? Historiam totam narrabo, quia nihil officit religioni quam profitemur, aut Ecclesiæ, cujus Deo gratias, ſumus membra. Verum eſt: unus ex Hagæ-Comitanis miniſtris Gallicanæ Eccleſiæ ante ſexennium cum ſcorto eſt deprehenſus, ſed propterea etiam à Synodo exauctoratus: ab eo autem tempore privatus vixit, & adhuc hodie vivit, nec præ pudore cætibus noſtris intereſſe ſuſtinet. Alter verò à meretricula eſt accuſatus, quod cum ea caput collimaſſet, convinci tamen non potuit: nihilominus, quod res non careret ſuſpicione, Synodus ſtatuit eum cum fructu in his provinciis miniſterio non poſſe fungi. Prioris uxor, circa idem pene tempus quo ipſe in ſinu meretriculæ fuit deprehenſus, ternos liberos non vitales enixa eſt. De baptiſmo nec ego, nec quis alius unquam quid audivit. Vtinam verò muliercula quaternos peperiſſet, ita paria facere potuiſſet cum moniali illa de qua hæc narrat monachus Dominicanus in Annot. Colmarienſ. *Anno*, inquit, 1276. *in Rotvveiler ſoror monialis incluſa tres pueros uno die peperit, & quarto die quartum puerum prioribus addebat. Fœcunda fuit hæc monialis: veriſimile totidem ſanctis fratribus frequenter eam ſuccubuiſſe, interitum ordinis monaſtici fortè veritam.* Subſiliet, ſcio, Fromondus, & nos manifeſtò αὐτοκατακρίτους teneri clamitabit. Sed non movemur à Corybantibus. Imputari poſſent flagitia hæc Eccleſiis noſtris, ſi ipſæ ea non caſtigaſſent, & primò prodidiſſent. Haud magis hæc nos, quàm Thamar ſanctam Iacobi domum commaculavit. Si eodem rigore delinquentes contra vota monachos & ſacrificulos caſtigaret Romana factio, quàm brevi ſpatio monaſteria, & parochiæ eſſent vacuæ. Omnes noſtræ Eccleſiæ non ſufficerent alendis transfugis ſcortatoribus, & Sodomitis. Nihil ægrè magis fert clerus, quàm ſi ob fornicationem, & libidinem caſtigetur. Cum Ampliſſimus Senatus Venetus anno 1606. Brandolinum Valdemarinum Nerveſiæ Abbatem in carcerem conjeciſſet, quia accuſabatur quòd permultos annos tyrannidem erga bona vicinorum, & conjuges exercuiſſet, multos, & inter eoſdem quendam ſacerdotem domeſticum ſuum veneno ſuſtuliſſet, patri inſuper ipſi, & fratri genuino venenum exhibuiſſet, plurimos alios occidiſſet, cum aliqua ex propriis ſororibus aliquamdiu rem habuiſſet, artibus magicis ſua illa facinora ad actum perduxiſſet, & talia in ſumma perpetraſſet, quæ abſque ſummo horrore enarrari non poſſunt: Pontifex Paulus V. antè exacerbatus quòd à Senatu ſatellites ſui, Loyolæ filii, non ſatis commodè tractarentur, bullam mox condidit, quâ totam remp. excommunicavit, univerſoque clero interdixit ne ſacra celebraret. Poſt longam autem velitationem tandem pax inter Remp. & Papam eſt compoſita, pactumque ut Brandolinus, cum altero quodam Scipione Saracino Canonico Vicentino, [qui ſigilla Rectoris Vicentini contemptim confregerat, viduam ſtuprare tentaverat, & in templis etiam libidinis ſuæ ſigna edere non horruerat] Papæ traderetur, qui utrumque abſque cenſura incolumem, ac indemnem dimiſit. Videatur ipſa hiſtor. ſeorſum edita & Petr. Mathæ. lib. 3. Ita caſtigantur cleri delicta! Tace, ergo poſthac, Fromonde, nec nobis exprobra quod cenſuram in ἀπέκτους exerceamus, aut excitabis nos ad detegendam amplius veſtram irregularitatem.

IV. Hæc ad calumnias diluendas dicta ſufficiant. Videamus quomodo Gomorræum lupanarium fœtorem abigat Fromondus. Vt appareat eum inter I. Conſultos habitare (quamvis ne limen quidem Iuriſprudentiæ aſpexerit) citat pag. 79. Convarr. de Sponſ. cap. 4. Lepidè: quæſtio quæ ſpectat caſum conſcientiæ, determinabitur unius I. Conſulti & quidem adverſarii, ſuffragio? Quis unquam hominem ineptiorem vidit? Sed antequam Convarruviæ rationem quam ipſe poſtea per multas lineas diſtendit, examinemus: vulgato Auguſtini dicto quod paſſim iis in ore eſt, reſpondeamus. Dicit Auguſtinus lib. 2. de Ordin. cap. 4. *Aufer meretrices de rebus humanis, & turbaveris omnia libidinibus.* Hinc Fromondus, hinc alii ex ejus ſecta, millecuplo eo doctiores lupanaria ſua probant. Reſpond. 1. Auguſtinus quamvis magnus, & pius fuerit Theologus, ſingularis tamen fuit doctor, & homo. Errare

potuit.

potuit, & erravit: ejus opinio, & dicta non sunt authentica. Ingenuè Melchior Canus dicit in locis Theol. l. 11. p. 337. *Magni authores labuntur interdum, & oneri cedunt, vulgoque interdum indulgent.* 2. Augustini sententia adversatur Scripturæ, & aliis patribus. Deut. 23. vers. 7. dicit Deus: *Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israël.* Clem. Pædag. l. 3. cap. 3. *Lupanaria sunt publicæ intemperantiæ trophæa.* Lact. lib. 6. cap. 23. *Diabolus lupanaria constituit, & pudorem infelicium mulierum publicavit.* 3. Augustinus hæc scripsit adhuc juvenis, & postquam recenter à Manichæis ad Ecclesiam se contulisset, postea ex verbo Dei melius est edoctus, ut liquet vel ex solis ejus libris de civitate Dei. lib. 2. enim ejus operis cap. 20. sic loquitur, *abundent*, inquit, *publica scorta, vel propter omnes quibus frui placuerit, vel propter eos maximè, qui habere privata non possunt.* Sic & lib. 14. cap. 18. *terrenæ civitati*, objicit, *quòd licitam turpitudinem fecerit.* Videatur & ipse Mariana lib. de Spect. ubi ad hunc Augustini locum respondet. Nec non ex nostris Cl. Rivetus in Jes. Vapulante cap. XVI. §. 4. & in Expl. ad Decal. pag. 331. Sed qua ratione tandem probat Censor, lupanaria licitè & rectè permitti, summa verborum ejus quæ effundit pag. 79. & 80. huc redit: *Permittenda sunt minora mala, ne majora eveniant.* Egregia etenim ratio, & quæ carni admodum arridet, sed quæ tamen è diametro adversatur Apostolo, qui ad Rom. cap. 3. vers. 8. docet *non esse facienda mala, ut eveniant bona.* Sed dicet Fromondus tolerari à nostris Magistratibus lombardas, & trapezitas? quid tum vero? Videant illi quâ conscientiâ: ad hoc non ultrò concedunt ut Papani lupanaria, sed expugnati importunis precibus & pollicitationibus Pedemontanorum vulturum. Incipiunt autem apud nos Magistratus jam de remedio cogitare, & quidem Amstelodamenses & Roterodamenses mensas jam everterunt, quos brevi secuturos speramus Vltrajectinos nostros. Et quid si Magistratus Trapezitas invitarent, non hoc aut Voetium aut Ecclesias nostras læderet. Omnes Theologi nostri hactenus Trapeziticam hanc detestantur, in eam Voetius nuper publice disputavit, plurimi etiã ex nostris totos tractatus scripsere. Meminisse deberes Dn. Doctor Voetium in Papam & Theologos vestros scripsisse. Papa permittit lupanaria, & Theologi ea defendunt, hoc insectatus est Voetius, hoc insectamur omnes. Falluntur autem longè, qui existimant permissione lupanarium frænum imponi libidini, coerceri scortationem, ac arceri adulteria. Bas. in Psal. 1. *Scortatio*, inquit, *non sistit in uno homine, sed totam civitatem pervadit.* Ambr. in Psal. 118. *Quis*, ait, *meretrices existimet foveri posse in civitate, ut juvenes non scortentur.*

V. Sed lubet hoc sterquilinium post Voetium fodicare, ut persentiscant aliqui saltem Acheronteum odorem turpitudinis Papanæ. Martinus Vivaldus in Candelabro aureo tit. de Confessione num. 60. *Quæritur*, inquit, *utrum hæ meretrices censentur excommunicatæ per Synodales constitutiones, quæ nec confitentur nec communicant?* Respondet: *Meretrices nunquam publicantur, nec denunciantur pro excommunicatis in Ecclesiis: nec visum unquam fuit, aliquem hac de causa ab earum participatione fugisse, &c. Pro resolutione dico, quòd si non confiteantur, nec communicent per 10. aut 20. annos, non ideo incurrunt pœnas Ecclesiæ, in detestationem pessimi sui status, quia meretrices non sunt dignæ laqueis legum.* Plaudite meretrices, injuriâ scopis & carcere in vos sævitur. Vtinam bonus Doctor Vivaldus, major ille pœnitentiarius, aliquando martyrologium edat omnium dominarum, quæ ob fornicationem persecutionem passæ sunt. Sed & alios audiamus? Navarrus in Manuali cap. 17. num. 195. *Licet*, inquit, *potestati publicæ permittere meretrices in aliqua parte civitatis:* & postea: *Alicubi constituuntur eis patroni, & domus ejus locantur carius, quàm honestis locarentur: Et in hac urbe Romana, sciente & patiente Papâ locantur, & semper consueverunt domus locari meretricibus: & confessarii absolvunt, & semper absolverunt locatores eorum, sine proposito abstinendi à tali locatione,* &c. Less. lib. 2. de Iust. & Iure cap. 10. dub. 3. *Si quis*, ait, *corruperit virginem promissione conjugii, si longè sit opulentior aut nobilior, non tenebitur eam ducere, sed sufficiet aliter damnum resarcire.* Sanchez de Matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 46. n. 6. *Sicut*, inquit, *sponsis de futuro*

licita sunt oscula, amplexus, & similes tactus cum suis sponsis : ita commotiones sensibiles, quæ ex cogitatis osculis, & amplexibus resultant, sed non ex aliis tactibus. Idem ibid. disput. 46. n. 15. *Non est mortale peccatum obscænas brutorum partes confricare, quia inde non excitatur tam vehemens delectatio, & solùm ex curiositate fit, & quamvis confricans intenderet, ut brutum semen expelleret, ex curiositate illud videndi, non est mortale.* Idem ibid. disp. 17. n. 5. *Non peccat mortaliter, si conjux intra vas naturale fœminæ digitos quasi membrum virile immittat.* Iacob. de Graffiis Decis. aur. Cas. Conscient. tom. 2. lib. 3. cap. 28. art. 36. *Ad meretrices*, inquit, *accedere quamvis sit peccatum mortale, tamen Ecclesia illud malum tolerat ad evitandum majus malum*, &c. *& in hoc casu Ecclesia censuram restringit, ne forsitan deteriores sint*, &c. Quis ergo tam nasutus, qui ausit reprehendere fornicatorem, quem notare non audet Ecclesia?

VI. Accedimus ad Sodomiam : quam Voetius attigit pag. 302. ubi docuit ex Navarro, *eam secundum stylum curiæ Romanæ, irregularitatem non inducere.* Quid ad hæc Fromondus ? Erubescit ad turpitudinem suæ factionis. Mantelum tamen non invenit aliud quàm in bulla Pii V. secundum quam clerici nimis frequenter crimen hoc perpetrantes *privantur omni officio, dignitate, & beneficio.* Sed quot quæso ex iis tam severè sunt castigati ? astuti ad tegenda sua vitia clerici facile eludunt statuta, & leges. Difflant catenas Pontificis, quas ne Hercules quidem diffringere posset. Quod si Fromondus *in jure novo*, ut loquitur fuisset, versatus, sat scio non pro se Extravagantem hanc attulisset. Vide sis, & mirare Lector, quàm subtiliter Sodomitarum rasa soboles hoc Pontificis decretum eludat. I. *Dicunt: dictam bullam non esse receptam in usu quoad forum interius.* P. Diana tract. Miscell. 3. Resol. 21. ubi alios plures citat. II. *Si occultè & sine scandalo Sodomiam quis exerceat, non incurret irregularitatem, secundum bullam.* Navarr. man. cap. 17. num. 249. item Quaranta in summa Bullarii tit. Sodomia. III. *Agentes solùm, non verò patientes incurrunt censuram.* Ita Diana l. cit. Res. 64. IV. *Nemo incurrit censuram, nisi ad minimum bis, terve deliquerit. unicus actus extra pœnam est.* Communis est hæc opinio secundum Dian. loco cit. Resol. 65. V. *Nemo incurrit excommunicationem ante sententiam judicis declaratoriam.* Diana ibid. Res. 67. Idem autem impudentissimè contra bonum Pium concludit ibid. Res. 69. *Nullum crimen, quamvis enorme, inducit irregularitatem, si non sit notorium, præter homicidium.* VI. Nemo secundum d. bullam punitur nisi abominandum flagitium consummaverit, si attentaverit solùm extra noxam esse putatur. Vide Quarantam loco citato, & authores ab eo adductos. VII. Bullæ pœna spectat tantùm forum interius. Clericus enim hoc vitio irretitus mox beneficia non amittit. Ita limitat Quaranta loco dicto. Tu leges ferto Pie, & fucatæ sanctimoniæ opinione antecessores tuos superare labora; quascunque de Sodomia tuleris, eludet eas irreformabilis clerus; immersus enim jacet nefandæ turpitudinis barathro, nec remedium, nec pœnam ferre potest. Quod autem abominando illi flagitio passim per Italiam & Siciliam monachi & sacrificuli sint dediti, si nobis ex quotidiana experientia non constaret, discere possemus ex Casuistis, qui in iis regionibus & scripsere, & vixere. Apud eos casus de Sodomia clericorum utramque paginam faciunt. Vide sis, Lector ipse, Navarrum, Henriquez, Avilam, Aloisium Riccium, Dianam, aliosque.

VII. Omissis iis quæ de castitate deturpatissimi sui cleri garrit, pag. 81, & 82. quæ fusè diluimus cap. præcedenti, accedimus ad concubinatum. Dixerat Voetius pag. 599. doceri in Papana Ecclesia, *Præstare clericos concubinarios, scortatores esse quàm uxoratos.* Ad hæc Fromondus ita strepit pag. 83. *Non es*, inquit, *tam stipes, & vervex, quin scias maximum mendacium esse. Doctrina enim nostra per infinitos libros sparsa, omnibus palam loquitur. Est autem potius ista : Præstat clericos nunquam clericos factos fuisse, quàm concubinarios, & scortatores.* Bona verba Dn. Doctor. Noli ita tumultuari. Nimis apertè ignorantiam tuam prodis. Vereor ne aliquando studiosi apud vos diligentiusculi tuam supinam negligentiam, & intolerandam ἀπαιδευσίαν explodant. Voetium accusas mendacii, sed illius ipse reus es. Probo hoc

hoc tribus argumentis. 1. Ex jure Canonico. Ita enim habetur in Decret. distinct. 34. c. 4. ubi in Edit. Parisi. in fol. anni 1507. legitur: *Is qui non habet uxorem, loco illius concubinam habere liceat.* Lugdunens. in fol. anni 1510. *Is qui non habet uxorem, loco illius debet habere concubinam.* & sic editio Basil. anno 1511. quam citavit Voetius. Nova verò Gregorii XIII. paulò magis fucate: *Is qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur; tamen ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ conjunctione sit contentus.* Elige quamcunque volueris lectionem, Fromonde, omnes enim favent Voetio, ac te mendacii, calumniæ, & ignorantiæ intolerandæ arguunt. 2. Quod Voetius dixit expresse, & in terminis docent Papani DD. Pichius controv. 15. de Cælibatu: *Sed esto,* inquit, *non faciunt obligati voto omnes quod possunt & debent, &c. & proinde tentantur, & fortasse uruntur eorum plerique: quid igitur, an nubere his minus malum erit, & minus damnabile? Tu vide, &c. Tentationi proinde, quibus possimus remediis resistendum est: in quibus si quando remissiores ex infirmitate carnis ceciderimus, tolerabilius hoc peccatum est, quàm si jugum in totum excutiamus, &c. non quod hic probemus fornicationum, sed casum ex infirmitate ad deliberatum, imo perpetuum abjecto omni pudore, incestum comparamus.* Bell. l. 2. de Monachis cap. 30. *De iis,* inquit, *qui voverunt, non rectè dicitur, Qui non se continent, nubant; melius est nubere, quàm uri. Nam utrumque est malum, & nubere, & uri, imo pejus est nubere, quàm uri, quicquid reclament adversarii, &c. Quæ nubit post votum simplex, verum matrimonium contrahit, tamen aliquo modo magis peccat, quàm quæ fornicatur.* Costerus in Enchir. prop. 9. pag. 547. *Sacerdos,* dicit, *si fornicetur, aut domi concubinam foveat, tametsi gravi sacrilegio se obstringat; graviùs tamen peccat, si contrahat matrimonium, &c. Sacerdotes inverecundiùs scortantur cum ea, quam pro sua haberi volunt, quàm cum alia, &c. Arbitrantur ipsi nuptias, quæ non sunt nuptiæ, sed pejora omnibus adulteriis sacrilegia.* 3. Quia concubinatus sub annuo tributo permittitur Sacerdotibus missificis. Scio, obstrepet Fromondus, sed res nimis liquida est. Testes plurimos habemus qui hoc docent, & dolent. Corn. Agrippa de Vanit. Scientiarum cap. 44. *Mitto,* inquit, *tolerantiæ commentum, quo certâ pecuniâ Episcopis solutâ, absentis mariti uxor, præter adulterii, ut dicunt, offensam, alteri cohabitare permittitur. Quæ omnia tam manifesta sunt atque frequentia, ut nescire cogamur, Episcoporum impudentia, an plebis patientia hactenus fuerit ineptior.* Item in Gravaminibus nationis Germanicæ, Anno 1522. legatis Papæ Noribergæ oblatis. Grav. 75. & 91. ita legitur: *In locis plerisque Episcopi, & eorum officiales, Sacerdotum tolerant concubinatum, dummodo certa persolvatur pecunia, & recepta ab eisdem hoc annuo censu publicè cum suis concubinis, pellicibus, & aliis id genus meretricibus, illegitimè cohabitare, liberosque procreare sinunt, &c. Sed & Sacerdotes continentes, & qui absque concubinis degunt, concubinatus censum persolvere cogunt, asserentes Episcopum pecuniæ indigum esse, quâ solutâ, licere Sacerdotibus, ut vel cælibes permaneant, vel concubinas alant.* Ne quis verò putet olim tantùm hanc turpitudinem, & impudentiam grassatam fuisse, & post Reformationem mantelum ei impositum esse, audiendus est Espencæus Theologus celebris. Is in comm. in Ep. ad Titum, ita stomachatur: *Episcopi,* inquit, *Archidiaconi, &c. plerumque dum diœceses, & parochiam obequitant, non tam facinorosos, & criminum reos, pœnis, & correctionibus à vitiis deterrent (quo fine peregrinationes hujusmodi olim fuerunt jure Canonico ordinatæ) quàm pecuniâ præsenti, & numeratâ, titulo procurationis, ne dicam fictitiæ jurisdictionis, emungunt, & exugunt tum clericos, tum laicos: turpissimum quod & hos cum concubinis, pellicibus, & meretriculis cohabitare, liberosque procreare sinunt, accepto ab eis, atque adeo à continentibus, certo quotannis censu; habeat, ajunt, si velit: & quoties quisque talis, cùm tamen multi sunt, hodie aliter punitur.* Sed quid ad testimonium dicendum advoco Espencæum; in omnium manibus versatur liber Henrici Cuickii Præsulis Ruremundensis contra concubinarios scriptus & editus Coloniæ anno 1599. In eo ingenuè fatetur peccatum hoc commune esse omnibus pene Sacerdotibus, paucosque inveniri qui ab eo sint immunes. Imo eorum concubinas tam impudentes esse dicit, ut ausint in

conven-

conventibus publicis, & conviviis eminentiorem sibi locum vendicare. Lege ipse eum librum Fromonde, & Voetium absolves. Quorsum verò tam acriter digladiaris pro continentia, & virginitate Sacerdotum. Putasne nos ignorare quales canes, & Fauni sint, qui apud nos præfecti sunt petulcis cloppis? Dolemus, imo deflemus quotidie scandala, & flagitia quæ narrantur. Nec ita tantum inter nos, sub cruce, ut loquuntur fratres impudentiæ, vivitur, sed in medio etiam Papatu. Exulat inde castitas, continentia, & temperantia. Fornicatio, concubinatus, luxuria, & ebrietas dominantur. Lustra tantum, dom. Doctor Lovanium, domum tuam. Vbique horrenda, & abominanda occurrent spectacula. Excute teipsum. Sanè non es Bellarminus, qui si quid, quod ad officinam Veneris pertineat, alicubi legeris, aut offenderis, vicinum interrogare debeas, ut illud exponat, & interpretetur. Nisi fortè ante paucos annos sacra illa ex India herba te enervaverit, & pumice aridiorem reddiderit. At quis hoc credat?

CAPVT XX.

Agrippa non fuit Lutheranus: haud magis, quàm Erasmus. Berengarius falsò magiæ insimulatur. Ridiculè argumentatur Fromondus ab hæreticis ad Magos. Non licet ex diabolo quid quærere per modum imperii.

I. ITerum de Magia nobis agendum. Sic enim lubet Dn. Fromondo. Vtinam verò bonus Doctor omnibus suis λόγοις dilueret hanc maculam, & malè sanam Ecclesiam, saltem Magorum contubernio eriperet! Sed quid agit tandem cap. XVIII. quod hic à nobis examinandum est? Iterum demonstrativo argumento probat se κορώνης λαλέστερον, παντοσοφομάστιγα, καὶ λογόγραφον εἶναι. Probare studet omnes magos esse hæreticos, hoc est nostros, & reformatos. Lepidè. Vt verò Achilles hic in statu immobilis stet: in antecessum probat Corn. Agrippam, & Berengarium fuisse magos. Nova hæc est dialectica. *Corn. Agrippa & Berengarius fuere magi & hæretici, Ergo omnes magi sunt hæretici.* Et cur non reciprocè quoque, ita enim licet in demonstratione; *Ergo omnes hæretici sunt magi*, Sed de hoc ferreo argumento postea. Pag. 85. *Cornelium*, inquit, *Agrippam nobis nimis liberaliter donasti.* Credebam, Domine Doctor, liberalitatem esse spontaneam benevolentiam. Voetius accensendo Agrippam Synagogæ vestræ, nihil aliud quàm debitum solvit. Vester etenim fuit; ita, inquam, vester. Æque ac Trithemius, Albertus Magnus, Petrus de Alliaco, Rogerius Bacon, similesque. Beatum verò Agrippam qui jam accensetur Reformatis! Sed unde hoc constat? Si ille Reformatis est accensendus, ruit alto de culmine palmaria ipsius Censoris responsio pag. 211. quâ abrumpere molitur filum continuatæ orthodoxæ religionis, dicit enim de Græcis loquens: *Quia in errore uno isto vobiscum consentiunt, ideo inter Lutheranos, Calvinistas, Gomaristas deputari possunt?* Aut illi jure deputantur: aut malè Agrippa Reformatis accensetur. Quid aliud enim ex Romanensium erroribus præter cleri ignorantiam, & cyclopicos mores culpavit? Quo in pretio autem Lutherum habuerit, ex ipso audiamus: lib. de Vanit. Scientiar. cap. 6. ita loquitur: *Qui sunt duces Germanicarum hæresium, quæ ab uno Luthero suscepto exordio hodie tam multæ sunt, ut ferè singulæ civitates suam habeant hæresim, nonne authores illarum homines disertissimi, linguæ eloquentiâ, & calami elegantia instructi?* Sed unde tandem ὀρθοδοξίαν ejus probat Fromondus? 1. *Quia in Epist. minatur se sale defricaturum Lovanienses.* Argutè. Iesuitæ & Dominicani egregiè se invicem, scriptis etiam editis, aceto perfundunt, Ergo alterutri sunt Reformati. Ridebat Agrippa, mi Doctor, brutam doctorculorum vestrorum ignorantiam, nec ferè poterat, quòd de omnibus controversiis magistraliter judicare præsumerent. Ita & Colonienses insectatur lib. 7. ep. 26. quòd fervidè nimis Lutherum condemnassent: eum locum si legisses, sat scio, & aliis rhapsodiis, quas nescio quis tibi suggessit, addidisses. 2. *Agrippa Lutherum salutat in Epist. Melanthonis.* Atqui Cardinalis Sadoletus Calvinum quoque. Costerus Iesuita ridiculam, & mendacissimam epistolam ad Ordd. fœderatos scripsit. Fac jam inde hanc conclusionem, asine.

Ergo, merentur illius oſſa effodi, & cum oſſibus VViclefi, Buceri, ac Pauli Fagii cremari. Sed quomodo Lutherum ſalutat Agrippa. *Salutabis*, inquit, *mihi invictum iſtum hæreticum Martinum Lutherum.* Si hoc elogio te ſalutarem, an non in pedes ſubſilires, & mihi rogum, laqueum, & quid non minareris? Ita puto.

II. Accedimus ad Berengarium. Is quoque ſecundum Fromondum fuit magus. Nemo ex omnibus Papanis ſcriptoribus, & rabulis, quotquot quidem mihi videri contigit, uſquam hujus calumniæ mentionem facit. Ne quidem diligentiſſimus, & talium curioſiſſimus Baronius. Guitmundus Archiepiſcopus Averſanus ad quem nos ablegat, ſummatim illius vitam deſcripſit, & tamen hoc tantum dicere potuit quòd *diabolo militaverit.* Polidorus Virgilius (cujus fides ipſi Paulo Iovio eſt ſuſpecta) ita ſolummodo de eo in calce lib. 9. Hiſtor. *Incidit*, inquit, *in hæc tempora Berengarius Andegavenſis homo, & diaconus omnino in doctrina non improbatus, qui præſtigiis dæmonum actus in hæreſim, eſt facilè lapſus: arbitratur enim in Euchariſtia non eſſe verum Chriſti corpus, niſi ut ſignum myſterii.* Laqueos, dolos, fraudes, artes omnes componite ſophiſtæ, & an ex his verbis Achillem, qui Berengarium magum fuiſſe aſſerat, eruere poſſitis, explorate. Vngues rodite, caput ſcabite, pluteum obtundite, & tantum efficietis, quantum qui littus arant. Non eſtis ita oculei, ut magiſter Fromondus. Apud eum hæc æquivalent; *Præſtigiis dæmonum in hæreſim agi, & magum eſſe.* Quàm putida, quàm inepta, quàm ridicula hæc calumnia! Placet tamen Deo hujus mundi. Miror verò, quâ fronte citare auſus ſit Lanfrancum, & VVil. Malmeſburienſem? exiſtimavit credo nos nunquam eos vidiſſe, aut legiſſe. Deo gratias non ſumus paucorum librorum homines. Omnia conquiſivit contra Berengarium Lanfrancus, Cantuarienſis Archiepiſcopus, omnia etiam de eo noverat, quia diu cum eo fuerat converſatus: de magia tamen ne quidem γρῦ. Malmeſburienſis verò etiam laudat eum, ut poſtea videbimus. Baronius tomo II. ad annum 1004. Fulbertum citat, is, quia Berengarii magiſter fuerat, tyrocinium quoque ejus & juvenilem vitam deſcribere potuit. Acta & geſta ejus minutatim annotat, de magia verò ne literam habet. An ergo ſomniavit Fromondus Berengarium magum eſſe? aut oſtendere voluit in eo, quàm graphicè mentiri poſſet? Minimè: ſubtili ratiocinatione illud collegit. Ita quippe ſcribit pag. 86. *Scribit ex Guilelmo Vincentius, cum ſanctiſſimum Epiſcopum Carnotenſem Fulbertum Berengarii olim magiſtrum in extremis poſitum multi viſitarent, & ædium capacitas vix confluentibus capiendis ſufficeret, & ille inter oppoſitas catervas oculis rimatus fuiſſet Berengarium, viſu, quo potuit expellendum cenſuiſſe, quo teſtatus; immanem dæmonem prope eum conſiſtere, multoſque ad eum ſequendum blandiente manu, & illicitè corrumpere.* Lepida legenda: ex hac concludite Lovanienſes magiſtri Berengarium fuiſſe magum. Fulbertus Berengarium *immanem* vocavit *dæmonem*, Ergo fuit magus. Quæ hæc conſequentia? Si hoc procedat, Petrus Apoſtolus Magorum fuit alpha, audiit enim ex Servatore noſtro Math. 16. verſ. 23. *ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ: diſcede poſt me Satan.* Quid verò ſuperſtitioſiſſimi Fulberti teſtimonio contra Berengarium deferendum eſt? Non plus quàm melancholici monachi ſomnio. Cautè proinde Baronius ex Vincentio potius, quàm ex Malmeſburienſi ipſo lib. 3. fabellam hanc narravit. Apud hunc enim ita legitur; *Epiſcopum Carnotenſem Fulbertum (quem Domini mater Maria olim ægrotum lacte mamillarum ſuarum viſa fuit ſanare) prædixiſſe ajunt.* Qui Mariæ lacte ſe ſanatum eſſe ſomniat, nę illi credendum eſt, etiamſi ſanctè juret Berengarium à mille diabolis obſeſſum eſſe. Quòd verò Fromondi calumnia, de magia Berengarii, falſiſſima, & non niſi calumnia ſit, liquet ex ipſis Berengarii adverſariis, & ſcriptoribus coætaneis, qui omnes in eo vitæ integritatem commendant. Malmeſb. lib. 3. pag. 63. refert Hildeberti Epiſcopi Cænomanenſis Epitaphium in obitum Berengarii; in quo hoc expreſſe legitur;

Vir ſacer, & ſapiens, cui nomen creſcit in horas.
Quo minor eſt quiſquis maximus eſt hominū.

Lege, quæſo, Lector, ipſe hoc Epitaphium, ob prolixitatem enim integrum aſſcribi non poteſt. Apud Malmeſb. loco laudato hoc etiam legitur; *Vt ſine retractatione, à quibuſdam habeatur ſanctus.* Anton. Archiepiſcop. Chron.

parte 2. Tit. 16. §. 20. *Fuit aliàs Berengarius iste vir bonus, plenus eleemosynis, & humilitate, magnarum possessionum, qui omnia in usum pauperum dispersit. Præterea nullam fœminam patiebatur in conspectum suum admitti.* Platina in vita Ioann. XV. *Fuisse*, inquit, *tamen in precio hac tempestate constat & Odilonem Abbatem Cluniacensem, & Berengarium Turonensem, viros sanctitate & doctrinâ insignes.*

III. Accedimus ad medullam Libertinicæ subtilitatis. Pag. 85. dicit; *Omnes perfecti magi, quales Lamiæ & Striges, etiamsi fortè nobiscum corpore habitent, spiritu tamen vobiscum, & re verâ hæretici sunt.* Et iterum pag. 87. *Sed ô calumniam, calidum mendacium, & quicquid expuere in Iansenium soles, exclamabis, quod etiam Magi, venefici veneficæque Papistarum, dicantur nobiscum hæretici!* En jecur Cratetis! Omnes magi sunt hæretici, Ergo etiam Reformati. Secundum quod axioma Logicum procedit hoc argumentum? Asinus Bileami fuit animal; Ergo fuit homo. Fromondi catellus est animal, Ergo est ipsissimus Fromondus. Credo vos, pseudo-Catholicos Lectores, pudere supinæ hujus ignorantiæ. Fromonde, quò Philosophica tua eruditio migravit? in collegiis quondam Philosophiam es professus, & dictasti discipulis à genere ad speciem nullum procedere argumentum affirmativè, & jam ipse ita miserè in prima elementa peccas! Vide sis verò ne nimia hæc subtilitas exitio sit pseudo-Catholicæ tuæ Ecclesiæ. *Omnes*, dicis, *perfectos magos esse hæreticos.* Damus libentissimè. Vt probemus Papas multos fuisse hæreticos, non erit opus post hac Liberium Arrianum, Honorium Monothelitam, Ioannem XXIII. negantem animarum æternitatem adducere, suffecerit eos laudasse, qui magiâ fuere infames. Amplectimur toto animo hoc axioma: *Omnes perfecti magi sunt hæretici.* Et inde ita concludimus; Silvester II. Benedictus VIII. Ioannes XX. Gregorius VII. Paulus II. Alexander VI. Et si credendum est Iesuitis Hispanis etiam Sixtus V. fuere Magi, Ergo etiam Hæretici. Necesse est, Fromonde, novas subtilitates cudas, si evitare cupias inquisitionem. Quomodo enim apertiùs Papæ infallibilitas posset prostitui, & everti? Sequitur altera subtilitas priori gemina. Voetius in Desp. Causa p. 37. dicit *non injuria quæri cur in Bulla Cœnæ Dominicæ memoratis levioribus criminibus, nunc omissa sit magia, quæ tamen antea fuit posita.* Quæstionem hanc, quæ aliis videtur indissolubilis, ita difflat. pag. 87. *Magi*, inquit, *potuere sub hæreticis comprehendi.* Monstrosa theologia! Omnes magi sunt hæretici, & omnes hæretici sunt magi. Frustra ergo constituuntur inquisitores hæresiôn: sufficiunt enim inquisitores mallei. Sed ne sic quidem Voetii quæstioni satisfit. Si enim alia minora crimina in Pontificis bulla exprimuntur, nulla fuit ratio, cur reductivè solùm magia sub hæresi prohiberetur? Suffecisset dixisse, omnes infideles & impii, si generaliter fuisset loquendum. Sed propositum fuit infallibili successori Petri minutatim omnia crimina vetare, & reticendo magiam, monstrum premere. Quæ dein subjicit Censor pag. 88. de *modico Hollandiæ oppidulo Lamiarum frequentia famoso*, responsionem non meretur. Respexit Sciedamum, de quo quid in strepitu audivit. Perhibetur illud quondam sub Papatus tenebris multarum Lamiarum fuisse domicilium, cæterum magnam partem hodie sentinâ illâ est exoneratum: Deo gratias, non tot maleficæ inter nos vivunt, quot in Brabantia, & magna ejus parte, Campania: ut jam nihil dicam de iis, quæ sine numero paucos abhinc annos in Coloniensi ac Treverensi diœcesi sunt exustæ. Dubitarem summopere an in omnibus fœderatis provinciis tot inveniri possent, quot ante paucos annos Coloniæ in uno monasterio sunt deprehensæ. Quod de libris magicis, & hæreticis dein pag. 88. & 89. garrit, infrunitum, & insipidum prorsus est.

IV. Superest unum adhuc circa magica sacra dubium, an nempe liceat diabolo in nomine Christi imperare actionem quam positivam, tendentem ad amolitionem alicujus mali. Occasione verborum Sylvestri, ex quibus Voetius probavit pag. 30. diabolum per diabolum ejici, à Papanis exorcistis: ita statuit Fromondus pag. 90. Sed non satis est hoc statuere, & dicere, probandum fuisset. Scio adduci authoritatem Thomæ, sed quis contra Sacras literas eâ tenetur? Cottonus Iesuita, ita quoque se expedire studuit cum innotuisset

toti Galliæ, studuisse eum ex diabolo arcana multa discere? Si Sophistæ cogere possint diabolum, ostendant apicem in sacris Scripturis, quo potestas & authoritas illa ipsis concedi-tur. Ridiculum est, postquam per secula aliquot donum miraculorum cessavit, sibi applicare velle promissiones factas Apostolis, ac primitivæ Ecclesiæ, quæ eorum ministerio plantata est. Rectè Roffensis de Capt. Babylon. advers. Luther. cap. 10. part. 4. *Promisit*, inquit, *Christus ut discipuli dæmonia ejicerent, quam promissionem nullum his diebus effectum sortiri dilucidè cernimus.* Quàm ridiculum, ne dicam, stultum foret, si mendicus aliquis sua authoritate regis stabulario diceret, mando tibi in nomine regis, ut mihi equum des. Ad hoc si haberent autoritatem imperandi dæmoni, non tamen possent uni diabolo imperare, ut ejiceret alterum. Adversaretur hoc potestati, eis concessæ, & praxi Servatoris nostri. Is legionem diabolorum verbo ejecit Math. 8. vers. 32. Ad hoc maneret illud, unum diabolum ab altero ejici. Enimverò qui utitur alicujus opera ad quid faciendum, etiam per illum agere dicitur. Qui imperat superiori diabolo, ut secum trahat socios, quid aliud ille facit, quàm ut diabolum per diabolum ejiciat? Non jam dicam, quòd ritus, qui accedunt imperativis his adjurationibus apertam magiam redoleant. Nugari me dicet Fromondus, quid tum verò? pro me stat Acosta in proœm. lib. 1. de salute Indor. ubi ita loquitur: *Etiamsi utantur homines signo crucis in signis edendis, & solis verbis religiosis, tametsi sint ritus, & observationes peculiares, & determinatæ, & certis horis, ad certum situm stellarum, sive certo numero crucium, & candelarum, ita ut aliter non speretur effectum, certum est non esse hanc gratiam, sed magiam.* Postremò Voetius Desp. Causa pag. 31. reprehendit, & quidem meritò, Scotum quòd teste Delrione docuerit esse opus meritorium removere maleficia. Contra hoc ita ineptit Fromondus pag. 91. *Si*, inquit, *actus virtutis est, cur non potest esse meritorius? Effodere verò ac evertere, ex contemptu dæmonis, & proximi caritate, signa illa, quæ malefici ad animalium necem sub liminibus caularum infodiunt, &c. quis neget esse virtutis?* Arguté. Sed quis dabit illud virtutem Christianam esse, quod non fit ex fide? Dein, dato non concesso esse actum virtutis, non tamen adhuc probatum est, esse opus meritorium. Quicquid contra vocationem, præscriptum verbi divini, & ex superstitione agit, ne quidem secundum falsam papanæ factionis religionem, mereri potest? Non dicam quòd qui hoc agit, implicet seipsum interpretativæ magiæ. Nemo enim obstacula removebit, nisi antè credat, ea aliis impedimento esse. Quæcunque enim putantur esse instrumenta magorum, sua natura nullam supernaturalem vim habent, quare qui iis fidem perhibent, aut ea exhorrescunt, nulla ratione à magia excusari possunt.

V. Supersunt in capite XVIII. calumniæ, & ineptiæ. Voetius pag. 37. quærit ad quod genus μαντείας pertineat Iesuitica sortitio, quâ singulis mensibus sanctum sortiuntur. Hoc ita eludit Censor; *Explica*, inquit, *tu ipse antè, ad quod genus μαντείας, & superstitiosæ divinationis pertineat sortitio regis vestri convivalis in festo Epiphaniæ, & quâ revelatione extraordinariâ impulsi sint benedicti vestri reformatores, ut abrogatis, & reformatis Quadragesimâ, Quatuor anni temporibus, & omnibus Vigiliis, reliquerint vobis tantùm festum S. Martini, trium Regum, Bacchanalia, Dedicationes omnes, & Encænia.* O putidam calumniam, quam suggessisse credo quem ex nostratibus pseudo-Catholicis! Nosne probaremus Epiphaniam, Bacchanalia, & Encœnia, qui scriptis editis, & pro concione quacunque occasione ea insectamur? Sed ut ut insectemur, impudentissima tamen Papanorum ἀσωτία, & lascivia, quæ ne inter fores quidem se continere potest, infirmos plurimos seducunt, & ad peccandum invitant. Quæ non scandala in Bacchanalibus præbent pseudo-Catholici? quomodo non bilem movent optimo cuique? Vera dico, inter nos; nos inquam Reformatos, quis qui se nobilem venditabat, personatus cum nolis per publicum discurrere proximè præcedentibus Saturnalibus non erubuit. Et tamen hæc vix præludia sunt, præ iis quæ in Italia, Hispania, & Gallia à Bacchantibus designantur. Et ita tamen devotæ animulæ ad jejunandum, & spiritualia exercitia se præparant. Non malè Turcicus legatus cum

videret Venetiis, ultimo Bacchanalium die totam civitatem insanire, & postridie instar mæstæ Magdalenę cineritiis crucibus deformatam esse; *grande hoc sibi miraculum videri dixit, quomodo fieri posset, quòd uno die Veneti omnes stultos insaniendo vincerent, & postridie omnium sapientissimi apparerent.* Sed encænia fortè à nobis observari dicet Censor. Negamus hoc. Nundinas celebramus quotannis: alicubi etiam binæ, ternæve agitantur. Quamvis non negem, quasdam ex iis incidere in superstitiosorum encæniorum dies. Quid tum verò? ob Politicas rationes alicubi adhuc à populo aut magistratu dies hi translati hactenus non sunt. Sed quid hoc ad religionem aut Ecclesiam? Si quid insolentiæ à quo committitur non imputandum hoc aut doctrinæ, aut Ecclesiæ nostræ est. Theologi nostri in universum etiam nundinas, quas multi ex vulgo encænia esse putant, abrogatas vellent: speramus aliquando quoque generale supremi nostri Magistratus edictum. Illud verò scito, Fromonde, pseudo-Catholicos tuos inter nos dissolutâ vitâ, & malo exemplo multos ex infirmis encæniare docere, & haud aliter eos seducere, ac Moabitarum puellæ Iisraëlem ad scortationem, & idololatriam pelliciebant. Num. 25.

CAPVT XXI.

Gregorius de Valentia docuit quandam Idololatriam esse licitam. Idololatriam exercent Papani multis modis. Diluuntur variæ calumniæ. In cæremoniis quam potestatem habeat Ecclesia.

I. DIxerat Voetius pag. 635. non puduisse Gregorium de Valentia Iesuitam lib. 2. de Idolat. cap. 7. asserere, idololatriam aliquam esse licitam. Refellere hoc studet Fromondus cap. XIX. Cris. pag. 93. sed nihil agit. Si legisset totum Gregorii caput vidisset Voetium verum scripsisse, nihilque Gregorio per calumniam affictum esse. Loquatur autem ipse Valentia, & absolutus erit Voetius à calumnia. Ita verò loco laudato dicit, ad Heerbrandum conversâ oratione, *Neque absurdè*, inquit, *profectò putaveris B. Petrum insinuavisse cultum aliquem simulacrorum (nempe sacrarum imaginum) rectum esse, cum fideles nominatim* ab illicitis idolorum cultibus (1 Petr. 4. vers. 3.) *deterrere voluit. Quid enim attinebat, ita determinatè cultus simulacrorum illicitos notare, si omnino nullos simulacrorum cultus licitos esse censuisset.* Quid clarius dici potuisset? I jam tu, Fromonde, & Gregorium Valentiam, ut promittis, *ad Inquisitores hæreticæ pravitatis trahito.* Scio excusare illum studebis frigidâ, & ineptâ distinctione inter Idola, & Imagines: sed concessâ modò illâ, non tamen elabetur. Expressè argumentatur ex Petri loco, in quo Græcè scriptum est ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις. Si ergo ἀθέμιτος est quædam εἰδωλολατρεία, debet secundum Valentiæ ratiocinationem θεμιτὸς & licita esse quædam εἰδωλολατρεία: & consequenter, sponte evanescit distinctio inter imaginem, & idolum. Vide, Fromonde, an hic aliquem colorem invenire possis.

II. Commodè verò occasionem nobis præbet Censor detegendi plus quàm Ægyptiam Papanæ Ecclesiæ Idololatriam. Diximus quædam de ea obiter supra cap. 2. non tamen abs re erit hic quædam addere. Incipimus verò ab Idolo Panaceo, in quo colendo ad unum omnes crassissimi Idololatræ sunt. *Crustulo* enim (ita loquitur Anastas. Germon. Protonot. Apostol sub Gregor. XIV. de sacror. immunit. lib. 3. cap. 1. §. 20.) exhibent latriæ cultum. Imo Conciliabulum Tridentinum sess. 13. can. 5. ita sanxit: *Omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo sacramento in veneratione adhibeant.* Hinc & institutum ab Vrbano IV. festum corporis Christi, & postea invaluit ut populus in genua procumberet, quando sacerdos buccellam ad ægrum defert. Hinc quoque invaluit ut panis *in processione honorificè per vias, & loca publica circumferretur*, quemadmodum loquitur Concil. Trid. Sess. 13. can. 5. nec hoc tantùm vasculum quoque in quo asservatur Eucharistia benedicitur, ut videre est Pontificali Rom. parte 2. & apud Durand. ration. divin. off. lib. 4. cap. 1. §. 15. Vnde factum, ut cæcus populus quoque in genua procumbat, quando cum inani capsa sacrificus ab ægro redit. Quemadmodum

modum autem Persarum regibus, aliquò iter facientibus, ignis (qui apud eos sacer erat) altaribus præferebatur teste Curt. lib. 3. Diod. Siculo lib. 17. Strabone lib. 15. & Amm. Marcell. l. 23. Ita & ante Pontificem in processione *ducitur equus albus phaleratus, mansuetus, & pulcher cũ tintinnabulo ad collum bene sonante, qui capsulam vehit cum sacratissimo Christi corpore, supra quod cives nobiles portant baldachinum, funalia verò condecenter deferuntur per clericos cum superpelliciis*, ut legitur lib. 1. Cæremon. pag. 118. Quæ verò idololatria est si hæc non est? frustellum panis honoratur ea veneratione, qua colitur æternus, & infinitus Deus. Frustra verò confugiunt ad subtilitates sophistæ. Si nolint Artololatræ haberi, solvant hæc duo argumenta. I. *Quicunque adorat quod nescit, ille est Idololatra: Papani adorando Eucharistiam adorant, quod ignorant: nesciunt enim an adorent corpus Christi, an panem*, Ergo. Major probatur Ioh. cap. 4. vers. 28. Minor inde quod ipsi dicant in consecratione ad perficiendam transubstantiationem requiri intentionem sacerdotis. Quomodo & decretum in Concil. Trident. de Sacram. Minist. can. 11. Quis verò mortalium certus esse potest sacrificulum, qui sæpe somno vinoque torpet, certam intentionem habere faciendi, quod Ecclesia facit? Deinde adoratur, ut doctissimi quique Scholastici fateri coguntur, Eucharistia cum conditione, si nempe sit transubstantiata in reale & verum corpus Christi. Quis verò certus esse potest, conditionem illam impletam esse? II. *Quicunque divinum honorem tribuit creaturæ sicut Deo, ille est Idololatra: Atqui in adoratione Eucharistiæ Papani divinum honorem tribuunt creaturæ, sicut Deo*, Ergo. Major est certissima & examussim convenit cum definitione Idololatriæ, quæ occurrit apud Gregor. de Valentia lib. 2. de Idol. cap. 1. Minor verò facilè probatur: quia ut ex praxi liquet, pani, de quo nihil certò credere possunt quàm quod sit panis, venerationem, & cultum soli Deo debitum deferunt. Nec est quod crepent certitudinem fidei, quandoquidem ipsi DD. tantum certitudinem moralem requirunt, ex qua certam, & infallibilem fidem gigni ἀδύνατον est. Immotum verò est illud Iacobi axioma, cap. 1. v. 6. *Qui orat, postulet cum fide, nihil ambigens.* Nec est quòd quisquam κρησφύγετον quærat in verbis Valentiæ, *sicut Deo*: Et confugiat ad intentionem suam, dicendo non intendere se panem adorare, sed Christum in pane. Intentio illa est sophisma diaboli: quæ si valeat, omnes gentiles excusari poterunt ab Idololatria. Idololatria non in intentione, sed in cultu creaturæ exhibito consideratur. Vnde de Gentilibus dicit Paulus Rom. 1. vers. 25. ἐσεβάσθησαν, καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, hoc est, *coluerunt ac servierunt rebus creatis præ creatore*. Et ut ab adulterio non excusatur regis uxor, quæ in servi complexibus deprehenditur, etiamsi per omnia sacra juret se non intendisse ei regiam majestatem conciliare, ita nec Papani à spirituali scortatione & idololatria purgari possunt, etiamsi diris se devoveant, se non panem, aut ligneas imagines, sed Deum in iis venerari. Si valeat autem eorum argutia, vicerint sane Iudæi, & immunes erunt ab Idololatria, unum enim ac verum Deum Abrahami, Isaaci, ac Iacobi colunt. Sed reclamant ipsi Papani DD. qui iis Idololatriæ dicam scribunt eo tantùm, quod non colant Deum triunum, Patrem, Filium, & Sp. Sanctum.

III. *Secundò*, idololatria Papistarum arguitur ex cultu angelorum. Ad Coloss. cap. 2. 18. dicit Apostolus: μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω θέλων ἐν θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων, hoc est, *Nemo vos brabio defraudet pro arbitrio suo in cultu angelorum.* Ad quem locum ita Theodoretus: *Qui legem defendebant, induxere angelorum cultum, mansit autem diu hoc vitium in Phrygia & Pisidia. Quocirca Synodus quoque, quæ convenit Laodicææ, quæ est Phrygiæ metropolis, lege prohibuit, ne precarentur angelos. Et in hodiernum usque diem, licet videre apud illos, & eorum finitimos oratoria S. Michaelis. Illi enim hoc consulebant, utique humilitate utentes, dicentes universorum Deum, nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum posse perveniri: & oportere angelos divinam sibi benevolentiam conciliare.* Quamvis autem hæc luce meridiana clariora sint, & expressè Angelus Apocalypsi. 19. 10. & 22. vers. 9. rejiciat adorationem Iohannis, nihilominus tamen venerantur & adorant Papani Angelos, quia in iis debuit reviviscere secta Angelicorum,

quam suo tempore extinctam fuisse testatur Epiph. hæres. 60. Imo Bellarm. l. 1. de Beat. Sanct. cap. 13. non veretur ita concludere: *Igitur meritò, jureque optimo* (angeli) *religioso cultu sunt prosequendi. Tertiò* idololatria exercetur à Romana Ecclesia in adoratione Sanctorum: quos ad exemplum Paganorum loco Indigetum, & semideorum, aut heroum colunt. I. Enim eos Divos, ut Divus Iulius, Divus Augustus, &c. vocant, quod & ab ipso Bell. reprehenditur in Recogn. oper. lib. 1. de verbo Dei cap. 3. Imo Iovius Episcopus Noviocomensis lib. 24. Hist. non erubescit eos *Deos tutelares* appellare. II. Papa eos canonizat, haud aliter ac principes Romani ἀποθεώσει in numerum cœlitum referebantur: usitatum autem hoc fuit à tempore Leonis III. qui sic primò consecravit Suibertum, vide Baron. Tom. 9. ad annum 804. num. 3. Imo Canonizationes illæ ἀποθεώσεις vocantur in Cærem. Roman. in Præf. l. 2. III. Non tantùm bene meritos, pios, & (ut docent) eos qui miraculis fulgent, sed multos quoque hypocritas, & qui bestiis, quàm hominibus propiores sunt, Papæ consecrant. Vnde non immeritò *Bessario Cardinalis* (ut tradit Bodin. Meth. Histor. cap. 4.) *quum inter Divos ineptâ quadam ἀποθεώσει Romæ quàm plurimos referri videret, quorum vitam improbarat, se valde dubitare dixit, utrum vera essent, quæ ab antiquis prodita fuerunt.* Quum ergo quis recentes sanctos, qui ex gratia, non autem meritis canonizati sunt, quomodo certus esse potest, colatne socium angelorum, an diabolorum. Vt enim Canus dicit lib. 5. cap. 5. *Non differt diabolum colas, an hominem condemnatum.* IV. Quemadmodum Gentiles contra morbos aliaque vitæ adversa Deos suos invocabant, ita & Papani peculiares habent sanctos, quos implorant. Sic Rochus & Sebastianus pesti, Raphaël oculis, Apollonia dentibus, Agatha, & Floreanus incendio, Iodocus rubigini, Liberius calculo, Epilepsiæ Valentinus, parientibus Margarita, obsessis Romanus, VVolffgangus contractis, & captivis Leonhartus auxiliari putantur. V. Templa & sanctuaria in honorem sanctorum tanquam protectorum, erigunt: Ita Baron. Ann. 1. ad annum 60. num. 21. scribit, quanquam contra historiam, Ecclesiam *in honorem S. Michaëlis patroni & protectoris erectam esse.* VI. Coluntur multi ut sancti, qui nunquam in rerum natura fuere, ut Christophorus, Hyppolytus, Georgius, Catharina, quorum supra alicubi mentionem fecimus. Addere illis licet Longinum quem rectè explodunt Codrus Vrceus serm. 10. & Petrus Crinitus lib. 13. de honesta discipl. cap. 6. Item Vrsulam cum undecim millibus virginum, quarum historiam deperditam, & commentitiam pene redditam esse ingenuè fatetur ipse Baron. in Martyrol. Octob. 21. Vt nihil jam dicam de Petronilla, aliisque. VII. Novi, obscuri, & incerti sancti præteritis Prophetis, & Apostolis ut plurimum in veneratione sunt, unde non injuria ita conqueritur Gabr. Biel lect. 32. *Indiscretus*, inquit, *est ille cultus, dum quidam quæstum pietatem æstimantes, propter solas quotidianas distributiones, aliquem simplicem martyrem, confessorem, vel virginem, solennioribus cæremoniis agunt, in pulsibus, luminibus, vestibus sacris, cantu, organis, quàm festa Apostolorum, imo quandoque quàm festa beatissimæ virginis, vel Christi.* VIII. Plus quàm Pagani sunt Papistæ in colendis canonizatis sanctis. Qui inter Gentiles paulò prudentiores fuere exsibilarunt novos Divos, cum universa ἀποθεώσεως scena. Vnde & Ovid. fabulosos suos de Transformatione libros fatuâ Apotheosi concludit, quasi non posset inveniri cauda dignior tali corpore. Et Sen. in Apocoloc. admodum salse: *Censeo*, inquit, *ut Claudius ex hac die Deus fiat, ita ut ante eum quis optimo jure factus sit, eamque rem ad μεταμορφώσεις Ovidii adjiciendam.* Quid verò Papani? consecratis suis sanctis cultum & venerationem, necessario deferendam esse docent, & peccatum esse, si non fiat.

IV. *Quartò*, Idololatria Papana emicat præ cæteris in superstitioso cultu, & supervacuo honore, qui Mariæ matri Servatoris nostri defertur: ut & supra cap. 2. dicere incepimus. Vide quæso ea, Lector, & sequentia adde, ut toto animo detestari possis cæcos Idololatras. Horrenda quidem supra legisti, sed nihil adhuc ad illa, quæ hic exhibebimus. Parisiis Anno 1611. excusum est Psalterium Mariæ, in quo ita pag. 6. de Maria legitur: *Majestas, & celsitudo*

tua, & incredibilis suavitas infinitæ tuæ misericordiæ ad id labia mea obligarunt, ut alias laudes, quàm tuas non prædicent. Apud Tornacenses Anno 1622. impressus est libellus, & approbatus quoque, qui hanc habet inscriptionem: *Virgo Maria, causa omnis boni corpori, & animæ, & optata salutis nota.* Salmeron tom. 3. tract. 5. sic exponit plenitudinem gratiæ ad virginem spectantem, *ut esset (si ita loqui licet) corredemptrix salutis humani generis, ad quam, tanquam ad singularem advocatam, quæ semper pro sua reverentia à Filio exauditur, communi fidei instinctu & devotione omnes fideles, tam justi, quàm peccatores ad impetranda omnia bona, atque beneficia tam corporalia, quàm spiritualia omni tempore, & omni loco, confidenter accedere deberent, atque confugere.* Id tom. 3. tract. 40. *Qui adorat filium, adorat & matrem, quoniam filius à matre proficiscitur secundum carnem, quemadmodum mater ex filio secundum Spiritum. Verè enim Christus & Maria fuerunt duo in carnem unam. Et sicut qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem: ita qui non honorat Matrem, Filio detrahit.* Barrad. in Concord. Euangel. tom. 1. lib. 6. cap. 11. *Velocior*, inquit, *salus memorato nomine Virginis, quàm invocato nomine Domini Iesu: propitior salus in recordatione ejus, quàm filii sui sæpe percipitur.* Sed omnes adhuc blasphemando contra modestissimam virginem Iohannes Argento, in libello de septem excellentiis beatissimæ Virginis, edito Vilnæ apud Iohannem Karcz anno 1614. Inter alia verò perquàm horrenda asserit, *Christum servire, atque assiduò ministrare matri suæ.* Et addit; *O si liceret, quàm libenter me illi socium adjungerem, quam libenter ab eo modum & tibi* (Mariæ scil.) *& Deo perfectè serviendi addiscerem: quàm libenter dulcissimum Iesum à labore sublevarem. Domine Iesu Salvator amabilissime, permitte me aliquid matri tuæ præstare. Et si non vis hoc mihi credere, saltem permitte, ut dum tu matri servis, ego serviam tibi.* Ibid. cum Petro Damiano dicit; *Deum in reliquis creaturis esse tribus modis per essentiam, præsentiam, & potentiam, in Maria vero & quarto modo, per identitatem.* Denique septimum excellentiæ gradum constituit, quod sit *Domina Dei. In septimo*, inquit, *gradu quasi suæ conditionis oblita in filium dominium suscipiens, supra ipsum Dei thronum solium suum collocavit.* Phy! phy! Si viveres Epiphani, & hæc legeres, sat scio inter horæ quadrantem totus in lacrymas colliquesceres, & velut aqua difflueres.

V. *Quintò*, Idololatriam stupendam exercent Papistæ in falsarum reliquiarum veneratione: imo superant ridiculam, & plus quàm bestialem Ægyptiorum superstitionem, de qua videri potest Iuven. sat. 15. Lanceam quâ transfossus est Christus in festo, ei cum clavis ab Innocentio VI. instituto, ita alloquuntur:

Ave ferrum triumphale,
Intrans pectus tu vitale
Cœli pandis ostia.
Fæcundata in cruore
Fœlix hasta nos amore.
Per te fixi saucia, &c.

Vah blasphemias! eâdem ratione adorari posset Iudæ laqueus, & Pilati tribunal, nec non virgæ, quibus cæsus est Servator noster. Et tamen hæc defendere non verecundatur Coufsetau contra Pless. In Aquitania Monachi ad sudarium quo Christus in sepulchro fuit contectus magno boatu clamant; *Sancte sudari, ora pro nobis.* Ad faciem verò depictam in sudario, ita clamant in Antidoto animæ,

Salve sancta facies;
Nos dedu c ad propria
O felix figura,
Ad videndum faciem,
Quæ est Christi pura.
Et postea;
Nos ab omni macula
Purga vitiorum,
Atque nos consortio
Iunge beatorum.

VI. *Sextò* in Imaginibus plus quàm idololatræ sunt: ut ut turpitudinem suam colorare etiam laborent. Quid hoc enim quod noster Censor dicit pag. 93. *Tota, quam Valentiæ tribuis idololatria, ut summum cultus imaginum respectivus*, aliud quàm frigidus prætextus, pro quo in tota scriptura ne quidem litera invenitur. Sed velim semetipsos intelligerent idololatrici sophistæ. Ringuntur si nos probemus eos imagines colere, & tamen quando in angustias sunt redacti, ut se expediant, dicunt se

eas colere cum reſpectu. Si colunt eas cum reſpectu ad prototypon, certè revera quoque colunt. Si Chriſtus reſpectu divinitatis adoratur, & ipſe adoratur: ſic ſi ratione prototypi adorantur imagines, ipſæ etiam adorantur. Sed quid hæc argutia facit ad excuſandum idololatriam? Nihil omnino. Sive fiat cum reſpectu ad prototypum, ſive ſine eo, nihilominus idololatria eſt. Rectè Auguſtinus lib. 1. de Trinit. cap. 6. *Idololatræ dicuntur, qui ſimulacris eam ſervitutem exhibent quæ debetur Deo.* Item Beda Comm. in cap. 4. Luc. *Idololatræ*, ait, *nuncupantur hi, qui vota, preces, & ſacrificia, quæ uni Deo debuerant, idolis impendunt.* Quod autem quis miretur, eodem modo & Thomas definit Idololatras in Comm. ad Epiſt. ad Epheſ. cap. 5. lect. 3. *Idololatria eſt, quando honor ſoli Deo debitus impenditur creaturæ.* Miror verò quod triumviri hi, quibus aliàs, quando leviter tantùm favent, mirum quantum ſuperbire ſolent Papani, ne uno quidem verbo meminerint hujus reſpectus. Sed non erant adhuc tam ſubtiles, quàm hodie Loyolæ filii ſunt. Quorſum verò commentum hoc? Si locum illud habebit, abſoluti omnes gentiles erunt ab Idololatria. Fallitur enim, longiſſimè quiſquis putat eos ligna, & lapides ut Deum coluiſſe, nec voluiſſe per ea Deum figurare. Tam certum hoc eſt ut & ipſi Pontificii DD. ne jam dicam de omnibus Patribus, qui contra Gentes ſcripſere, fateri cogantur. Cardin. Cajetanus in 3. part. ſummæ q. 25. art. 3. *Pagani*, inquit, *figurabant Deum diverſimodè, prout cauſa eſt diverſorum effectuum: ut in forma Minervæ, ratione ſapientiæ, & hujuſmodi.* Et Anton. Fonſeca in Annot. Margin. ad Cajet. *In pleriſque*, ait, *ſtatuis Deum, & virtutes ejus, & id quod ſignificabatur, non ſignum, colebant olim nonnullæ gentes: ita ut nonnulla ſimulacra conſecrata habuerint Deo vero, alia Diis falſis.* Item Pereſ. de Tradit. pag. 3. *Ob id*, inquit, *videtur Auguſtinus idololatras damnare, quòd honores divinos ſimulacris tribuerint eâ ratione, quâ Deum repræſentabant; multa enim idola erant, quæ tantùm repræſentabant benefactorem Deum, neque omnia quæ gentes celebrabant, falſum Deum ſignificabant.* Quorſum ergo hęc diſtinctio? quorſum ficulna folia? Æquè Papani ſunt Idololatræ, quàm Gentiles. Imo plus quàm Gentiles. Quis enim inter hos unquam ita cæcus extitit, ut ſtatuerit quamvis rem inanimatam etiam, & ſordidam extra rationem imaginis adorari potuiſſe? Et tamen proh dolor! non erubeſcunt hoc docere Papani Scriptores. Ita Vaſquez ex Cajetano Diſp. 110. cap. 2. ſtatuit, quamvis rem mundi cum Deo rite adorari poſſe, quia, ut ait, quælibet res mundi eſt opus Dei: in ea Deus eſt, & operatur, ita ut faciliùs in ea Deum concipere poſſis quàm virum ſanctum in veſte: & dein addit in hac adoratione *in ſolum Deum affectum noſtrum intendere, ipſi verò creaturæ ſignum & notam ſubmiſſionis, oſculo, aut inclinatione præbere, nec inane, nec ſuperſtitioſum, ſed eximiæ religionis opus eſſe.* Quamvis autem in brutis animantibus, & rebus ſordidis Deo exhibere notam ſubmiſſionis, primo aſpectu indecens appareat, ait tamen nihil obeſſe, quò minùs ſuapte natura, in qualibet re mundi Deum ipſum adorare liceat *ibid.* quamvis ob periculum nolit quamlibet rem publicè adorandam proponi, quod tamen fieri poſſet, ſecluſo periculo: adeo ut quærat, an ſit peccatum adorare radium luminis, vel ſpeciem crucifixi ſub qua Dæmon deliteſcit: & dein ſententiam eorum, ut manifeſtè falſam explodit, qui ſtatuunt, ejuſmodi apparitionibus deferendum cultum ſub conditione, *Si es verus Deus*: & definit aliquem tutò radium illum apparentem adorare poſſe, nullâ adhibitâ conditione, *Ibid. cap.* 3. Vaſquem ſequitur Lorinus Ieſ. qui & ipſe Comm. in Pſalm. 98. verſ. 5. minimè dubitat, quin inanimatæ res, quæ non habent rationem imaginis, aliquo modo adorari poſſint.

O cæcas hominum mentes, ô pectora cæca!

Deſino jam mirari quod allia, cæpe, feles, & crocodilos coluerint Ægyptii, quandoquidem Pontificii certo cum reſpectu diabolum, &, honos ſit auribus, excrementa quoque, & ſtercora adorare poſſunt. Vtinam ſurgeres aliquando Domine, & Chriſtianiſmum liberares ab hac idololatria.

VII. Hæc de Papatus idololatria dicta ſufficiant. Sed ut dulce eſt habere naufragii ſocium, libenter Fromondus Calviniſtas & Lutheranos quoque in ſocietatem idololatrarum (quibus aſſignatus eſt locus in ſtagno ardente,

Apoc.

Apoc. 19. vers. 20.) traheret. Et de illis quidem ita ex Balduino ineptit. *Domicellæ*, inquit, *Genevenses quædam, Calvini imagines à collo dependulas habebant*, *ergo concludit* pag. 94. *erat Calvinolatræ*. Resp. 1. Putidum est mendacium, & calumnia cusa in cerebro Bolseci, & Balduini: quantum verò utrique jurato quoque, deferendum sit, supra ostendimus. Ipse Calvinus in præf. Resp. Bezæ ad Bald. hoc refutavit; imo ita contudit, ut omnes calumniatores, si non ipso diabolo impudentiores essent, meritò pudere deberet. 2. Demus hoc verum fuisse, quid tum? aliud est imaginem alicujus à collo pendulam gestare, aliud eam alloqui, osculari, & in honorem illius caput aperire, genua flectere, & religione colere, seu religiosum cultum illi exhibere. Quot non viri egregii numisma à principe, aut rege donatum, in quo illius expressa comparet effigies, à collo suspendunt, qui tamen propterea à nullo idololatria accusaretur. Si valebit stulta hæc Fromondi ratiocinatio equites S. Michaëlis erunt dæmonolatræ, & S. Georgii Ophitæ, hi enim gestant numisma in quo fictitius Georgius conficit draconem, illi verò circumferunt Michaelem certantem contra diabolum. Exprobra hoc iis, Fromonde, & patienter exspecta præmia. Sed video; major Idololatra quàm Calvinus, est Lutherus, nec tantùm idololatra, sed & staurolatra. *In omnibus*, inquit, pag. 95. *Lutheri paginis liminaribus expressæ visuntur imagines Crucifixi, cum Luthero, & Frederico Saxone suo, genibus flexis, manibusque in morem supplicantium compositis, utrimque adorantibus*. Quam pueris similis es, Fromonde, supra de Lutheri crapula ex ejus Icone, jam de Idololatria ex præliminaribus operum paginis, argumentaris. Debuisses adducere Lutheri testimonia, si quid solidè probatum ire voluisses. Quid tum verò? Lutherus in frontispicio librorum comparet apud Crucifixum. Unde probabitur eum hoc adorare? Si ocularia naso imposuisses, Dn. Doctor, vidisses Lutherum oculos ad cælum à crucifixo convertere. Dein notandum, Lutherum profecisse paulatim in cognitione veritatis, nec uno momento universam lucem Euangelii conspexisse. Dici quoque potest quòd icon illa præfixa sit ad pelliciendos lectores, quæ alias à Luthero & ejus scriptis alieniores erant. Pueris enim plerique sunt similes, crepundiis, imagunculis, & munusculis invitari debent ad investigationem veritatis. Antequam progrediar, quid de Ludovico Vive est dicendum, ex quo Voetius adduxerat testimonium ad coarguendam Idololatriam vulgi in Papatu. Ad hoc ita autem Fromondus, pag. 94. excipit; *Ludovici Vivis authoritatem tanquam pomum putridum quod jactu ipso dissilit in nos, mi Voeti, torques; quem quo loco habeamus in catalogo librorum prohibitorum videre potes*. Doctè. Ergo ut audio, omnes qui in Catalogis librorum prohibitorum sunt relati, sunt poma putrida. Flete omnes Patres, & plerique ex Papanis Scriptoribus, nec non tu fervide Genebrarde, omnes enim crudelissime ab indoctis & superstitiosis Harpyis in catalogis prohibitorum librorum dilaceramini. Quantum ad Vivem, de eo cordatiores aliter judicant. Paulus Iovius in Elog. Doct. viror. pag. m. 141. *Ludovicus Vives*, inquit, *quo decedente doctior nemo in Hispania superfuit, Doctrinæ columen, decusque vitæ*. Item Espens. Comm. in 2 Timoth. part. 2. *Vir*, ait, *undique eruditissimus; extra omnem irreligiosi animi suspicionem, Scriptor legi dignissimus*.

VIII. Progrederer ad examen xx. capitis: Sed detineor ab ineptia Fromondi. quia Voetius pag. 380. dixit, *Se ipsas annatas, & uniones, & reliqua nomina formaliter dixisse* (in Philonio nempe) *esse turpis quæstus aucupia; & tetegisse illa quæ titulos faciunt in jure Canonico, & Theologia Practica*. Ideo sic proclamat Censor pag. 96. *Juris infantiam, nec multum olei in studio canonum te combussisse ostendis*. Quare autem? sequitur ratio; *quia sic intelligeret quàm potestatem in gravandis, uniendis, divellendis, alterandis beneficiis, &c. Rom. Pont. haberet*. Ridiculè. Nemo ergo ex nobis potest dici versatus in Canonico jure, nisi omnes ejus heterodoxias, ineptias, contradictiones, vertigines, nugas, quisquilias, & blasphemias probet? Quod, tu mi Censor in Voetio, ut ignorantiam carpis, illud ipse apprimè scivit, & ut heterodoxiam, & notam Antichristi carpit, ut discere potuisses, si dignatus fuisses ipsius librum legere. Non enim solum abusum illius nundina-

tionis, sed & ipsam ejus institutionem taxavit.

Quæ amplius hoc capite de contentione inter Lutherum & Zuinglium nec non monstrosa transubstantiatione garrit, ea partim supra diluimus, partim etiam infra cap. lib. nostri 23. diluemus.

CAPVT XXII.

Calvini doctrina non est scaturigo omnium vitiorum. Ex doctrina Calvini de decreto Dei circa malum non sequitur Deum esse authorem peccati. Ochini sententia de polygamia non est imputanda Ecclesiis Reformatis.

I. SEquitur in Fromondi Crisi xx. caput, quo author studet probare Calvini & sectariorum dogmata esse omnium vitiorum scaturigines. Vt autem, quod promittit in rubro, præstet quoque in albo, ex Lessio, sex capita doctrinæ Calvini, quæ secum Libertinitatem trahunt, recenset. Quia verò ea recenset tantùm, non respondebo. Feci enim hoc perquàm fusè in opere de Libertinismo, quod jam affectum propediem, cum bono Deo confectum typis dabo. Ad primam tantum Lessii calumniam quid reponam, quia superciliosè admodum Censor noster dicit; *Primum* (erat hoc de Dei decreto circa malum) *mihi sufficit, quod & Deum impium, auctoremque peccati facit.* O stuporem! Qui docet cum Calvino Deum actiones malorum dirigere, & flectere ad finem quem ipse decrevit, an ille Deum impium, & authorem peccati facit? Si micam salis haberes Domine Doctor, distinguere scires, inter ipsam actionem, & malitiam quæ ei accedit, inter finem proximum quem intendunt impii, & inter finem ultimum quem per eos intendit Deus. Nihil docuit, nihil dixit Calvinus, quod non doceatur in ipsa Scriptura, & docuerint orthodoxi Patres: imo quod docent & hodie adhuc magno cum applausu Dominicani in Hispania, & soror vestra, Academia Duacena. Clem. Alexand. lib. 1. Strom. *Divinæ*, inquit, *sapientiæ, virtutis, & potentiæ est, non solum bona facere, quæ natura Dei est: sed etiam illud maximè, ut id quod per malos excogitatum est, ad bonum aliquem finem & utilem deducat, & utiliter iis, quæ videntur mala, utatur.* August. de civit. Dei l. 11. c. 17. *Deus sicut naturarum bonarum optimus creator est: ita malarum voluntatum optimus ordinator.* Item de Grat. & lib. arbit. cap. 21. *Manifestum est Deum operari in cordibus hominum, ad inclinandas illorum voluntates quocunque voluerit, sive ad bona pro misericordia, sive ad mala pro meritis illorum, judicio utique suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem justo.* Item Fulgentius: *Deus, licet non sit author malarum cogitationum, ordinator tamen est malarum voluntatum: & de malo opere cujuslibet non desinit ipse bonum operari.* Si roget quis quomodo hoc fieri possit, ut Deus ordinet & dirigat peccatum, & tamen non sit author peccati, ei respondeo ex Domin. à Soto celebri Theol. Dominicano, qui ita lib. 1. de Nat. & Grat. cap. 18. *Quamvis*, inquit, *permulti sint, quibus non sit explicatu facile, quomodo in odio Dei, quod internam habet, & indivisam malignitatem, possit Deus causa esse entitatis, culpæ verò non item, non tamen est ita intellectu difficile. In moralibus ille prorsus est verè, judicaturque causa, qui lege, ope, consilio, favore, vel persuasu movet quemquam sive ad bonum, sive ad malum. Atqui his modis, & rationibus, universos Deus movet ad bonum, & honestum, meminem autem ad malum.* Si Zuinglius, Calvinus, & Beza, aliud docuerint, non renuo quo minus audiant hæretici. Evolve vel per decennium eorum scripta, Fromonde, & nihil tamen ex iis præter ὀρθοδοξίαν erues.

II. Et hic est ille fons, ex quo, si Fromondo credimus, abominandæ illæ turpitudinis aquæ scaturiunt. Progreditur dein & duo loca ex Erasmo de iis qui Euangelii erant, & tamen Euangelicè non vivebant, adducit. Lepidè. Quasi hoc imputari debeat doctrinæ, & Religioni nostræ. Esaias propheta, postquam diu verbum Domini annunciasset, tandem exclamavit cap. 53. vers. 1. *Quis credit prædicationi nostræ: & brachium Iehovæ in quo revelatur?* Extremè tamen foret impius, si quis inde vellet concludere, ejus conciones non satis sanas fuisse. Adhoc jure excipere possemus contra Erasmum, æque ac Pontificii si quando obest contra eum. Vespertilio fuit, & eum hodie Iesuitæ, inter alios Bellarminus & Delrio, faciunt

Arrianum, & Lucianum Batavum. Vidit quidem lucem, profiteri tamen eam, ac in ea ambulare ne excideret favore magnatum, non fuit ausus. Quòd verò ad mores nostrorum, non est quod in eos censuram exerceat Fromondus. Videat quid in sua mantica sit reconditum. Supra specimen Papanæ sanctitatis exhibuimus, & eum ipsum cap. 7. Criseos vidimus mantelum turpitudini quærere. Quis fructus nostræ doctrinæ sit, & quomodo Libertinitas, & securitas carnalis ex omnibus pene Antichristianæ religionis capitibus sequatur clarissimè ostendo in opere de Libertinismo. Adducit dein Lutherum qui dixit, *Si non vult uxor, veniat ancilla*. Miserum etenim hominem qui aliud in tota apotheca invenire non potuit! Vide, quæso Lector, quæ respondemus cap. 19. Postea Bernardinum Ochinum in proscenium adducit qui defendit polygamiam. Sed quid tum? Eadem ratione culpari potest Papana religio, à qua primò defecit Ochinus, fuit enim monachus in Italia. Si Ochini erratum nos luere debemus, secundum eadem principia Romana Ecclesia magistra omnium hæresium erit dicenda. Ex ea egressi Lutherus, Zuinglius, Oecolampadius, & qui non? nec hi tantum. Sed ex Italia oriundæ sunt pestes Christiani orbis: Alciatus, Blandrata, Socinus, Puccius, aliique sexcenti. Quod ad Ochinum verò, fateor Polygamiam editis scriptis defendit; sed stertentibus Papanis DD. solidissimè ac doctissimè eum quoque refutavit, ac confudit Beza. Imo Tiguro ubi ministerio fungebatur, à Magistratu est ejectus; cumque Basileam se contulisset, inde etiam discedere est coactus. Tacuisses autem, Fromonde, sat scio, de Ochino, si occurrisset tibi in supposititiis Clementis Epistolis, quæ apud vos, genuinæ notæ uxorum communionem doceri. Ita enim Ep. 5. lego quæ extat Caus. 12. q. 1. can. 2. *Communis usus omnium quæ sunt in mundo hoc, omnibus esse hominibus debuit: sed per iniquitatem alius hoc suum esse dixit, & alius istud, & sic inter mortales facta divisio est. Denique Græcorum quidam sapientissimus, hoc sciens ita esse, ait communia debere esse amicorum omnia. In omnibus autem sunt sine dubio, & conjuges.* Quæ dein ineptit de expositione Lutheri ad Psal. 50. diluemus sequenti capite. Reliqua de Apostatis, qui mentiti sunt (ut favorem scilicet episcoporum & prælatorum captarent) se ad apostatandum motos esse ministrorum impuritatibus, ut & dictum idiotæ Antverpiensis, qui si credere fas est Censori, moriens dixit, *O quam jucundum est vivere Calvinistam, & Papistam mori!* semet ineptitudine evertunt, nec digna responsione sunt. Pergimus ergo.

CAPVT XXIII.

Scriptura non statuitur à nobis esse ubique clarissima. Occurritur cavillationibus Fromondi. Vindicantur orthodoxorum Theologorum explicationes Math. 26. Iac. 2. Tit. 1. Psa. 51. Math. 24. Specimen absurdarum Papæ & Papanorum glossarum supra Scripturam. Quantum nos deferamus originali textui Scripturarum. Vulgata versio ipsis Papanis testibus necdum ab omnibus mendis est purgata. Nec Chimærica Ecclesia, nec Patres sunt infallibiles Scripturarum interpretes. Scriptura suimet ipsius est interpres. Quatenus Ecclesia aliqua Particularis judicare possit de Doctrina Pastorum suorum.

I. CUm bene Fromondi indolem intueor, videtur per omnia mihi similis esse rusticis nostratibus: cæcis, inquam, illis ac ignorantiâ ipsâ stupidioribus, qui ex cæco zelo, & simplicissima solummodo devotione, animas, & marsupia locant Antichristi Synagogæ. Si studeas eos (ut mihi aliquoties contigit) in rectam, ac veram semitam deducere, lenibusque ac efficacissimis rationibus erroris convincere: è vestigio tibi quid objicient, quod fortè in pridiana concione ex quo indocto, & ebrioso sacrificulo audivere, & quamvis non intelligant, quod opponunt, ut claudus pilam, tamen retinent: nullumque locum aut rationibus, aut argumentis faciunt. Vt non sine dolore Marpesias illas rupes, in mediis errorum & miseriarum fluctibus relinquere, & certò credere cogaris secundum Apostolum 2 Thess. 2. *Deum quibusdam immisisse efficaciam erroris, ut credant mendacio.* Eâdem ratione, Fromondus, in strepitu quid audivit de dogmatis Ecclesiæ, cui

mercede ſervit, & quamvis nec eorum originem, fundamentum, aut rationes unquam apud Doctores ſuos legerit, aut viderit: ad furorem tamen uſque defendit, ut Voetium exagitare, & ſe inter ſuos deridendum propinare poſſit. Documenta hujus rei tota nobis *Criſis* ſuppeditat. Præ cæteris ejus medulla XXI. caput: prolixum illud ſcilicet, & præficarum næniis abſurdius. Diſputat bonus Doctor, more ſuo de Scriptura: ſed tam bellè, ut noſtrates Catechetici pueri, ſi Latinum ſermonem intelligere poſſent, è veſtigio jurarent Scripturam, aut ullum ejus interpretem, nunquam vel vidiſſe eum. Sed ad rem: ne Lectores, à claudicante adverſario, & me ſubclaudicare didiciſſe exiſtiment. Voetius claram alicubi ſacram Scripturam eſſe dicit: nec tantùm dicit ſed etiam ex ipſa Scriptura, quæ optima ſui interpres eſt, nec non Patribus fuſiſſimè probat, & docet; præ cæteris pag. 345. 346. & 347. quem locum ſubdolè tamen Fromondus, more ſuo, diſſimulat. Prodit verò inſigniter jactantiam ſuam cum pag. 102. dicit: *Quod igitur de ſordibus, & contemptu Scripturarum aſſumus, quaſi viliores nobis, quàm vobis, aut ulli mortalium generi eſſent, non vitium noſtrum, ſed tua calumnia eſt.* Quanti Papani lucifugæ Scripturas faciant, cognoſcere quiſque poteſt ex eorum libris: ex quibus nos cap. 2. ſuprà breves quaſdam eclogas exhibuimus. Dignare quæſo, Lector, eas inſpicere, & ride ignorantiam & Thraſoniſmum Doctoris. Quod verò de Cuculo hic garrit, commoveret me, ſi non ipſe (ut liceat mihi phraſi combibonis illius uti) *omnium, quos unquam legi mortalium cuculiſſimus foret.*

II. Explodere ſtudet Voetium, & cum eo omnes Reformatas Eccleſias, quòd credant Scripturam eſſe claram & perſpicuam. Refellit hoc ita, ut neque ſe intelligat, nec ab aliis intelligatur. In lemmate capitis dicit: *Scriptura ſacra in multis locis obſcura eſt, & difficilis.* Poſtea pag. 105. inquit: *Eam lucidam eſſe, ſed ſi ſenſus ejus, & interpretatio à SS. Patribus, & Eccleſia Catholica petatur.* Vtrumque examinemus. Principiò egregiè σκιομαχεῖ & cum umbra ſua luctatur. Quis enim ex noſtris unquam negavit *ſacram Scripturam in multis locis eſſe obſcuram, & difficilem.* Si Voetius, ſi quis Reformatorum Doctorum unquam aut dixerit, aut ſcripſerit contrarium, totam cauſam tradam. Scio, objicies mihi ex Serario tuo Lutherum in Præf. Artic. ad Leonem X. Sed nihil moveor. Lutherus, ut & plerique Patrum ibi indefinitè, non verò de tota Scriptura loquitur: Dogmata intelligit, ut & in libro de Servo Arbitrio. Idem in hac controverſia ſtatuimus, quod Auguſtinus l. 2. de Doct. Chriſt. cap. 9. *In iis,* inquit, *quæ apertè in Scriptura poſita ſunt, continentur illa omnia, quæ continent fidem moreſque vivendi.* Quæ hic hæreſis? quis error? Multa quidem per calumniam Papani affingunt noſtris Theologis. Sed quid tum? Ea illorum indoles. Si quis verò fraudes, & dolos Serarii in pervertendo hujus controverſię ſtatu detectos videre avet, conſulat quæſo Clar. Rivetum in Iſag. ad Script. cap. 22. Quod nos autem dicimus, multi etiam ex Papanis Doctoribus docent, ac ſcribunt. Acoſta Ieſuita lib. 2. de Chriſt. revel. cap. 2. *Ita,* inquit, *providit dulcis Pater, ut multa ſint in ſacris literis aperta, hiſtorica, facilia, ſuavia, nobiſque mirificè congruentia, ſive legem, ſive Prophetam volvamus, ſive Euangelium, ſive Epiſtolas relegamus, atque eſt in divina Scriptura omnino mirabile: Neminem eſſe tam rudem, & imperitum, quin ſi humiliter legat, multa illic utilia, veraque intelligat: neminem tam doctum, qui non illic multò plura ignoret, quàm ſciat.* Id. Ibid. lib. 3. cap. 20. *Sunt loca Scripturarum obſcura, ſunt alia aperta: quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria aperta ſunt omnia.* Item Coſterus in Enchir. cap. 1. *Non inficiamur præcipua fidei capita, quæ omnibus Chriſtianis cognitu ſunt ad ſalutem neceſſaria, perſpicuè ſatis in Apoſtolicis ſcriptis eſſe comprehenſa.* Quid apertiùs, quid clariùs vel ab ipſo Calvino dici potuiſſet?

III. Animadverte verò, humaniſſime Lector, Fromondi furorem copulatum ſupinæ ejus ignorantiæ. Voetius pag. 471. ad probandam Scripturæ claritatem in præceptis fidei, & morum adducit 2 Petr. 1. Pſ. 119. verſ. 105. Pſ. 19. verſ. 8,9. Ille verò ad hæc p. 102. *Scripturæ,* inquit, *iſtæ vulgares centies millies ex SS. Patrum ſenſu ipſis evidentiſſimè explicatæ, & replicatæ ſunt.* ἀμαθία θρασύς h. *audax eſt ignorantia.* Si, tu Fromonde, qui tam largus es

in

in additione, vel unum ex tuis Scriptoribus adducere poſſis, qui ex Patribus ἀγαθοῦ κόμματος loca hæc contra noſtram ſententiam interpretatus ſit, herbam ſponte porrigam. Evolve *Bellarminum, Serarium, Gretzerum,* & *Becanum.* Evolve, inquam, uſque dum ſanguinem ſudes. Et illud tuum centies millies ne ſemel quidem verum eſſe, oſtendere poteris. Quod autem ad Patres, pro nobis illi omnino ſtant. Quod enim verbum Dei *lucernæ* aſſimulatur à regio Pſalmiſta Pſal. 19. & 119. aut ſecundum vulgatam verſionem 118. & 2 Petr. 1. verſ. 19. Hoc ita exponitur ab Ambr. ſerm. 14. in Pſ. 118. *Paſcitur*, ait, *os noſtrum verbo, cum loquimur mandata Dei verbi, paſcitur & oculus noſter interior lucernæ ſpiritualis lumine, quæ nobis in hac mundi nocte prælucet, ne ſicut in tenebris ambulantes, incertis titubemus veſtigiis, & viam veram invenire nequeamus.* Ita & Auguſt. in Conc. 23. in Pſ. 118. hæc inter alia habet: *Quod*, ait, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis; verbum eſt quod Scripturis ſanctis omnibus continetur.* Nec longè ipſe Fromondus ab hac interpretatione recedit: Patribus aſſcribendo interpretationem quidem analogam veritati, ſed quam tamen apud nullum ex iis, ne ſi per annum quæreret, invenire poſſet. Ita enim pag. 105. dicit: *Simili modo SS. Patres Scripturas illas, quas paulò antè nobis obtruſiſti*, Lucerna lucens in caliginoſo loco, Lucerna pedibus, &c. Præceptum Domini lucidum, *ita interpretantur, ut non compugnent cum Apoſtolo Petro affirmante* 2 Petr. 3. *in ſcriptis S. Pauli* eſſe quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem. *Igitur Scriptura ſacra lucerna eſt, quia fidei lumen nobis ſundit, & ea docet, quæ credere, & agere debemus, ut perveniamus ad vitam æternam.* Iam demum in una navi ſumus: utinam tam amicè inter nos ſemper conveniret. Non Fromondum tantùm fratrem ut ipſe ſarcaſticè Voetium, ſed ratione ætatis libentiſſimè etiam patrem ſalutarem.

IV. Viden verò, Lector, pueriles declamatoris ineptias: non pedibus, & corpore tantùm, ſed toto animo in noſtram ſeceſſit ſententiam, & tamen quinque adhuc paginas vocibus, & λόγοις (in quibus ne ipſe Archimedes quidem aut principium aut finem invenire poſſet) conſpuit. Subdolè. Ita etiam Pan, ut eſt apud Polyænum de Stratagematis, cùm in Indica expeditione, exiguum globum in validum & numeroſum exercitum ducturus eſſet, ac deſperaret de victoria: ſuos intra convalles, in quibus garrula Echo habitabat, diſpoſuit, clamoremque tollere juſſit, ut fallaci ſono eos in fugam converterent, quos acie & aperto Marte profligare non poterant. Quorſum enim addducitur pag. 105. Calvinus in Epiſt. ad Crammerum? Quid enim optat aliud, quàm ut aliquando conveniant *docti & graves viri, qui poſteris de communi ſententia tradant certam Scripturæ doctrinam?* An non hoc factum in Synodo Apoſtolica Act. 15. in quatuor Conciliis Oecumenicis, & ut jactatur in Conciliabulo quoque Tridentino? Quod verò de verbis, quæ obſervari præcepit Servator noſter in celebratione cœnæ Dominicæ, de quorum ſenſu acriter cum Zuinglio contendit Lutherus, garrit ac blaterat: haud magis nos, quam Papanam Synagogam vulnerat. Fatemur hic funem contentionis duci? Quid tum verò? De vera verborum eorum interpretatione uſque ad inſaniam litigant ipſi Scholaſtici, & Ieſuitæ: ac in decuplo plures ſententias diviſi ſunt, quàm noſtri: ut oſtenſum eſt ex eorum ſcriptis ab And. Craſtovio & ex propriis ſociis, generali nempe Minoritarum, Chriſtophoro de capite Fontium, in lib. qui inſcribitur de neceſſaria correctione Theologiæ Scholaſticæ, in Deſp. Cauſ. pag. 325. & pag. 535. in bello Ieſuitico; quem Voetius Ianſenio quoque oppoſuit. Quæ hic vel umbra abſurditatis eſſe poteſt? Contenditur inter noſtros de verbis ſacramentalibus, contenditur & à Pontificiis, ergò falſum eſt quòd utrique fatentur, Scripturam non eſſe obſcuram vel indocto alicui in iis, quæ ſpectant fidem, moreſque vivendi. Hæc ſi intellexiſſet Fromondus, non ita patientiâ Lectoris abuſus fuiſſet, conſcribillando ex Luthero, Zuinglio, & Patribus teſtimonia, quæ non magis propoſito & ſerviunt, quàm bracca illius capiti convenit.

V. Vix nos ex ſenticetis expedivimus, & aliis vepribus implicamur. Fateor, vitare eos

 poſſem.

possem. Sed ab initio fidem dedi me desultorium duellatorem secuturum esse, & omnia argumenta manibus illius excussurum, ne postea clamet, quædam, quæ silentio præterii, me difflare non potuisse. Vt Alastor nostros ad phantasticam & deliram contradictionem de obscuritate Scripturæ adigat, duos amicissimos, Calvinum nempe & Bezam, advocato etiam maledico incentore Franc. Balduino, committere laborat: quod inter se discrepent in expositione hujus loci 1 Petr. 3. vers. 19. *His qui in carcere erant, Spiritibus veniens prædicavit.* Quis delirum, ac ridiculum magis disputatorem vidit, aut audivit unquam? 1. Discrepat discipuli sententia à magistro, Ergo peccat. 2. Sunt quædam difficilia, & *δυσνόητα* loca Scripturæ, quod nos ultro damus, Ergo tota Scriptura est difficilis. Quæ hæc consequentia? Si Fromondus candoris & sapientiæ guttulam inter scribendum habuisset, non ita se ridiculum præbuisset, aut in venerandos illos Scripturæ interpretes debacchatus fuisset. Fateor Bezæ interpretatio concinnior est quàm Calvini: non tamen ei contraria. Locus de cujus interpretatione quæritur fatentibus ipsis Pontificiis DD. obscurissimus est. Sic enim de eo Bellarm. lib. 4. de Christo cap. 13. *Hic locus semper obscurissimus est habitus.* Eundem Bailius Ies. in Catechesi pag. 1. qu. 43. *Spinosum ac difficilem vocat.* Beza autem Augustini sententiam, quæ funditus evertit limbum Patrum (quem ex eo unico loco præcipue probare solent Papistæ) secutus fuit. Vt liquet, si ejus interpretatio conferatur cum Augustini Epist. 97. ad Enodium: ut & fatetur Bellarm. loco dicto. Illa verò interpretatio tam conveniens, & apta est, ut arriserit quoque, præter Thomam, Andradium, & Lorinum (quos citavit Cl. Dn. Rivetus in Cathol. Orthodoxo ad Controv. 43.) Ariæ Montano, viro doctissimo, qui ita ad eum locum commentatur: *Quid*, inquit, *hic alii commententur, nostri instituti non est judicare, quid ipsa lectio velit, insinuare satis fuerit [In quo Spiritu est] nempe eo Spiritu, qui cum Patre æternus fuit à mundi initio, secundum Divinitatem, in quo prædicabat illis, videlicet, Noach, & iis qui in arca inclusi, seu in carcere fuerunt, cùm dictum est, Egredere ex arca, &c.*

Quantum ad Calvinum verò, quamvis in interpretando hoc loco, orthodoxè quidem, non tamen perfectissimè versatus sit, nihilominus doctissimus & planè divinus Scripturæ interpres est, vel ipsius Stapletoni judicio, quem pluris facio, quàm decem Fromondos. Is ita autem de Calvino censet in Præf. ad Lect. in libro quem inscripsit Antidotum in Euang. lib. *Calvinus*, inquit, *ita quoad literam interpres diligens est, ita moralis, ita elegans, ita suavis, ut etiam ab ipsis Orthodoxis avide interdum legatur, quos aliquando exoptare audivi, ut resectis iis, quæ contra Ecclesiam, & fidem nostram disputantur, castratus prodeat, sic enim commentarios ejus perutiles fore.* Addo ego: Papanos Interpretes, contra legem Talariam, cincinnos commentariorum suorum ex Calvino convertere. Si quis neget, sexcentis judiciis fidem faciam.

VI. Antequam pergam quatuor Scripturæ loca, quæ totidem Controversias spectant considerare debeo. Cogit enim Fromondus. Vtinam verò in arenam descendere velit, & de ipsis Controversiis velitari. Sed non faciet hoc unquam. Vt probet nos claris Scripturæ textibus fidem non adhibere, adducit verba Institutionis cœnæ Dominicæ, cum hoc elogio pag. 102. *Si clarissimis Christi Domini verbis tibi probem ejus in Eucharistia præsentiam, quia apertè dicit,* Hoc est corpus meum, *illicò accurris, & liquidissimam verborum istorum lucem perturbas, interpretando* non essentialiter, sed figurativè *hoc esse ab eo dictum: cùm tamen, nec ipse, nec Euangelistæ ejus, aut Apostoli, qui verba Christi Ecclesiæ tradiderunt, ullam figuræ tuæ suspicionem nobis fecerint; unde & SS. Patres, totaque universim Ecclesia Catholica, propriissimè semper acceperunt.* Antiqua cantilena, quam millies nostri ex Scriptura, & Patribus explosere. Eôque nos pauca tantùm. I. Quod verba hæc *τροπικῶς* sint accipienda: Non omnes tantum sani judicii Theologi, multique ex Patribus qui in eorum interpretatione utuntur voce *signi*, sed & ipsi Papani volentes nolentes confiteri debent. Vt ut enim circa expositionem horum verborum in infinitas sectas divisi sint, in eo tamen omnes consentiunt *est* notare *transsubstantiare.* Dicant verò omnes Grammatici, an ullum aut lexicon, aut authorem ostendere

possint,

possint, ubi copula verbalis illam significationem habeat? Quorsum ergo jactatur τὸ ῥητὸν, quod instar fulminis prosternit monstrum μεταμορφώσεως Papanæ. Omne fieri includit successionem motus, & respicit terminum acquirendum. Quod verò esse dicitur illud ipsum est actu, quod id quod fieri dicitur tantùm est potentiâ. Si ergo panis transformatur in reale corpus Christi, necesse est hoc fiat cum motu, & consequenter, si *est* ἰδίως & propriè est accipiendum, mentitur sacrificus quando dicit: *Hoc est enim corpus meum*. Communis enim Scholasticorum est sententia, demum post pronunciationem verborum Chimæricum corpus Christi in pane habitare. Necessum ergo est, ut ipsum *est* impropriè, pro *transsubstantiatur*, accipiatur. Si propriissimè est accipienda hæc formula, in se etiam propriissima est, nec indiget declaratione Ecclesiæ. Vtrumque tamen est falsissimum. Si enim propriissimè est intelligenda, non aliud quoque intelligendum est corpus, quàm de quo Christus dicebat discipulis Luc. 24. vers. 39. *Contrectare me & videre*. Sed tale corpus cum non admittant sophistæ, quomodo propriissimè hæc verba accipere possunt? Ad hoc quamvis verba hæc velint propriissimè accipi, eò tamen confugiunt, ut ea interpretari debeat Ecclesia, hæc est, ut Centaurus definiat Chimæram. Bellarm. l. 3. de Euchar. cap. 32. *Dicit Scotus (subtilis Doctor) nullum extare locum Scripturæ tam expressum, ut sine Ecclesiæ declaratione, evidenter cogat transsubstantiationem admittere*. 3. Si hæc verba sunt *propriissimè* (ita enim vult Doct. Fromondus) accipienda, propriissimè quoque accipiendæ sunt hæ locutiones: *Petra erat Christus*. 1 Cor. 10. vers. 4. *Ego sum vitis vera*. Ioh. 15. vers. 1. *Ego sum stella*. Apoc. 22. v. 16. At quàm hoc absurdum? Stude viginti annos, Fromonde, & nullam invenies rimam. Si dicas verborum cœnæ esse aliam rationem, eo ipso jam ostendis ea non esse propriissimè interpretanda. Si enim illius formulæ alia ratio est, quàm aliarum similium, certè hoc unum arguit, eam non esse propriissimam. 4. Iam dabo (quod tamen, ne quidem diabolus unquam probabit) verba cœnæ propriissimè esse accipienda, sed quid tum inde aliud evincetur, quàm Eucharistiam non esse sacramentum, & Papanos Capernaitas? Sacramentum est in genere signi, ut ipse Thom. concedit 3. quæst. 60. art. 1. Si est signum, quomodo ergo potest esse res ipsa? Quando ergo secundum Fromondum propiissimè accipiuntur hæc verba, misera Eucharistia excidit genere Sacramentorum. Ipsi verò inter communicandum instar luporum cùm Capernaitis crudam Christi carnem dentibus dilaniant. Quanquam non credo, quemquam unquam cruentatos dentes domum retulisse. 5. Possem ex Patribus, & Scholasticis ostendere putidum esse mendacium, quòd Censor gloriatur, verba Eucharistiæ *semper propriissimè esse accepta*, sed nolo post Sadeelem, Bezam, Hospinianum, Plessæum, Chamierum, Rivetum, Molinæum & alios, qui hoc infinitis testimoniis confirmarunt, rem actam agere.

VII. Sequitur secundus locus Scripturæ, in quo Beza scilicet grande flagitium commisit, quòd eum orthodoxè & ex mente Sp. sancti interpretatus est. Occurrit ille Iacob. 2. Sic verò ὀρθοδοξαγωδεῖ pag. 103. *Si fidem solam sine operibus non sufficere ad vitam, ex aperta S. Iacobi sententia demonstrare velim, Quid proderit fratres mei si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Item, Vis scire ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? &c. Beza perspicuitatem istam injecto luto obtenebrabit, Fidem de qua loquitur Apostolus, & quæ in malis etiam hominibus est: non esse fidem propriam, sed fidei simulachrum, inquiet, ut si corpus inanime hominem dicas*. Sed quid hic peccatum? tecum expostulas Fromonde. Dicis: *Fidem solam sine operibus non sufficere ad vitam*. Idem nos dicimus: ac constanter docemus bona opera esse necessaria ad salutem. Immo etiam audemus dicere, bona opera esse causam vitæ æternæ. Sed dices, quæ ergo differentia? maxima. Distinguimus inter jus vitæ æternæ, & actualem ejus possessionem. Ius certò credimus nos consequi, per unius Christi merita, quæ salvificâ fide amplectimur, & nobis unimus: unde in eo nostram justificationem coram Deo constituimus; & quia ejus per solum fidem compotes reddimur, sano sensu statuimus bona opera esse noxia, in quibus vos constituitis secundam

justifi-

juſtificationem. Quod verò ad actualem poſſeſſionem vitæ æternæ, ad eam conſequendam bona opera dicimus eſſe neceſſaria, eamque cum Bernardo viam eſſe credimus, per quam incedimus ad gaudia cælorum; toto enim corde amplectimur admonitionem Apoſtoli, qui nos docuit Hebr. 12. verſ. 14. *Sine ſanctimonia neminem viſurum eſſe Deum.* Vides opinor differentiam Dn. Doctor. Non opus autem fuiſſet eam me tibi inculcare, ſi tantum Ser. T*æ*. placuiſſet unius Calvini Inſtitutiones aut Bucerum in Diſp. Ratiſbonenſi, aut miniſtros Hannovienſes in Collatione Francofurtenſi cum Patre Morelles, inſpicere. Sed propius accedamus ad locum Iacobi. Reprehendis Bezam, quod ſcripſerit Iacobum agere de *ſimulachro fidei*, cùm ipſe dicas te ex Iacobo probare *fidem ſolam ſine operibus non ſufficere ad vitam. Fides ſola ſine operibus*, ſecundum Bezam, & noſtram Theologiam nihil aliud, quàm fidei ſimulachrum eſt. Si tantùm in Theologia eſſes verſatus, quantum loquendo vales, dixiſſes ſecundum falſam tuam Theologiam fidem ſolam ſine operibus non ſufficere ad juſtificationem. Sed ſecundum tuam ſophiſticam hæc æquivalere videntur *Iuſtificatio, & vita.* Quod ad Auguſtinum, quem Bezæ opponere ſtudes, utrumque illius teſtimoniũ à te adductũ, velut bipennis in crura reſilit. Vtrobique Auguſtinus loquitur de fide inani, quæ ſi vocari non poſſit fidei ſimulacrum, neſcio quid ſimulacrum ſit. Fidem actuoſam requirimus per bona opera in juſtificatione, & quæ talis non eſt, eam mortuam & ſimulachrum tantum eſſe dicimus. Diſputat autem Iacobus Apoſtolus contra eos qui in ſola fide (mortua nempe) gloriabantur: eos redarguit, & docet non ſufficere tale ſomnium, ſed requiri *fidem efficacem per bona opera*: ut Apoſtolus loquitur Gal. 5. v. 6. Quales & illi erant quos redarguit Petrus ep. 2. Ioan. ep. 1. & Iudas, ut animadvertit quoque Auguſt. de fid. & oper. cap. 14. Vnde & rectè ibid. dicit: *Iacobus vehementer infeſtus eſt eis, qui ſapiunt fidem ſine operibus valere ad ſalutem, ut illos etiam dæmonibus comparet.* Nec aliud dixit in Præf. ad Pſ. 31. ad quam nos relegat Fromondus. *Iacobus*, inquit, *in epiſtola ſua contra eos, qui nolebant bene operari, de ſola fide præſumentes, ipſius Abrahæ opera commendavit.*

VIII. Dein in Lutherum & Calvinum debacchatur, quod hæc Pauli verba Tit. 1. *unius uxoris vir*, accipiant de Epiſcopo qui uxorem habet, hinc poſt ſolitos bombos, & fulmina in Lutherum, in hæc tandem verba prorrumpit pag. 104. *Nonne omnes SS. Patres, & Eccleſia Catholica vetus, μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα non bigamum interpretantur, ſeu qui plures uxores ſucceſſivè non habuerit, etiamſi nullam jam habeat?* Verè Thucid. ἡ ἀμαθία θρασεῖς ἀπεργάζεται, hoc eſt, Ignorantia homines confidentes facit. *Omnes*, inquit, *Patres.* Atqui doce quæſo omnes Patres probare impurum cælibatum Romanæ Eccleſiæ. Etenim Patres ex hoc eodem loco probant Epiſcopum poſſe eſſe uxoratum. Clem. Alexand. l. 3. Strom. *Vnius uxoris virum utique admittit* (Apoſtolus) *ſive ſit preſbyter, ſive diaconus, ſive laicus, utens matrimonio citra reprehenſionem.* Chryſ. in Ep. ad Tit. cap. 1. hom. 2. *Si quis*, inquit, *eſt ſine crimine, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos. Cujus rei gratiâ etiam hujuſmodi homines in medium adducit.* Et poſtea: *Obſtruere prorſus intendit hæreticorum ora, qui nuptias damnant: oſtendens eam rem culpâ carere: imo ita eſſe pretioſam, ut cum ipſa etiam poſſit quiſpiam ad ſanctum Epiſcopatus ſolium ſubvehi.* Idem in 1. ad Timoth. cap. 3. hom. 10. *Non hoc veluti ſanciens dicit, quaſi non liceat abſque uxore Epiſcopum fieri, ſed ejus rei modum conſtituens. Iudæis quippe licitum erat etiam ſecundo matrimonio jungi, & duas itidem ſimul uxores; honorabiles enim nuptiæ.* Theodor. in 1. ad Tim. cap. 3. *Illud unius uxoris virum, quidam mihi videntur rectè dixiſſe. Olim enim conſueverunt, & Græci & Iudæi, cum duabus, & tribus, & pluribus etiam uxoribus ſimul jungi, lege matrimonii. Quin etiam nunc cùm leges imperatoriæ prohibeant duas ſimul uxores ducere, dixiſſe Apoſtolum, eum qui cum una ſola uxore pudicè cohabitat, dignum eſſe qui ordinetur Epiſcopus. Neque enim ſecundum, inquiunt, rejecit matrimonium, qui illud ſæpe præcepit fieri.* Et poſt adducta aliquot ex Scriptura teſtimonia, tandem addit: *Hæc conſiderans, admitto eorum interpretationem, qui ſic intellexerunt.* Hyeronymus

nymus

nymus quamvis in diſputationis fervore contra Iovinianum aliquando verba hæc de digamia interpretetur, ubi tamen tranquillè & placidè θεολογεῖ, admittit orthodoxam, hoc eſt, noſtram interpretationem, ita ep. 83. ad Oceanum: *Hoc quod dicit*, inquit, *unius uxoris virum, poteſt & aliter diſſeri. Ex Iudæis erat Apoſtolus. Prima Chriſti Eccleſia de Iſraël reliquiis congregabatur. Sciebat lege conceſſum, & exemplo Patriarcharum, ac Moyſi familiari, populo in multis uxoribus liberos ſpargere; Ipſis quoque ſacerdotibus hujus licentiæ patebat arbitrium. Præcepit ergo ne eandem Eccleſiam ſibi vendicent ſacerdotes, ne bina pariter, & trina conjugia ſortiantur, ſed ut ſingulas uno tempore uxorem habeant.* Theophyl. in Epiſt. ad Titum cap. 1. *Vel eum qui uxorem habeat in Epiſcopum ſuſcipit. Nam adeo honorabile conjugium eſt, ut vel ex eo poſſit ad ſanctam illam Epiſcopatus ſedem aſcendi.* Vides, Fromonde, quàm faveant antiqui Patres impuro veſtro cælibatui? Evolve eos, & ſi ſex ſolummodò adferre poſſis, qui d. locum aliter quàm Calvinus, interpretati ſint, viceris. Scio de bigamis garries, ſed quid hoc ad rem? Luthero & Calvino propoſitum eſt ex dicto loco probare nuptias Epiſcoporum, ſi eos confundere velis, proba & oſtende Patres eum de cælibatu interpretatos eſſe. Sed quando hoc facies?

IX. Poſtea omiſſo Calvino in ſolum Lutherum, doctum & fidelem Scripturæ interpretem debacchatur. Pag. 104. *Verſum*, inquit, *iſtum Pſal. 50. ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea, quem S. Auguſtinus, & SS. Patres paſſim de peccato Originis, Lutherus de peccato actuali accipit, aitque in omni concubitu legitimo matrimoniali (quali à parentibus juſtis & ſanctis conceptus fuerat David) committi peccatum planè furioſum, nihil differens ab adulterio, & ſcortatione, quantum eſt ex parte ardoris, & fœdæ voluptatis.* Quàm volupe tibi, Fromonde, cum Luthero contendere. Leviſſimas etiam occaſiunculas captas pervertendi ea, quæ ab eo bene dicta ſunt. Non acquieſcebas, quòd eum ob hanc gloſſam traduxiſſes pag. 100. debebas per totam paginam ineptias tuas oſtentare. Probo. Sic incenditur pretium chartæ. Sed quid tantopere peccavit Lutherus? Verſum unum Pſal. 51. (quem Patres de peccato originis interpretari ſolent) accepit de maculis & inordinatis cupiditatibus quæ poſt lapſum acceſſere conjugali copulæ. Nec tamen negat peccatum Originis, cujus ad extremum ſpiritum pertinaciſſimus fuit aſſertor. Imo in enarratione hujus ejuſdem verſus, in Comm. ad Pſ. 51. hæc ipſiſſima verba de originali labe interpretatur: ita eruditè παραφράζων; *Porro*, inquit, *non loquitur de peccato conjugali, ſeu parentum, quòd parentes accuſet peccati, de ſe dicit: Ego in peccatis conceptus ſum. Non dicit mater mea peccavit cùm conciperet me, neque dicit: Ego peccavi cùm conciperer, ſed de ipſo rudi ſemine loquitur, & pronunciat id peccato plenum, & maſſam perditionis eſſe, ut ſit vera & germana ſententia: Sum peccator, non quia adulterium commiſi, non quia Vriam objeci cædi: ſed ideo adulterium, ideo cædem commiſi, quia ſum peccator natus, imo conceptus, & formatus in utero. Sic nos non ideo ſumus peccatores, quod jam hoc, jam illud peccatum deſignamus, ſed ideo iſta deſignantur à nobis, quia antea ſumus peccatores: hoc eſt arbor vitioſa, & vitioſum ſemen, etiam fructum vitioſum afferunt. Nec poteſt ex radice mala aliud quàm mala arbor enaſci.* Hæc Lutherus. Sed dicet Fromondus, in lib. de votis Monaſt. tantùm mentionem facit fœdæ libidinis. Quid tum? Liber de votis Monaſt. ſcriptus eſt à Luthero in eremo jam anno 1521. profecit autem paulatim in puriore Theologia, ac ſacram Scripturam appoſitè & concinnè magis interpretari didicit. Quod autem flagitium, Luthero objicere ſcripta, quæ ipſe voluit combuſta, & abolita? Optat ipſe in præf. operum, ut omnia ſua ſcripta ſint flammis conſecrata præter Catechiſmum, & librum de Servo arbitrio contra Eraſmum, lectoreſque ſuos quàm poteſt humillimè rogat ut meminiſſe velint *ſe aliquando fuiſſe monachum.* Sed quid hinc patrocinium quæro Luthero? Si ipſe erravit in interpretatione Pſ. 51. errarunt plures, errarunt Patres, errarunt & monachi, manifeſtè ejus gloſſæ faventes. Euthym. in Comment. l. cit. *Vt Deum magis ad miſericordiam traheret, nativitatem ſuam commemoravit. Nam ſi Adam non peccaſſet, nunquam oportuiſſet illum*

Evæ conjungi, peccatum itaq; copulam generavit: & copula rursum eos produxit, qui ex Adam, & Eva nati sunt: & sic deinceps illi alios, atque alii alios usque ad David. Et licet nuptiæ nunc ob filiorum procreationem in honore habeantur, natura tamen ex peccato proveniunt. Quid in nuptias acerbius & heterodoxum magis dici posset? Item Arnob. in Comm. ibid. *Non enim dixit cum iniquitatibus, aut cum peccatis genuit me mater mea, sed in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis genuit me mater mea. Dicendo enim matrem in suis iniquitatibus eum concepisse, & in peccatis seculi peperisse signat.* Lyr. in Gl. In iniquitatibus] *id est libidinis concupiscentia, quæ peccatum est, nisi excusetur per bona conjugii.* Item Bapt. Folengius Monachus Mantuanus in par. ejus versus: *Quid? nonne me mea quoque genitrix in ipso conceptionis æstu, & calore, toro sacro, cui cupiditas quæ pœna est peccati, annexa est, abusa in te deliquit, peccatoque obnoxia fuit? num itaque mundum de immundo conceptum semine, immundo ab utero exire, absque peccati macula potuit?* Animadvertis, credo Censor, stultos tuos clamores non tam Lutherum, quàm ipsos Patres & DD. tuos ferire? Interea, quamvis libenter concedam post lapsum morbo cupiditatis & libidinis infectam fuisse conjugalem copulam, non tamen video quomodo hoc solidè ex d. v. ps. 51. probari possit. Nota verò, Lector, Papanorum inconstantem hypocrisin, conjugium, cujus alias quando de cælibatu disputant obtrectatores maximi sunt, extollunt, & prædicant, ut Luthero invidiam conflent. Ita Syric. Papa ep. 4. c. 9. quæ extat Tom. 1. Concil. legitimum matrimonium vocavit *mentem carnis, & carnalem concupiscentiam.* Item Decr. 82. c. Plurimos. *Carnalem immunditiem.* Sed licet contradicere Papæ, si hoc conducat ad exagitandos hæreticos.

X. Sed & alium errorem commisit Lutherus si Censori credimus, d. l. de Votis Monast. dicit enim ibi: *Omnium evidentissimè Christus loquitur in Monastica vota Math. 24. Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere, Surgent enim Pseudo-Christi, & pseudo-Prophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, &c. Si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est, nolite exire, Ecce in penetralibus, nolite credere. Quæ verba ait, de nullis hæreticis intelligi posse, præter Papistas, & monachos. Hi enim sunt, qui jactant Eremitas, id est, vocant ad deserta, & penetralia, id est claustra, seu Monasteria.* Quid ad hæc Fromondus? pag. 105. vocat *Lutheri evidentissimum somnium.* Ratio. *Ne Calvinus, quidem & Beza illud mentione dignati sunt.* O nugatorem! consuluisses rhetoricam de discrimine theseos, & hypotheseos. Non negat Lutherus hanc Christi prophetiam respicere omnes pseudo-Christos, & Seductores, sed hoc vult in hypothesi, in nullos æquè quadrare ac τὰ ἄχη μόνα, hoc est, solitaria illa carcinomata. Ratio est, quia 4. circumstantiæ conveniunt. 1. Quia jactant prodigia. 2. Quia seducere student etiam electos. 3. Quia Christum dicunt in deserto, hoc est, antris libidinum, & contentionum quærendum esse. 4. Quia sunt pseudoprophetæ. Si hæc neges, Fromonde, proximâ vice, ubi iterum erit scribendum, probabimus. Miror verò, quòd Lutherum incessere ausis, quòd Scripturam detorqueat. Infallibiles tui Scripturæ Interpretes Domini Papæ non tantùm ineptè, sed etiam ridiculè eas explicare solent. Quod ut erubescas, pauca hæc in præsens exempla accipito. Innocentius III. ad Imper. Constantinop. cap. *solitæ*, de Majorit. & obedientia. *Fecit*, inquit, *Deus duo luminaria magna. 1. duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis authoritas & regalis Majestas, sed illa quæ præest diebus. i. spiritualibus, major est alterâ, quæ noctibus. i. carnalibus; ut, quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoscatur.* Extravag. c. *unam sanctam.* de Majoritate. Ita allegorizat Bonifacius VIII. *In hac* (Ecclesia) *ejusque potestate duos esse gladios, spiritalem videlicet, & temporalem, Euangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis, Ecce gladii duo hic, in Ecclesia scilicet, cùm Apostoli loquerentur, non respondit Dominus nimis esse, sed satis. Certè qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, malè attendit verbum Domini proferentis, Converte gladium tuum in vaginam. Vterque ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritalis scilicet gladius, & materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exercendus. Ille sacerdotis, is manu regum, & militum, sed ad nutum & patientiam sacerdotis.*

dotis. Si Reges ita delirant, quid mirum si in interpretanda sacra Pagina hallucinentur Achivi. Audiamus verò aliquot ex lepidis eorum glossis. Roffensis in Artic. 25. *Christus duplex didrachma Math. 17. dari jubet, unum pro se, alterum pro Petro: ut significaret familiam suam duo habere capita.* Bellarm. præf. de Rom. Pontif. *Is. 28. legitur; Ecce pono in Sion lapidem probatum, pretiosum, angularem, fundamentum summum. Quis sit hic lapis nemo ignorat, qui Euangelium legit, ubi Christus Petrum Petram vocat, quâ significatur sedes Romana, quæ est fundamentum fundatum, id est, secundarium fundamentum. Christus autem est primarium.* Turrianus Ies. contra Sadel. *Legitur Esaiæ 49. In faciem terræ adorabunt, & pulverem pedum tuorum lingent. Vbi hoc nisi in deosculatione pedum Pontificis Romani, ut jam exitus probat?* Antonin. Episcop. Florent. part. 3. tit. 22. c. 5. *Dicitur Ps. 8. Deus omnia subjecit pedibus ejus, id est, Pontificis Romani; Oves. i. Christianos; Boves id est Iudæos, & hæreticos; Pecora campi id est paganos; Pisces maris. i. animas in purgatorio.* In Stellario Coronæ Mariæ hæc ridicula ἀλληγορία & gloss. occurrit; *Quid est congregatio aquarum Gen. 1. nisi congregatio omnium gratiarum in locum unum. i. in virginem Mariam. Congregationem gratiarum in Dei Matre Deus voluit vocari* Maria *à Mari. In hoc tamen est differentia, quòd congregatio aquarum vocatur Maria, mediâ correptâ; congregatio gratiarum* Maria, *mediâ productâ. Causa, cur* Maria, *mediâ correptâ, quia transitoria est & brevi tempore erit. Apoc. 21. mare abiit & jam non est.* Maria, *mediâ productâ, quia ista congregatio est perpetua in virgine, Luc. 10. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Ridete omnes lapides! Si possis, Dn. Doctor, unum ex Patribus qui intra sexcentesimum à partu virgineo annum vixit, mihi dare, qui septem præcedentes Scripturæ textus, aut unum ex iis tam absurdè interpretatus fuerit, ultrò dabo aliquos ex Patribus ridiculos Papistas fuisse.

XI. Occasione præcedentis Lutheri Interpretationis, quia cucullatorum morionum ventres tangebat, nescio quæ infrunita de Monachis garrit. Quia Augustinus olim reprehendit Petilianum, quòd monasteria vituperaret, ideo hunc in modum ineptit: *Hi*, inquit pag. 105. *Monachi Basiliani, Augustiniani, Benedictini, &c. non erant Papistæ, sed reformati Calvinistæ, si quis Voetii delirantis λῆρος audire velit.* Ineptire cum dixi: quod dixi, probo. 1. Nec Benedictini, nec Benedictus eorum Pater eo tempore, quo Augustinus contra Petilianum scripsit, adhuc in rerum natura erant. Augustinus, ut accuratissimi chronologi ostendunt, mortuus Anno Christi 430. Æt. anno 76. Benedictus verò demum anno Christi 480. hoc est, 50. annis post excessum Augustini in lucem editus est, ut ostendit Trithemius lib. 1. de viris Illustr. Ord. S. Benedicti cap. 1. Cassinense autem cænobium, cui primò leges ordinis præscripsit Benedictus, institutum ab eo est anno 530. Si hæc cum sophistico tuo sarcasmo conciliaveris, Fromonde, plus quàm Cleanthem te putabo. 2. Qui vocantur Augustiniani monachi, non magis Augustinum olent, quàm hircus rosas. Nec monachus fuit Augustinus, nec monachi habitu est usus, nec etiam monasticum ordinem instituit. De tribus enim his altum apud Posidonium, qui & multa minuta annotat, in vita ejus silentium. Quæ ex supposititiis scriptis proferunt sophistæ, ne cassâ quidem nuce digna sunt. 3. Oppidò fallitur rhetor, putans Basilianos monachos eosdem fuisse cum papisticis monachastris. Quæ circa Pontum monasteria instituit Basilius, postquam contendere incepisset cum Eusebio Episcopo Neocæsariensi, tam dissimilia fuere modernis, quàm facies illius Ecclesiæ, præsenti factioni Romanæ. Scholæ magis erant, quàm cœnobia. Iuventus in iis pietate, bonis moribus, & eruditione imbuebatur, ut videre est apud Rufinum l. 2. cap. 9. Scio, velut quod Palladis scutum, nobis objiciet Basilii putatitium librum Quæstionum. Sed non tam pavidi sumus, ut ab eo multum percellamur. Amplectimur ambabus ulnis de eo Bellarm. judicium, qui ita dicit lib. 1. de Amiss. Grat. cap. 13. *Non constat*, inquit, *an hæ quæstiones sint Basilii magni, an potius Eusthatii, & Sebastiani, cujus multi graves errores damnati sunt in Concilio Gangrensi: huic enim autori hoc opus ascriptum fuisse testes sunt Sozomenus lib. 3. hist. cap. 13. & Nicephorus lib. 9. cap. 16.* Et postea

labefactat etiam fidem ejus Ἀσκητικοῦ. Vides opinor

Doctor, quid dederit garrula lingua tibi.

XII. Occurrunt insignes adhuc nugæ, in capite XXI. quod examinamus. Sed aliud nihil quàm nugæ & λόγοι sunt. Quæ de obscuritate Scripturarum, earumque necessaria interpretatione garrit ἀπροσδιόνυσα sunt, nec nos feriunt. Quicquid autem iis inesse videtur ponderis abundè libravimus supra Sect. 3. & 4. Dixerat Voetius in Desp. Causa pag. 52. se nulli authenticæ versioni esse astrictum. Super hoc ita pag. 111. ineptit: *Fontes non rivos, textum originalem, non versiones te amare & sequi, opinor, dicere vis. Sed tamen si Latinè loqui velis, quem sensum ex fontibus originalibus in Latinos rivos derivabis? Nam licet easdem literas Hebræas aut Græcas Lutherus, Oecolampadius, Munsterus, Tremellius, Castalio, Beza, & tot alii ante oculos aspiciant, diversos tamen sensus sæpe exsculpunt, & in Latinum, aut alium sermonem transferunt.* Arguta quæstio, dignissimaque super quam Fromondus librum elephantinum scribat. Quàm lepidum hoc? qui authentico textui adhæret, non potest certus esse an commodè ille sit translatus, nec ulla versione uti. Οἰμώζετε omnes viri egregii, ac docti, qui existimastis vos utilem operam Reip. literariæ navaturos esse transferendo omnis generis authores. Væ etiam vobis, qui in linguas vernaculas convertistis Biblia vulgata. Compedes injecistis conscientiis, & Herculeo vestro labore nihil quàm fluctus in multorum animis concitastis. *Quem sensum*, dicit Dn. asinus, *ex fontibus originalibus in Latinos rivos derivabis?* Eundem quem tu quondam in collegio ex Aristotele Græco. Qui sensus est in textu originali, exprimi debet in quacunque Versione. Æque ac exemplar respondere debet suo prototypo, ita versio textui originali. Sed quia cuique linguæ sui idiotismi, & peculiares locutiones sunt; hinc sensus originalis textus non ita facile semper verbis alienæ linguæ exprimi potest. Hinc illa prærogativa soli originali textui debetur. 1. Vt infallibilis judex, norma, & regula versionum sit. 2. Vt ad eum recurratur, quando diversus sensus tribui potest verbis versionis. 3. Vt solus consulendus sit, quando discrepantia est inter interpretes. Quando ergo ex fontibus Hebræis quid aut Latinâ, aut vernaculâ linguâ proferendum est, conamur illud tam appositè & convenienter facere quàm fieri potest: & quando illud commode fieri potest, tum tamen æquè possumus in versione acquiescere, ac quis debitor in copia (ut cum pragmaticis loquar) apochæ. Quod ad dissensiones interpretum nostrorum, illæ omnes pæne sunt in locis minoris momenti, nec aut theologorum, aut vulgi animos inquietare possunt. Perscrutare, Fromonde, Lutheri, Leonis Iudæ, Pagnini, Ariæ Montani, Erasmi, Oecolampadii, Munsteri, Tremellii, Iunii, Bezæ, Deodati versiones, non offendes vel duo loca in iis pugnantia, circa fundamentale aliquod caput religionis. Vide sis verò quomodo acquiescere possis, in sordidis tuis, & cothurno similibus, Bibliis vulgatis. Legis jam illa ex ultima recensione Clementis VIII. Sed quî scis an non surrecturus aliquando sit Papa quis (præsens enim Vrbanus VIII. modulis & poësi magis, quàm inutilibus Pontifici Bibliis delectatur) qui eâdem libertate Biblia Clementis sit submoturus, ac ipse Clemens Biblia Sixtina oppressit. Simulac aliquod ambitiosum caput theologicum occupaverit cathedram, fiet hoc. Neque enim prorsus ab omnibus mendis, & erroribus expurgata sunt Biblia Clementina. Multa in iis optare, ac desiderare audent, doctissimi, ac fervidissimi quique ex Scriptoribus Papanis. Card. Bellarm. in Epist. ad Lucam Brugensem d. Capuæ 6. Decemb. 1603. & citata ab eodem Brugensi in præf. ad Blasæum Episcopum Audomaropolitanum præfixâ libel. alteri quo collegit loca, quæ in vulgari versione emendari possent, ita inquit: *De libello ad me misso gratias ago, sed scias velim, Biblia vulgata non esse à nobis accuratissimè castigata, multa enim de industria justis de causis præterivimus, quæ correctione indigere videbantur.* Et ibid. citantur literæ Ioh. Baptistæ Baudini jussu Card. Baronii datæ ad Moretum Romę 1604. prid. Kal. Augusti, in quibus hæc verba inter alia occurrunt: *Fateor, in Bibliis nonnulla adhuc superesse, quæ in melius mutari possent; quædam etiam nescio quo pacto sic impressa reperiuntur*, ut exempli gratia 1 Sam. 2. 17. retrahebant homines.

mines à ſacrificio, *cùm libri omnes & impreſſi & MS. habeant*, detrahebant homines ſacrificio. Et propterea dictus Brugenſis, poſt accuratiſſimam Clementis Cenſuram auſus fuit edere catalogum locorum, quæ accuratiùs verti, & emendari poſſent. Ne quis verò putet à quo Brugenſi tantùm, & in privatis literis Clementis diligentiam, & infallibile judicium in dubium vocatum fuiſſe. En duos Loyolitas, qui illud reprehendêre. Alter eorum quidem, jam obiit, alter adhuc Amſtelodami mercaturam animarum exercet. Prior Serarius eſt, qui multis admodum, & per quàm anxiè hac de re diſputat lib. de authorit. præf. Clem. cap. 16. q. 16. 18. & 21. ſumma autem huc redit: Quia ipſa præfatio videtur fateri adhuc quædam corrigi poſſe, & voluiſſe tantùm excitare diligentiam ſtudioſorum ad errata colligenda, poſſe verò errata illa emendata in textum referri, *ita ut correctior, perfectior, numeriſque pluribus abſolutior prodire poſſet*. Poſterior eſt Leonardus Marius Colonienſis academiæ quondam Profeſſor, nunc deſertor, qui ita ingenuè de correctis Bibliis pronunciat Prol. in ſac. ſcript. ſect. 6. ſub finem: *Non ſunt* (inquit) *correctiones à ſede Romana evulgatæ, quaſi præciſè nos obligent, aut quaſi præter eas nullæ adhuc ſuggeri, aut diſquiri poſſint; ſed ut probabiliſſimæ correctiones, quas piâ ergà ſacras literas reverentiâ, & obſervantiâ explicare, imo & augere poſſumus*. Et poſtea duas rationes adfert, quas quiſque apud eum videat velim. Deſine ergo noſtris Bibliis, noſtriſque verſionibus inſultare, Fromonde: nec papulas alienas obſerva, quo uſque adhuc ſacrum codicem habes ulceribus undique obſitum. Nos in nulla verſione acquieſcimus, vos verò ô cæci, contra conſcientiam acquieſcere cogimini, in impura & ſordida tranſlatione, in qua, quò quiſque eſt doctior, plura etiam deſiderat. Non noſtra, ſed veſtra ſunt Biblia, quæ illoto ore pag. 112. *omnibus Vertumnis mutabiliora vocas*. Vide modò, qui nullos libros vidiſti, Bellum Papale Thomæ Iameſii oſtenſum tibi à Voetio. Nulla Biblia pro authenticis præter originalia agnoſcimus. Textus Hebræus veteris Teſtamenti, & Græcus Novi nobis eſt authenticus, in eo nihil mutamus, aut cancellamus. Quatenus cum eo Verſiones conſentiunt recipimus, quatenus diſcrepant rejicimus. Miſella verò veſtra Biblia parere coguntur ambitioni Pontificum: quandocunque illis tantum lubitum eſt: in iis omnia pervertere, mutare, & corrigere poſſunt. Quamvis autem mille annos iis corrigendis vacent, nunquam tamen ſanabunt, aut perficient. Tenebras tenebris fugare volunt, & febrim extinguere vino. Non ad Hebræos, & Græcos fontes, niſi fortè Clemens VIII. in quibuſdam locis ſed Mss. exemplaria Latina, ea exigunt. At quid aliud boni à tali emendatione provenire poteſt, niſi ut Proteo perpetuò Biblia mutabiliora ſint.

XIII. Denique pag. 113. ad doctrinam, ob quam tot hactenus verba fudit, accedit. *Itaque*, inquit, *mi Voeti, niſi Eccleſiæ Catholicæ, & SS. Patrum Commentarios in manum accipitis, tenebras tantùm, & errores loquentur vobis Scripturæ*. Σοφῶς! Eccleſiæ Catholicæ commentarii elucidabunt mihi Scripturam. Sed dic mihi Dn. Doctor in quo antro latitat hæc Eccleſia? Eſtne cætus omnium Electorum? an concilium Oecumenicum? An communio omnium Chriſtianorum? An conſenſus DD. Chriſtianorum? An conſenſus Epiſcoporum? An Papa cum delectis Cardinalibus? an verò Papa ſolus? Dic mihi aliquid, & monſtra hanc Chimæram, ut ab ea verum Scripturarum ſenſum diſcere poſſim. Etenim quicquid de Eccleſia Catholica, Eccleſia Catholica ad ravim cum tuis garris, non niſi ſomnium, & monſtrum eſt. Commento de Eccleſia millenas animas ad Infernum vobiſcum abripitis. Vultis nos obſequi Eccleſiæ, & miſeri, cæci, ac ſtulti doctorculi dicere non poteſtis, aut audetis quid Eccleſia ſit. Quando liberè, & ſine ambagibus loquimini Dn. Deum Papam virtualiter Eccleſiam eſſe ſtatuitis. Sed quàm egregia eſt illa univerſitas? Vnus homuncio indoctus, plerunque & ſceleratus, infallibilis erit ſacri Codicis interpres? Molire aliquid, Fromonde, & me docilem, ac facilem deduc ad Eccleſiam. 1. Eccleſiam eſſe cætum Electorum, ut dicas, non eris tam maccus & ſtultus unquam. 2. Si dicas eſſe concilium Oecumenicum, oſtendam pleraque concilia Oecumenica, quæ legitimè fuere habita uſque ad concilium Conſtantino-

politanum III. favere utroque pollice nostræ Ecclesiæ,& interpretationi. 3. Si statuas Ecclesiam esse communionem omnium Christianorum, è vestigio causâ cades. Nam ne quinta quidem pars Christianorum unquam approbavit doctrinam Papanam. 4. Dices fortè Ecclesiam inveniri in consensu DD. Christianorum. Sed despiciamus an illi stent pro Papatu: Præterquam enim quòd Patres qui intra sexcentesimum annum à Christo nato vixêre aut plerique, aut saltem saniores ex iis nostræ Interpretationi in articulis fundamentalibus faveant, Thomas Mortonus quoque omnia capita religionis nostræ, cum probationibus eorundem, ex ipsis tuis DD. probavit. Quòd si velis, quoque ex doctioribus inter eos, omnes nostras interpretationes, quas tu blasphemo ore *somnia* vocas, probabo. 5. Sed quid si Ecclesiam statuas in ὁμονοίᾳ Episcoporum, non admodum tamen nos percelles? In medium prodeant Episcopi, qui intra quadringentesimum annum à primis Ecclesiæ incunabulis vixere, & si vel Diogenis laternam accenderis, ne unum tamen inter tam multos invenies, qui examussim vel in uno etiam Papali dogmate formaliter ita dicto, præsenti tuæ schismaticæ Ecclesiæ faveat. 6. Confugito etiam ad Papas, eorumque scita, collecta à dormitante Gratiano in Corpore Iuris Canonici, & te insequemur. Si ex iis pleraque capita religionis, in quibus à vobis discrepamus, ad nostram mentem non probavero, me calumniatorum maximum vocato. Et ne putes me solum tam audaculum esse, Hallerum, & Apologiam Innocentii Gentileti I. Consulti egregii accedito, & hanc operam solidissimè, jam pro me præstitam esse deprehendes. Nihil ergo restat, quàm ut contra clamosam Sorbonam: aut Conciliabulum Tridentinum, aut solum Vrbanum VIII. cum paucissimis Cardinalibus bellulam hanc Ecclesiam Catholicam esse statuas. Subtilitates, quibus nos petes, hilari vultu in sinu excipiemus. Sophisticam cellulam modò ingreditor, cum bono Deo arenâ non excedemus. Nihil gratius nobis est quàm de his controversiis vobiscum velitari. Sed quod petimus, nunquam præstabis. Declamationes pueriles, à solidis disputationibus toto cælo distant. Ecclesiæ adjungis Patres. Quid verò Patribus cum ecclesia est commercii? Aut Patres constituunt Ecclesiam, aut supervacuè Ecclesiæ judicio adduntur. Vbi unquam curia nomine suo, & advocatorum pronunciavit sententiam? Patres advocati sunt, nec Ecclesiam constituunt, nec Ecclesiam perficiunt: quando cum Sp. sancto loquente in Scriptura loquuntur audiendi sunt, & Ecclesiam defendunt: Aliàs rejiciendi, & nullo loco habendi. Scivere hoc prudentissimi quique ex Papanis. Qui in Papatu proximo hoc seculo doctiores, subtiliores, & fervidiores Baronio, ac Bellarmino fuere? uterque autem Patrum scriptis vim obligandi denegat. Ita enim Baron. tom. 1. ad annum Christi 34. §. 213. loquens de Patribus: *Eos*, inquit, (*quantumlibet Sp. sancti gratiâ præ cæteris imbutos fuisse liqueat*) *non semper, & in omnibus Ecclesia Catholica sequitur.* Et Bellarm. lib. 2. de Conc. cap. 12. *Patrum*, inquit, *scripta non sunt regulæ, nec habent autoritatem obligandi.* Rectè. Vtinam perstitissent Sophistæ in ea sententia! Sed ita proloqui solent quando Patrum authoritate os illis obturatum est, ac aliter elabi non possunt. Quemadmodum avicula illa ex genere ἀμφιβίων, cujus mentionem facit Leo Afer lib. 1. descr. Africæ cap. ult. inter pisces se abdebat quando aves tributum pendebant, & contra cùm pisces censerentur, inter aves volitabat. Ita Papani quoque si leviter tantùm Patres faveant, manibus pedibusque pro eorum infallibili authoritate digladiantur. Quando vero obsunt, acerrimè eos insectantur, nihilque ad convitiandum & calumniandum reliqui faciunt. Ex Patribus vis, Fromonde, me discere verum Scripturæ sensum. Dic, & explica quos per Patres intelligas. Clamabis scio, te intelligere *Ignatium, Irenæum, Iustinum Martyrem, Clementem Papam, Origenem, Tertullianum, Cyprianum, Lactantium, Chrysostomum, Augustinum, Hieronymum, Ambrosium, Damascenum, Prudentium, Theodoretum, Euthymium, Theophylactum*, reliquosque quos vulgò adducitis. Sed quales hi testes? Omnes οὐκ ἄξιοι ὀβολοῦ. Negabis scio. Sed patienter me audi. Omnes ad censuram, & amussim vocabo. Quis antiquior Ignatio? At quantum ei deferendum est? Bellar. lib. 4. de Euch.

26. fidenter pronunciat; *Non multum fidendum esse Græcis ejus codicibus.* Accedo ad Iustinum, & Irenæum. Sed & illi in erroribus hærent. Ita mihi narrat Bellarm. lib. 1. de Beat. Sanct. cap. 6. *Iustinus*, inquit, *Irenæus*, *Epiphanius*, *Oecumenius dicunt Dæmones non puniri pœnâ Gehennæ ante diem judicii, quos quomodo defendam non video.* At fortè Clemens me expediet: Præcidit iterum spem Bellarminus. *Fatemur*, dicit lib. de liber. arbit. cap. 23. *librum Clementis ab hæreticis corruptum fuisse.* Appello Origenem. At quale hoc portentum? Ribera Iesuita comm. in proœm. in Proph. Malach. num. 10. *De Origene*, inquit, *meritò dictum est, quod de eo refert Cassiodorus, ubi bene nemo melius, ubi male nemo pejus. Lectorem requirit prudentem, & sobrium, ut sciat (quemadmodum Hieronymus scribit) in eo detestanda esse quàm plurima, & juxta sermonem Domini, inter Scorpiones & colubros incedendum. Et fuit Origenes olim in veteribus Synodis damnatus.* Forte melior Origene Tertullianus est, eum enim præceptorem suum vocare solet Cyprianus. Sed animum percellit Bellarmini clamor. *Tertullianus*, ait lib. 1. de Beat. sanct. cap. 5. *hæresiarcha fuit.* Qualis verò Cyprianus, fervidissimus ille martyr? Erravit quoque, & homo fuit. *Omnino*, dicit Bellar. lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 11. *peccavit Cyprianus, non obediendo Romano Pontifici, ex ignorantia lapsus putabat Pontificem perniciosè errasse.* Deterior Cypriano Lactantius eodem Bellarmino judice lib. 2. de Imag. cap. 5. dicit, *Lactantius in multos alios errores lapsus est.* Exspectabit fortassis aliquis ab aureo Chrysostomi ore Scripturæ interpretationem? sed fallitur. *Quin Chrysostomus*, dicit Maldonatus, *impetu dicendi cum Manichæis, & Gentibus; qui asserebant homines esse aut naturâ malos, aut fati necessitate ad malum impelli, sæpe naturæ vires plus æquo extollit.* Succedit Augustinus Hipponensis Episcopus, quantus ille Doctor? sed quàm parum utilis? deceptus in multis fuit miser. Audi Bellarminum. *Augustinus*, dicit lib. 1. de Roman. Pontif. cap. 10. *ignorantiâ linguæ Hebraicæ fuit deceptus.* Hieronymo quamvis & Græcè, & Hebraicè sciverit, nihil tamen tribuere audeo. Fuit enim Aërianus hæreticus. Medina apud Gregor. de Valent. lib. de Episcop. & Presbyt. differ. cap. 3. *Hieronymus*, ait, *hac in re cum Aërianis hæreticis sentiebat.* Quid Ambrosius? ne is quidem defœcatus. Commentarios ejus, ne quidem opus esse hominis Catholici, nedum Ambrosii testatur Bellarm. lib. 2. de Euch. cap. 14. Quid Damascenus ex oratione ejus pro Defunctis, possem quid de fermento Romanismi imbibere, si Bellarm. lib. 2. de Purgat. cap. 58. non negaret hunc librum Damasceni esse. Venio ad Prudentium. Sed is fuit poëta, quid ille doceret? Bell. l. 2. de Purgat. cap. 18. *Sic*, inquit, *cecinit in hymnis Prudentius, aliud nihil respondeo, quàm more poëtico lusisse Prudentium.* Supersunt Theodoretus, Theophylactus, & Euthymius. Sed quales illi? De Theodoreto Gregorius de Valentia lib. de Transf. cap. 8. *Theodoretus*, dicit, *de aliis quibusdam erroribus in Concilio Ephesino notatus erat, etiamsi resipuerat.* De Theophylacto Bellarm. lib. 2. de Christo. *Theophylactus*, ait, *scismatis tempore vixit, ergo in hac causa de Spiratione Spiritus sancti, ejus autoritatem non recipimus.* Idem sic de Euthymio lib. de beat. Sanct. cap. 4. *Non magni*, inquit, *faciendus est Euthymius, est enim omnium recentissimus.* Et hi sunt, mi Fromonde Patres, à quibus Scripturarum intelligentiam me discere superciliosè jubes. Nisi tu forte alios sub limine Bibliothecæ tuæ conditos habeas. Profetto quæso eos, nominato, & edito. Quid invides monstrosæ tuæ Ecclesiæ monstrosum fœtum? Vt verò videant omnes, qui oculos habent, quàm parum vobis faveant Patres, thesin statuo, quam si solveris, totam causam tradam, & Papæ patrocinium suscipiam. Ita verò dico:

Ne duo quidem ex Patribus probæ notæ qui vixere intra quadringentesimum à Christo nato annum, de uno dogmate ita examussim, & per omnia sensere, & scripsere, quemadmodum hodie de eo contra Reformatam Religionem sentiunt, ac scribunt Papani Doctores.

Vel in uno dogmate tantum, Fromonde, harmonicum consensum duorũ Patrum ostende, & repente in tua castra confugiam. Sed haud facies unquam. Conare tamen aliquid. Et si deprehendas te nihil posse, ingenuè novitatem tuæ Doctrinæ fatere. Si intra annum non respondeas huic thesi, aut responderi cures,

cures, trophæum erigam de devicta antiquitate, ac epinicion canam.

XIV. Non possunt ergo aut Patres, aut Ecclesia Chimærica judex, & interpres infallibilis Scripturarum esse. Alio interprete, alio judice opus est. Quis verò ille præter ipsam Scripturam esse posset? Chrys. hom. 3. in Gen. *Scriptura*, inquit, *se ipsam exponit, neminem errare sinit*. Et præclarè August. lib. 2. contra Donat. cap. 6. *Nulla obscuritas est in Scripturis, sed si manu mentis tuæ Scripturarum januam pulsaveris, paulatim incipiens colligere rationem dictorum, aperietur tibi non ab alio, sed à Dei verbo, quia solus Iesus in Evangelio suo mysteria legis revelavit*. Quid mirum autem? ita etiam ipsi Papani Doctores statuunt. Canus lib. 7. loc. Theol. cap. 3. n. 13. *Non enim*, inquit, *sensum quem intrinsecus attuleritis, alienum & extraneum debetis, sed ex Scripturis sensum capere veritatis*. Greg. de Valentia Analys. l. 8. cap. 5. *Christus docuit Scripturam Scripturæ conferendam esse, si in Scripturarum lectione errare nolumus*. Et clarissimè Acosta Ies. lib. 3. de Christo Revel. cap. 21. *Nihil*, ait, *perinde mihi videtur Scripturas aperire, atque ipsa Scriptura: itaque diligens, attenta, frequensque lectio, tum meditatio & collatio Scripturarum omnium, summa regula ad intelligendas Scripturas mihi semper est visa*. Sexcenta possent amplius ad hanc mentem colligi. Sed hæc sufficiunt. Si hæc perpendisses, Fromonde, non hac calumniâ nos traduxisses, dicendo pag. 113. *Vnusquisque vestrum è cerebro, & conjectura sua sensum sibi placentem literæ suggerit, & in favorem suum loqui compellit*. Nosne hoc facimus? Non probabitur in seculum. Quod omnes Docti apud vos interpretes, ex ipsis Scripturis veram interpretationem cujusque loci rimamur, & quæ fidei analogiæ, scopo authoris, antecedentibus, & consequentibus magis convenit, amplectimur. Sed alia est ratio cur Patres præponi mereantur nostris Doctoribus. Ita enim Censor pag. 114. *Vtri*, inquit, *fideliores Scripturæ interpretes, SS. Patres, quorum tanta hactenus in Ecclesia Catholica autoritas, & in multis peculiari Spiritus sancti lumine videntur afflati, an Lutherus, Zuinglius, Calvinus, Voetius, qui doctrinâ, sanctitate, & tot aliis virtutibus infra ipsos immani intervallo positi, quique etiam inter se discordes*, &c. Lepidè. At qui sunt hi Patres? non illi, quos recensuimus Sect. super. Certè illi omnes aut hæretici, aut heterodoxi, aut errones sunt. Aut alii præter eos sunt intelligendi, aut hæretici cum hæreticis paria facere possunt. Errarunt Patres, & quia fuere homines, nihil illud mirum. Simplicis laici, vox inhærentis fundamento Scripturarum præferri meretur erranti Papæ, & Concilio, ergo multò magis Patribus? Rectè Gerson part. 1. de exam. Doctr. Cons. 3. *Plus credendum est simplici assertioni alicujus simplicis, & non autorizati, excellenter in Scripturis eruditi, quàm declarationi Papæ: & talis eruditus, si ipse præsens in Concilio esset, deberet se illi opponere, si sentiret majorem partem ad oppositum Evangelii, vel malitiâ, vel ignorantiâ declinare*.

XV. Denique incurrit Censor in Voetium, quòd dixerit Ecclesiam VVitebergensem fuisse judicem doctrinæ Lutheri, Basiliensem Oecolampadii, &c. Sed quid hic tantopere peccatum? Voetius loquitur partim de judicio discretionis, partim decisionis, quod vocant subordinatum, seu publicum Ecclesiasticum. Quis discretionis judicium deneget vel uni Christiano? Apostolus scribens ad Corinthios, inter alia dicit 1 Cor. 10. vers. 45. *Vt intelligentibus loquor, vos ipsi judicate, quod dico*. Si judicare potuit Ecclesia Corinthiaca de doctrina, certè & judicare potuit VVitebergensis, Basileensis, &c. Omnibus, & singulis dictum est 1 Ioh. 4. vers. 1. *Probate spiritus*. multò ergo magis Ecclesiæ, quæ ex singulis colligitur. Præterea accedit judicium publicum, quod quidam haud malè decisionis & ἡγούμενον vocant. Quamvis in se & suâ natura absolutè non sit infallibile. Nec hoc est, Ecclesiam quamvis particularem constituere interpretem supremum, & infallibilem, & universalem qualem vos somniatis esse Papam, aut Concilium, ut vult Sorbona Scripturarum? Minimè gentium. Hæc toto cælo distant. Nec est absurdum, ut vult Censor, si judicium discretionis cuilibet etiam laico concedatur, aut judicium decisionis cuilibet Ecclesiæ particulari sive parochianæ, sive provinciali, sive nationali in causa alicujus pastoris sui. Non secundum corruptam rationem & imperitiam judicant de pastoribus suis vel au-

ditores

ditores singuli, vel integræ Ecclesiæ, sed secundum Scripturam, & ex Scriptura, quæ non solùm sui est interpres, sed cujusvis etiam interpretationis infallibilis judex. Iudicat ipsa Scriptura de omnibus interpretationibus, æquè ac recta regula, de quacunque scæva, & curva. Quilibet Christiani regulam illam interpretationi applicant, & simul de ea discernunt, ac judicant, æque atque faber, quando operi, quod molitur amussim applicat. Abusus si quis aut error sit in applicatione, is hominibus imputandus, qui ex scriptura ejus arguendi sunt. Quod tamen de VVittenbergensi, Tigurina, Basiliensi, &c. ne quidem probare audebit Censor. Præclarè Optatus Milevit. l. 5. contra Parmenianum, disputans de rebaptizandis hæreticis; *Quærendi*, inquit, *nobis sunt judices, de utraque parte Christiani dari nequeunt: Ergo de foris quærendus est judex: an Paganus? is divina secreta non novit. An Iudæus? is baptizatos contemnit. Ergo de terris nullus occurrit; de cælo petendus est judex: sed quid ad cælum pulsamus, cùm hic habemus Euangelicum Testimonium, in quo possunt humana cum terrenis comparari.* Optimè, & prorsus ad Voetii mentem. Desine ergo in posterum, Fromonde, maledicere Voetio, aut te Orthodoxorum Patrum Canem appellabimus.

CAPVT XXIV.

Quo respectu dixerit Voetius Patres esse obscuros. Quantum Patribus deferendum sit. Vulgus debet Scripturas legere. Athei non sunt convincendi testimoniis Patrum. Primi Reformatores non acceperunt Biblia à Papatu. Fromondus nescit quid sit Inductio. Papana factio non est Ecclesia Catholica.

I. ACcedimus ad examen capitis XXII. quod cùm sit lacinia præcedentis, non potuit non ineptiis, ac nugis etiam pictum esse. Initiò Voetius traducitur, quasi nolit dogmata religionis suæ examinari ad scripta Patrum, quod illa respectu Scripturæ, intricata, & contradictionibus ubique perfusa sint. Incessit Voetium Censor, quasi simpliciter esset locutus, cùm tamen cæco appareat eum cum respectu ad Scripturas esse locutum, quæ lucerna sunt, & in quibus contradictionis umbram ne ipse Lynceus quidem deprehendere potest. Et male hoc à Censore probatur ex interpolatis & Punicâ fide distractis verbis pag. 426. Desp. Causæ. Hoc tantùm ibi dicit Voetius, non opus esse ut omnes, qui vulgò laici vocantur, præcisè sciant, *quinam fuerint omnes illi, in quibus ἰσότιμ@ πίστις jam per 16. secula habitaverit.* Vide quæso, Lector, ipse locum illum, & de malitia Fromondi calculum ferto. Frustra verò, & oppidò quàm ridiculus est, cum dicit pag. 126. *Petis igitur principium, & supponis verum esse id de quo acriter disceptamus; nempe veram Scripturæ sacræ intelligentiam, & fidem orthodoxam penes vos esse, ideoque filios Dei, hæredes, cognatos, &c. etiam esse; cum tamen certissimò ex scriptis Patrum, & antiquæ Ecclesiæ fide demonstremus vos Scripturam non intelligere.* Quæ vertigo est, si hæc non est? Multa in his verbis falsa. 1. Non præsupponimus, sed probamus fidem orthodoxam penes nos esse. Et quidem hoc apodictico argumento, quia fides nostra examussim Scripturæ convenit. Nec opus est ex Patribus quærere an legitima nostra probatio sit. Sufficit ipsam Scripturam pro nobis stare. Qui ei obloquitur, apertè Scepticismum suum prodit. Nemo sanus cum quid videt, testes flagitabit, qui asseverent se videre. 2. Pessimè, quæ à Patribus de Hæreticis Scripturas detorquentibus, dicuntur, nobis applicantur. Probetur ante nos hæreticos esse, & hæreses fovere, & Patres de nobis prophetias edidisse fatebimur. 3. Falsissimum est ex antiquæ Ecclesiæ fide probari posse nos esse inimicos Dei. Si mendax, & blasphemus, Fromonde, haberi non cupis, probato hoc. Enimvero quamvis in ritibus quibusdam ab Ecclesia, quæ quadringentis primis annis fuit, discrepemus, in summa tamen doctrinæ, & præcipuis dogmatis amicè cum ea nobis convenit: cùm Papana synagoga multis parasangis ab ea recesserit. Dein Patres, quos Voetius, intellectu difficiles, & obscuros in multis locis esse solidissimè probavit, ita defendit Fromondus p. 127. *Quid*, inquit, *absurdius, quàm asserere omnes passim Glossas textu obscuriores, & SS. Patrum lucidissimos plerosque commentarios, Conciliorum-*

quæ decreta lucem Scripturæ sacræ non afferre, sed pari, aut majori caligine laborare? Argutè, sed falsò. 1. Voetius locutus est non de hoc, aut illo Patre, sed Patrum consensu: neque enim unum Patrem fautorem errorum suorum, sed universos jactare solet Papana factio. 2. Glossas multas, & commentarios non tam illustrare authores quàm obscurare præter Theologos, lubentes fatentur quoque Iurisconsulti, Medici, & Philosophi: imo etiam conqueruntur. 3. Malè Patrum commentarii in Scripturas, *lucidissimi* vocantur. Præter Origenem & Hieronymum nemo ex Patribus scivit Ebraicè. Quid autem singularis, & tam extraordinariæ lucis sperandum est ab Interprete, qui ignorat linguam authoris in quem scribit? Vt nihil jam dicam de allegorizandi prurigine, quâ plerique ex iis laborarunt. Egregiè, & prorsus ad mentem hanc Salmeron Comm. in 2 Tim. 3. *Doctorum*, inquit, *Patrum scripta, in quibus multa sunt tribuenda Spiritui sancto, nonnulla tamen inconstantis veritatis, & interdum lapsus gravioris: ita ut sola sacra Biblia digna sunt, quæ absolutè dicantur Scriptura.* 4. Patres per omnia non sequuntur ipsi Papani Scriptores, ut supra à nobis est ostensum. 5. Si Patrum commentarii sunt lucidissimi, frustra ergo quotidie in Papatu tot novi commentatores, & commentarii prodeunt. Stultum est Solis lucem flaccidâ, & marcescente lucernâ juvare. 6. Conciliis malè etiam tribuitur jus infallibile Scripturas interpretandi: errarunt illa, & errare possunt, ut ipsi Papani fateri coguntur. Sed egregie Voetius, si credimus Fromondo, se suo gladio jugulat. Pag. 543. *Iansenium provocat ad officinam Scripturarum & Patrum.* Ad hoc ita cornicatur Censor pag. 127. *Quin potiùs in Trophonii antrum, aut in fossam Carbonariam eum vocas*, &c. piget enim omnes ineptias verborum exscribere. Resp. 1. Quid vesanius vel cogitari posset? An non Voetius æque Iansenium ad officinam Patrum, qui respectu Scripturæ obscuri sunt, vocare potuit, ac vos ad officinam DD. nostrorum nos citatis aliquando, studentes ex iis nos confundere & explodere? 2. Vt ut Patres contradicendo sibimet ipsis, & aliis obscura reddunt scripta sua, non tamen favent Papanæ Synagogæ, aut Antichristo, ejusve idololatriæ. Si quis animus tibi, Fromonde, jugula nos telis ex Patrum officina depromptis. Capite superiori Thesin statui, eam oppugna. 3. Quæ hæc consequentia, Voetius vocavit Iansenium ad officinam Patrum, Ergo Patres respectu Scripturarum non sunt obscuri. Fromondus amisit ocularia sua, vocat famulum ut candelam accendat & ea quærat, ergo candelæ lumen non est obscurum comparatum cum cælestis jubaris luce. Sed alia ratio est cur mentitus est Voetius, comparativè Patrum scripta obscura vocando, pag. 118. *Lutherus dixit se pulchrè nosse quid Ambrosius, Augustinus, & Concilia dicerent. Calvinus amplectitur quatuor synodos Oecumenicas: & aliquam Ecclesiæ faciem se ex Basilii, Chrysostomi, Cypriani, Ambrosii, & Augustini scriptis deprehendere fatetur.* Quæ hic consequentiæ ratio? aut cujus Logicæ regulæ vi hoc argumentum procedit? Etenim, an non obscura est Platonis Philosophia, respectu Philosophiæ Peripateticę. Quis tamen dicat in Platone nihil videri posse, & ne quidem sublimia ingenia ejus mentem percipere? Dic mihi, Fromonde, an non statuas librum Revelationis, propter prophetias, quæ necdum impletæ sunt, esse obscurissimum inter omnes libros Novi Testamenti? quis tamen unquam præter te tam insulsus fuit, ut cum nostri ex eo probant Antichristum venisse, & sedere Romæ, hoc absurdum inde elicuerit: quod librum in se obscurum, statuant esse lucidissimum? Obscuri sunt multi authores, sed tamen percipi potest eorum mens. Non magis ergo Lutherus & Calvinus Voetio obloquuntur, quàm Professores Metaphysici, quia perspectam habent Primam Aristotelis Philosophiam, libros quos de iis conscripsit etiam clarissimos esse. Dein Augustinum adducit l. 3. de Bapt. contra Donat. cap. 4. & lib. 1. contra Crescen. cap. 33. utrobique autem fatetur se tribuere quid consensui Doctiorum, & Ecclesiæ universali. Sed quid hoc ad rem? Fiat argumentum: *Augustinus amplectitur sententiam eorum, qui doctiores erant, & Ecclesiæ universæ, Ergo Synagoga Romana est infallibilis Scripturarum judex, ac interpres.* Quæ consequentia, æque insulsa, cogitari posset? Proba, Fromonde, particulare idem esse quòd universale, &

vix tertiam Europæ partem, totum orbem Chriſtianum, & Auguſtinum tuum eſſe dabimus. Sed dices: Auguſtinus revocatum ſe eſſe fatetur à *doctioribus*. Quid tum? Quorum authoritate movebatur Auguſtinus, illi reverà erant doctiores Donatiſtis. Iam fac conſequentiam: Ergo *Patres antiqui ſunt doctiores interpretes in omnibus quàm moderni*. At quot non ex tuis hoc inficias ibunt? Non ferent ſanè *Cajetanus, Ribera, Maldonatus, Pererius, Vega, Salmeron, Bellarminus, Suarez, Vaſquez, Medina, Cornelius à Lapide*, aliique. Paſſim enim recedunt à communi Patrum ſententia, ac interpretatione.

II. Dein oblatâ tantum occaſiunculâ pag. 119. in vulgus noſtrum ſtomachatur, quòd Scripturam legat, & neſcio quos non, ſenes, pueros, puellas, omnem ſexum, ordinem ac ætatem inſectatur, quòd Scripturarum lectioni incumbat. O blaſphemum os! Nolo jam Patres ad ſuffragia vocare, qui hanc diligentiam in omnibus urgent. Fecere hoc millies DD. noſtri. Suffecerit noſtros ex ipſis Papanis DD. in præſens purgaſſe. Eſpenſ. Comm. in 2 Timoth. 3. *Iudæi*, inquit, *filios ſuos quinquennes ad ſacra Biblia adaptabant, & primum locum in informandis pueris ſacris literis, unde auſpicabantur, tribuebant, quod ex priſca conſuetudine Iudæos Euſebius ad ſua tempora ſervaſſe ſcribit. Pudeat igitur Chriſtianos ab hac cura alienos eſſe, neque enim hæc nova, aut mea, ſed eſt Patrum antiquorum querimonia.* Acoſta Ieſ. l. 2. de Chriſt. Revel. cap. 5. *Legens mente purâ, plura intelligere de Sanctis Scripturis poſſit, quàm magnâ vallatus copiâ commentariorum aſſequi poſſit: quod ego ſanè veriſſimum eſſe teneo, ſi de ea ſcientia agatur, quæ non inflat. Equidem vidi viros prorſus illiteratos, & vix Latinè ſcientes, ex Scripturis tanta depromere, ſenſuſque eos afferre, ut penitus miratus ſim, neque dubitaverim longo gymnaſii Biblici terendi tempore, nihil tale homines diſcere. Spiritualis enim omnia dijudicat.* Salmeron. Ieſuita Comm. in 3. Ep. Ioh. *Mirantur*, inquit, *quidam hunc librum ſcriptum eſſe ad mulierem, quaſi verò novum ſit conſcribi libros Canonicos ad erudiendam plebem Chriſtianam, quæ conſtat ex maſculis, & fœminis. Hujus factum imitantes veteres Patres, multas Epiſtolas conſcripſere ad mulieres, ſed omnium maximè Hieronymus, qui tot ſacros libros elucubravit, & tractatus elaboratos ad illuſtres fœminas dedicavit: & quærentibus cur fragiliorem ſexum ſcribendo honoraret, reſpondet in Epiſtola ad Principiam: Si viri, inquit, de Scripturis quærerent, mulieribus non loquerer: ſi Baruch ire ad prælium voluiſſet, Deborach de victis hoſtibus non triumphaſſet: Sexus devoratur à virgine, Chriſtum portat in corpore.* Hæc Hieronymus. *Dices poſſe mulieres erudiri de Scripturis, ſed non ſpectare ad eas alios inſtituere. Reſpondeo, quòd etſi earum munus non ſit loqui in Eccleſia, poſſunt tamen, imo debent domeſticos ſuos, ac familiares docere, ſi ignari exiſtant. Nam Apollo doctorem eloquentiſſimum, & in Scripturis potentem Priſca & Aquila in via Ieſu inſtituerunt. Vt habes Act.* 18. Arrige aures, Fromonde, & Biblicis noſtris ſororibus maledicere deſine. Garrit dein quædam de coquo, quem ut eſt apud Theodoretum, Baſilius reprehendit, & res ſuas curare juſſit, quòd *ἀπερσοδιόνυσα*, & inepta quædam ad turbandam diſputationem cum Arrianis inſtitutam in medium protuliſſet. Sed tam infrunitum hoc, ut ferreæ Fromondi fronti ruborem incuſſerit. Non comparet enim in omnibus exemplaribus, & currente jam prælo, ab ipſo Cenſore atroci ſtylo jugulatum videtur. Poſtea, ut excuſet laicorum ſuorum inertiam & cæcitatem, quibus non vacat vel ex una Baronii Epitome ſucceſſionem Eccleſiæ diſcere pag. 119. dicit *ſufficere, ſi utantur oculis, & ſtudio Doctorum quos ad rudium & ſimplicium eruditionem Eccleſiæ ſuæ ſubminiſtrat Deus.* Sed quid ſi viæ duces, ut plerumque fit, cæci ſint, & plus quam trunci & ſtipites? Enimvero quotuſquiſque ex animarum curatoribus, parochis, & ſacrificulis eſt, qui vel à limine ſalutavit hiſtoriam Eccleſiaſticam, & vel enumerare poſſet authores qui eam deſcripſere. Nec omnibus vacat in Belgio accedere, inſeſſores ſcilicet Patrum, eorumque uti oculis, verbi cauſa reverendi Ianſenii, &c. Quid fiet ergo ſimplicibus laicis? Imo, Fromonde quid fiet tuis diſcipulis, quibus monſtroſæ Eccleſiæ larvam oſtentas. Iurare auſim, te ne manuale Becani quidem, nedum Baronium, Euſebium, Onuphriũ, Platinam, &c. evolviſſe. Illud enim ſi legiſſes, noſſes ſaltem controverſiarum Status.

III. Sed alio argumento Cenſor, fugat caliginem, quam oboriri Lectori in Patrum ſcriptis, dixit Voetius. *Si*, inquit, pag. 120. *conſenſus Patrum, & antiquæ Eccleſiæ in fidei dogmatibus tam obſcurus & incertus eſt, quàm eum facis, jam ex iſto ſapientiſſimorum hominum circa Dei exiſtentiam, providentiam, &c. conſenſu, nihil adverſus Atheos deſumi poterit: imo totam Scripturam ſacram, Chriſtum, & univerſa dogmata Chriſtiana in dubitationem, & diſcrimen apertum vocas.* Næ, tu Fromonde, te ſophiſtam magis, quàm theologum eſſe apodicticè probas. Quid Atheis commune cum Scriptura, & Patribus. Miror, te tantum theologum ignorare ex libro naturæ argumentandum eſſe contra Atheos. Si vel unquam, Thomam contra Gentes videris, ignorare non potes, rationibus, & argumentis obduros Atheorum animos eſſe obtundendos. Malleos Scripturarum confringas antè, quàm hominum illorum adamantinos vultus. Vt contra Iudæos non valet authoritas Novi Teſtamenti, aut Patrum, ita nec contra Atheos authoritas Scripturarum. Cœlum, terra, mundus argumenta contra eos ſuggerunt. Si millies Atheis conſenſum Patrum objicias, tantundem efficies ac ſi diſſlare Atlantem aggrediaris. Vniverſalis hominum conſenſus de Deo, & Dei providentia adferri ſolet contra eos, non verò paucorum antiquorum Scriptorum authoritas: Sed ſaltem Patrum conſenſus, dicet Cenſor, evincit librorum Canonicorum authoritatem eſſe divinam. Conclude, jam ergo Patres non ſunt obſcuri. Tantundem facis ac ſi ſic argumenteris: Iulius Cæſar erat calvus, Ergo C. Octavius ei ſuccedet. Quatenus Eccleſiæ Conſenſus probet authoritatem ſacri codicis infra videbimus in examine Scepticarum quæſtionum à Ianſenio propoſitarum. Hoc tantum dico: etiamſi omnium Patrum ſcripta interiiſſent, poſſe tamen integrum eſſe hunc conſenſum, æque ut ad tempora Moſis Dei promiſſio de ſemine benedicto in familia & poſteris Abrahami conſervata, ac propagata eſt. Non tres quatuorve Patres conſenſu ſuo authoritatem tribuunt libris Canonicis: ſed conſenſum illum fuiſſe univerſalem ſolummodo annotant. Adhoc nihil facit hic conſenſus ad coarguendos infideles, & Atheos. Millies Iudæo, aut Turcæ cantilenam de conſenſu Patrum occinito, & uterque te velut inſanum explodet. Alia argumenta Scriptura ipſa in ſe habet latentia, quibus majeſtas, & authoritas ejus, quando Deo cooperari placet, facilè & ſolidè ſtabiliri poſſunt. Vide verò, mi Doctor, quantopere ipſe faveas Atheis, qui perquàm ridiculè eorum fautorem ſtatuis eſſe Voetium? Verè Thomas part. 3. qu. 2. *Irridendi occaſionem ſunt Athei nacti, cùm divina non divino modo tractantur.* Sed quorſum nugas has adducit Fromondus? Vt Helenam ſuam, ſchiſmaticam, nempe Romanam factionem, probet eam ipſam eſſe, quæ de hoc conſenſu teſtatur. Ita enim dicit; *Igitur*, inquit, *ab Eccleſia Romana Lutherus, Zuinglius, cæterique reformatores Biblia acceperunt.* Quàm ridiculè. Quaſi verò eodem tempore Eccleſia Orientalis atque VValdenſes in Galliis Huſſitæ in Bohemia, &c. non haberent Biblia, & idem ſit Roma quod totus orbis. Ita & Phariſæi ſi tam ſubtiles fuiſſent quàm Lovanienſes Doctores, Chriſto exprobrare potuiſſent, quòd ſua eſſent Biblia, & codices, ex quibus docebat, & eos redarguebat. Sed non erant ita verſati in Sophiſtica, ut tales Achilles texerent.

IV. Dein reponit, quod Voetius ſolidè ex Cypriano diluit: nempe quod fervidiſſimus Martyrum pro erronea ſua opinione de rebaptizandis hæreticis conſenſum Eccleſiæ Catholicæ laudaverit. Negat hoc Fromondus, & more ſuo, quàm immodeſtè in Voetium debacchatur: pag. 121. *Sic*, inquit, *Voetius lectores ſuos incautos decipit, & tam ſecurè quidlibet loquitur, quàm ſi apud Sileni aures blateraret.* Bona verba, mi blatero: nimis verbosè te hoſpitem in Cypriano & omni antiquitate eſſe oſtendis. Sed audiamus ipſum Cyprianum. Ita is in Ep. ad Pompejum, contra epiſtolam Stephani: *Quia*, inquit, *deſideraſti in notitiam tuam perferri, quæ mihi ad literas noſtras Stephanus frater noſter reſcripſerit, miſi tibi reſcripti ejus exemplum; quo lecto magis ac magis ejus errorem denotabis, qui hæreticorum cauſam contra Chriſtianos, & contra Eccleſiam Dei aſſerere conatur: Nam inter cætera vel ſupervacua, vel ad rem non pertinentia, vel ſibi ipſi contraria, quæ imperitè, atque improvidè ſcripſit etiam illud adjunxit, ut*

diceret: Si quis ergo à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam. Item Epist. ad Quintin. agens de eadem controversia, sub finem testatur *se coepiscoporum in Africa & Numidia sententiam & religiosam, & legitimam, & salutarem, fidei, & Ecclesiæ Catholicæ congruentem sequi.* Item in Epist. ad Iubajanum de eadem quæstione disputans ita inter alia dicit: *Quare Ecclesiæ Catholicæ fidem, ac veritatem frater & tenere debemus firmiter, & docere, & per omnia Euangelica & Apostolica præcepta rationem divinæ dispensationis, atque unitatis ostendere.* Sed quomodo Fromondus probat hanc non fuisse Cypriani mentem. 1. ex Augustino, qui lib. 3. de Baptis. contra Donat. cap. 4. testatur *se revocatum fuisse authoritate aliorum quos vel pares gratia, vel etiam fortasse doctiores Ecclesia toto orbe diffusa pepererat, ne in Cypriani sententiam iret.* Quàm inepta hæc consequentia. Disputamus de facto, an nempe Cyprianus pro se allegaverit consensum Ecclesiæ Catholicæ ut Voetius dixerat, nec negat, nec refellit hoc Augustinus. Sed tantùm se aliorum authoritate revocatum esse testatur ne eundem cum Cypriano errorem erraret. Ita nos in articulis controversis assentientes habemus plerosque doctiores Theologos, quos præcedentia secula, & præsens hoc peperit. Quis tamen inde concludere auderet, impudentissimos Papanos rabulas de facto pro se non allegare, quamvis falsò, consensum Ecclesiæ Catholicæ? 2. Dicit pag. 121. *Cyprianus epistola ad Iubajanum disertè fatetur, consuetudinem Ecclesiæ Catholicæ à Stephano Rom. Pontifice, & cæteris adversariis sibi opponi.* Impudentissimum mendacium! Tota illâ epistolâ ne mentio quidem fit Stephani Papæ. Imo ut ostendimus, in ea consensum Catholicæ Ecclesiæ pro se allegat Martyr. Nisi fortè Lovaniensis Academia aliam Cypriani editionem post castigatissimam scilicet illam Manutii pariat, ut ex ea Voetius redargui possit. 3. Augustinus lib. 2. de Baptism. contra Donat. cap. 8. & 9. *dicit fuisse consuetudinem Ecclesiæ non rebaptizandi hæreticos.* Quid tum? An non Cyprianus tamen Ecclesiæ Catholicæ consensum obtendere potuit? Quos non errores, & vitia mantelo Ecclesiæ Catholicę velat Romana Synagoga?

V. Sed audiamus quomodo Consensum Catholicum cum suis probatum ire velit Fromondus. Post nugas aliquot, quas semper proloquii vice præmittit, ita pag. 122. ait: *Ad noscitandum universalis Ecclesiæ consensum, non est necesse oppidatim, & vicatim peregrinari, sed per inductionem imperfectam, perfectæ tamen similem id effici potest: si nempe multis provinciis enumeratis, simile judicium, & facilis conjectura de cæteris relinquatur.* Quis crederet Fromondum Logicam vel in pariete pictam vidisse. Si valet illud argumentum, valebit etiam hoc. In Germania, Belgio, Anglia, Gallia, Dania, Italia, Hispania, &c. multi homines sunt ægri, Ergo omnes homines sunt ægri. Item, Nulla est regio, quæ non alat multos equos candidos, Ergo omnes equi sunt candidi. Dicit, *Inductio imperfecta, quæ perfectæ æquivaleat.* Quis logicus unquam de hac imperfecto-perfecta inductione somniavit? Quicquid est imperfectum, non potest analogum esse perfecto. Aliàs ille, cui caput est amputatum, æquivalebit perfecto homini: & truncus arbori. Catholicum universale notat. Quis autem unquam dixit, universale multis tantum inesse subjectis speciebus, & non omnibus. Nec est quod κρησφύγετον quærat in vocibus, *Si simile judicium*, &c. Si liquidò constet de simili judicio reliquorum individuorum, aut specierum quæ ob prolixitatem non possunt commodè enumerari, inductio non est imperfecta, sed perfecta. Evanescit autem hoc totum, si tantùm unum individuum, aut species adferri queat, cujus dissimilis sit ratio. Fromondus autem ita Catholicismum suum non potest colligere, quia multæ omni ætate provinciæ fuere, quæ oblocutæ sunt apertè Romanæ tyrannidi. Ergo tantùm de multis provinciis concludere potest. At quid hoc? Si multæ provinciæ persistentes in unione fidei constituunt corpus Ecclesiæ Catholicæ, certè regna quæ Alcorano obediunt Christi Ecclesiis auferent trophæum Catholicismi? Ad hoc manebit incertum perpetuò quibus competat consensus Catholicismi Papanis, an Turcis? Turcę enim multò plures provincias, & regna adducere possunt in quibus toleran-

tolerantur, cætus ſuos habent, & dominantur, quàm illi. Denique, ſi ita liceat Catholiciſmum colligere, ſine æmulo jam pro nobis eum habebimus. 1. Quia poſſumus adducere per omnia ſecula regna, & provincias in quibus ea ipſa doctrina eſt profeſſa, quam jam profitemur. 2. Quia hodie, Deo gratias, multæ provinciæ & gentes amplectuntur noſtram doctrinam. 3. Quia, etiamſi quod tamen falſum, in Occidente non poſſemus oſtendere conſenſum Catholicum pro Doctrina, & Eccleſia noſtra, poſſemus nihilominus in Orientem trajicere ubi multæ provinciæ, & regna inveniuntur, quæ obedientiam jam per aliquot ſecula Romano Deo denegarunt.

VI. Sed quorſum tot bullas efflavit Cenſor ad probandum Catholiciſmum, per imperfectam, hoc eſt vitioſam inductionem? Vt poſſet ſtultum hoc corollarium attexere. Sic autem pag. 122. loquitur: *Denique non eſt opus in Græciam, Armeniam, AEthiopiam, &c. ad ſciſmaticas Eccleſias, & multis erroribus apertè deformatas ire, ut conſenſum Doctorum ibi exquiramus; ſed ſufficit conſenſus eorum qui Eccleſiæ Catholicæ, cujus caput Romæ eſt (rumpatur invidiâ quiſquis volet) adhærent.* Quàm ſtultè! Ita tamen Doctiſſimi quique in Papatu argumentantur. Leſſ. in Conſult. Conſid. 6. *Sola Eccleſia Romana, eique adhærens multitudo, Eccleſia Catholica eſt.* Sed quâ conſequentia hoc probatur. Verum hoc erit cum particula, idem erit cum toto: & Romana Eccleſia erit inviſibilis Eccleſia. Si enim ea eſt Eccleſia Catholica, eſt illa ipſa quam credimus, & profitemur in ſymbolo. Stat autem hoc effatum Gregor. Dialog. 4. cap. 4. *Hoc enim veraciter dicitur credi quod non poteſt videri.* Nec inviſibilis tantùm eſſe debebit Romana Synagoga ſi erit Catholica, ſed Roma debebit æquè latè patere ac hic orbis. Aug. de rudib. Catech. c. 20. *Non hæc aut illa eſt Eccleſia Catholica, ſed toto orbe diffuſa.* Id. de Vnitat. Eccl. cap. 2. *Majores noſtri Catholicam nominarunt, ut ex ipſo nomine oſtenderent, quia per totum eſt.* Ridiculum ergo hoc Fromondi ſomnium eſt, & credendum potiùs Concilio Ferrarienſi, quod ita ſanxit Seſſ. 10. *Quacunque facultate Romana Eccleſi aprædita ſit, univerſali Eccleſiæ inferior ſit.* Ita & habetur in Appendice Concil. Baſileenſ. *Eccleſia Romana non eſt univerſa, ſed eſt de univerſalitate corporis myſtici.* At ut nihil tam abſurdum eſt, ad quod à Papanis aut Patres, aut Scripturæ velut ſordidæ pelles non trahuntur, ita & hic Irenæi authoritate indoctis ſuis Papicolis libenter imponeret Fromondus. Mirare vero, Lector, ejus impudentiam, Voetius idem teſtimonium extorſit Ianſenio, nec non ſolidè ad illud in Deſp. Cauſa pag. 492. reſpondit. Ipſe nihilominus quaſi in ſtatu adhuc ſtaret, & inconcuſſa rupes foret, iteratò adducit. Occurrit autem locus hic apud Irenæum lib. 3. adv. Hæreſ. cap. 3. Nihil verò aliud antiquus Doctor ibi dicit, quàm Romanam Eccleſiam ob urbis celebritatem celebrem, illuſtrem ac famoſam eſſe, ut pluribus oſtenſum eſt à Voetio in Deſper. Cauſa pag. 492. & ſeq. Oſtendimus nos iterum poſt Voetium loco laudato, & in Philonio lit. M. hoc ex integro Irenæi loco, qui ita habet; *Sed quoniam valdè longum eſt in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per ſucceſſionem Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præterquam oportet, colligunt.* Eodem modo Tertull. lib. de præſ. Hæret. loquens de Eccleſiis Apoſtolicis, Corinthum velut exemplum adducit, ſicut Irenæus loco præcedenti Romano. verba Tertulliani ſunt hæc: *Percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur, aqud quas ipſæ authenticæ literæ recitantur, ſonantes vocem, & repræſentantes faciem uniuſcujuſque. Proxima eſt tibi Achaja, habes Corinthum,* &c. Nec quicquam ad rem facit, ut ridiculè urget Fromondus pag. 123. Quod Irenæus hæc verba addat; *Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea quæ ab Apoſtolis traditio.* Vult tantum oſtendere, eo tempore Romanam

manam Ecclesiam perstitisse adhuc in synceritate fidei, ab Apostolis prædicatæ: quod tamen haud magis eam probat esse Ecclesiam Catholicam, quàm Ecclesiam Corinthiacam, quam Tertull. dicit *repræsentasse faciem uniuscujusque*. Pluribus quæso, Lector, de præsenti Irenæi loco differentem vide Voetium locis citatis. Vide quæso, nec pœnitebit. Locum Augustini, & Cypriani, quem dein succenturiat Irenæi testimonio noster Criticus, pluribus infra examinabimus.

CAPVT XXV.

Ridiculè probat Fromondus Papatum ante seculum XI. *fuisse in rerum naturâ. Fromondi Ecclesia aliquando dormit. Papana factio, non eadem est cum Apostolica Ecclesia. Augustinus non fuit pontificius. Vertigo Fromondi multiplex. Bezæ aliquot Animadversiones in N. Test. defenduntur. Qualiter Papani Patrum scripta tractent.*

I. SEquitur ex ordine Caput XXIII. Criseos, in eo haud secus, ac coqui nonnunquam multa jura confundunt, etiam multas ineptias miscet. Principiò ut probet perpetuam successionem Ecclesiæ suæ phantasticæ, seculum 900. quod obscurissimum est obscuritati & tenebris eximere laborat. Sed irrito tamen conatu. *Ex erroribus*, inquit pag. 124. *& præsertim hæresi Sacramentaria Berengarii, post initium anni Christi* 1000. *exortis, facilè apparet, quænam fides & doctrina in præcedenti seculo, ab anno* 900. *ad* 1000. *communi Ecclesiæ consensu recepta fuerit.* Multa falsa, omnia absurda. Resp. 1. Falsum est, & contra omnem Chronologiam, quòd dicit hæresin Berengarii post initium anni Christi 1000. esse exortam. Nisi annus quadragesimus, aut quinquagesimus secundum novos Lovaniensium Fastos incidat in initium seculi. Excutiantur omnes chronologi, & apud nullum Transubstantiationis ante annum 1040. à Berengario oppugnatæ deprehendetur fieri mentio. 2. Falsa hæc consequentia, aliqui Berengario obloquuti fuere, ergo præcedentibus seculis idem sensêre, ac credidêre Patres, quod Berengarii adversarii. Alias hoc sequetur, Pharisæi, & Scribæ opposuere se Christi doctrinæ, ergo & ei contraria fuit doctrina prophetarum. Nova erat doctrina de Transubstantiatione, eòque & à Berengario tanquam nova, & adversa doctrinæ Apostolorum, & antiquorum Patrum est explosa. Liquet hoc ex argumentis Berengarii qualicumque fide citatis apud Lanfrancum. Ante Damasceni ætatem, quæ incidit in annum 750. aut præter propter, altum apud omnes Scriptores Transubstantiationis est silentium. Ab eo tempore zelus & eruditio tum inter clericos, tum & laicos, ut loquuntur, elanguêre; superstitio contra & ignorantia invaluere. Quid mirum verò, si ex talibus parentibus monstrum Transubstantiationis sit editum. 3. Si valet hæc consequentia, jam vicimus. Quia ab anno sexcentesimo & paulò antè doctrina quam profitemur, oppugnata est usque ad hunc diem, certum hoc secundum Fromondum est indicium, continua serie, ac successione Ecclesiam nostram ab ea ætate usque ad præsentem fuisse propagatam. 4. Nihilominus obscurum manet seculum nonum. Nisi fortè ii qui centum annis post vixêre, radiis suæ sanctitatis & eruditionis præcedentes tenebras fugare potuerint. De seculo nono conquerentes supra audivimus Baronium, & Genebrardum. Vtinam verò eis Berengarii venisset in mentem, Ægyptias tenebras unâ face dispulissent! Sed non confidit ipse Fromondus arundinaceo huic scipioni, eòque ita dein dicit; *valetque hic regula I. C. quam alicubi in Ecclesiæ tuæ Cabalisticæ & invisibilis favorem trahis & pervertis: Ex possessione præteriti & præsentis temporis præsumitur etiam medii temporis possessio.* Resp. 1. Voetius hoc I.CC. axiomate tantùm utitur per largam concessionem, loquendo de manifesta & clara successione doctrinæ, & Ecclesiæ nostræ per formulam *Quamvis*, ut videre est in Desp. Causa pag. 626. & seq. Fromondus autem seriò, quia aliud non potest invenire, axioma illud applicat seculo nono, ultro dans præsumi tantum posse, non verò certò credi successionem Ecclesiæ Pseudo-Catholicæ non fuisse interruptam, aut doctrinam obscuratam seculo illo. 2. Si tantùm præsumi debeat successio doctrinæ, seculo nono, ergo tum Ecclesia fuit multis

modis obscurata; quod enim præsumitur non est omnium oculis in propatulo expositum. Atqui ecclesiam suam semper visibilem, & claram fuisse contendunt sophistæ. Bellarm. l. 3. de Eccl. Milit. c. 12. Pergit noster Sophus: *Ecclesia enim*, inquit, *tum è somno velut excitata, vigilare, & fidem quam à majoribus traditam acceperat, sinuque foverat, in Berengarium, & cæteros suos hostes exerere cæpit.* Lepidum commentum, & dignum in quod hæreticæ pravitatis inquisitores, examen instituant. Romana Ecclesia, ut audio, in eodem cum Endymione est prædicamento: non moritur, aut deficit, sed dormit & stertit. Si illos Manes patitur Romana factio, etenim ut infirmitas, quæ non objici deberet nostræ Ecclesiæ. *Velut*, inquit, *è somno excitata.* Rogo te somniculose Censor, an Ecclesia quæ dormit, somniare etiam non possit: & an nova dogmata quæ post centum & quinquaginta annorum somnum, ut ipse fateris, magnâ vi, & impetu docere cæpit, somniis non sint accensenda? Vide sis verò, mi homo, quomodo effugias inquisitorum manus. Ecclesiam veterno aliquando vis corripi. Negant hoc tamen omnes alii DD. & tota Romani conciliabuli fæx. Postea citat ex Baronio Epistolam Durandi Episcopi ad Henricum Galliarum regem, de Berengario. Cui bono? potuisset eadem operâ exscribere totum Lanfrancum, Guitmundum, Algerum, & quotquot unquam contra Berengarium scripsere: & videre denique strenuum Berengarii adversarium, Dn. Cornelium Ioannis de Iperis.

II. Dein ad præconium monstrosæ suæ Ecclesiæ accedit. Ita enim pag. 125. *Vide jam ergo*, inquit, *quàm clarè eadem fides, quæ hodie fulget, luxerit in densis temporum illorum tenebris. Ex seculo* 800. & 900. & *hinc porrò in* 1000. *doctrina ista defluxerat, etiamsi nemo id literis commendasset. Quod enim priores in Ecclesia invenerunt, tenuerunt, ut ait S. Augustinus, quod didicerunt docuerunt, quod à patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.* Et postea: *His igitur viis, præter Historicorum testimonia, præcedentium seculorum in fidei Articulis consensus ad nos manavit Gisb. Voeti, & cum S. Augustino confidenter in Domino dicere ausim. Hæc eadem Catholica disciplina, quæ ab ipso Christo, per Apostolos, ad nos usque manavit, abhinc ad posteros manatura est.* O impudentiam! Fromondo condono hos clamores, zelo enim portentosæ suæ Ecclesiæ est excæcatus. Sed quod alii qui eruditi haberi cupiunt, & historias ac Scripturam legere, tam absurdi sint, & successionem doctrinæ Apostolicæ crepent, ferendum non est. Nam præterquam, quod ipsi vi veritatis victi, novitatem in plerisque & præcipuis articulis fateri cogantur, ut à Voetio, exempli gratiâ tantùm in octo articulis in Desp. Causâ est ostensum, & à nobis, si tantùm liberet in aliis adhuc quinquaginta ostendi posset: doctrinâ quoque & multis axiomatis, quicquid de antiquitate & successione doctrinæ crepant, funditus evertunt. Quod ne commentum meum esse putent, Lectores, quatuor has rationes, considerent, velim. 1. Si doctrina Ecclesiæ Romanæ, est eadem cum Apostolica, quàm per continuam successionem ad hæc tempora derivatam esse volunt, cur Pontifici jus tribuunt nova dogmata fidei condendi. Etenim qui antiqua stirpe est oriundus, ignominiosum sibi esse putat à rege, aut imperatore quo inter nobiles, aut Equites adoptari? Atqui illud tamen pertinacissimè urgent sophistæ. Andrad. l. 2. de Defens. Conc. Trident. *Liquet*, inquit, *minimè eos errasse, qui dicunt Romanos Pontifices posse nonnunquam in legibus dispensare à Paulo, & à primis quatuor conciliis.* Idem ibid. dicit; *Romanos Pontifices multa definiendo, quæ antè latitabant symbolum fidei augere consuevisse.* Vasquez tom. 3. Disp. 216. Num. 60. *Licet concederemus hoc fuisse Apostolorum præceptum, nihilominus Ecclesia, & summus Pontifex potuerunt illud justis de causis abrogare. Neque enim major fuit potestas Apostolorum, quàm Ecclesiæ, & Pontificis inferendis præceptis.* Et Bellarm. advers. Barclayum cap. 3. per Ecclesiam more suo Papam intelligens, ita ait; *Non rectè de Ecclesia sentit, qui nihil admittit nisi quod expressè in veteri Ecclesia sumptum, aut factum esse legit, quasi Ecclesia posterioris temporis aut desierit esse Ecclesia, aut facultatem non habeat explicandi, & declarandi, constituendi etiam, & jubendi, quæ ad fidem, & mores Christianos pertinent.* II. Ne detegantur, & rideantur novitates suæ, non erubescunt contra Scripturam, & omnes Patres docere

docere Apoſtolos non omnia tradidiſſe aut ſcripſiſſe, quæ ad ſalutem erant neceſſaria. Salmeron Ieſ. Tom. 13. part. 3. Diſp. 6. *Doctrina fidei admittit additionem in eſſentialibus.* Ibid. *Hinc colligi poteſt non omnia tradita eſſe ab Apoſtolis, ſed ea quæ tunc temporis neceſſaria, & quæ ad ſalutem credentium idonea erant.* Id ibid. Diſp. 8. *Stultum eſt omnia ab Apoſtolis ſcripta putare, vel omnia ab eis tradita fuiſſe. En in injuriam vergeret agentis, & revelantis Spiritus. Et inſuave eſſet naturæ noſtræ quæ omnia non capit.* Quæ tamen poteſt eſſe ſucceſſio doctrinæ, aut veritatis quàm quæ ab Apoſtolis eſt derivata? Rectè Hieron. ad Pammach. & Ocean. *Quiſquis es, inquit, aſſertor novorum dogmatum, quæſo te ut parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apoſtolico ore laudatur; cur poſt quadringentos annos docere nos niteris, quod antea neſcivimus, cur profers in medium, quod Paulus, & Petrus edere noluerunt? uſque ad hanc diem ſine iſta doctrina mundus Chriſtianus fuit.* III. Nullam habent ſucceſſionem, aut veritatis certitudinem extra Papam. Quid fiet ergo octo primis ſeculis, quibus Papæ authoritas aut exigua fuit, aut ſaltem non tanta, ut auſa fuerit veritati Apoſtolicæ obloqui, & nova fidei dogmata condere. Neceſſe eſt dicat Fromondus Eccleſiam tam diu dormiviſſe, & poſt adventum Antichriſti, demum emerſam eſſe è tenebris, & ſomno. Andrad. l. 2. Defenſ. Concil. Trident. *Fide Papæ noſtra continetur, & ex ejus unius authoritate ſalus omnium pendet.* Gregor. de Valent. l. 7. Analyſ. *Pontifex ipſe Romanus eſt in quo authoritas illa reſidet: quæ in Eccleſia extat ad judicandum de omnibus omnino controverſiis fidei.* Hinc non malè, ſecundum ſenſum ſuorum Bellarm. dicit in Præf. libr. de Pontif. *Etenim de qua re agitur cùm de primatu Pontificis agitur? Breviſſimè dicam, de ſumma rei Chriſtianæ. Id enim quæritur, debeatne Eccleſia diutius conſiſtere, an verò diſſolvi & concidere.* Si ergo fides, & veritas in ſolo conſiſtunt Pontifice, quomodo poteſt eſſe ab Apoſtolis uſque aliqua ſucceſſio Doctrinæ Papanæ, quandoquidem Pontifex pro arbitrio, & libitu nova fidei dogmata poteſt cudere, & quotidie cudit. IV. Quia pertinaciſſimè traditiones urgent, fateri coguntur *primò* multa in doctrina ſua eſſe nova. 2. Multa non Apoſtolica, quia traditiones adverſantur Apoſtolorum doctrinæ. 3. Succeſſionem quam crepant, eſſe vanam, & nullam. Verum eſt enim quod Irenæus dicit lib. 4. cap. 43. *Eis, inquit, qui in Eccleſia ſunt preſbyteris obedire oportet, his qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, qui cum Epiſcopatus ſucceſſione chariſma veritatis certum ſecundum placitum Patris acceperunt.* Et Tertull. de Præſc. c. 21. *Ipſa eorum doctrina cum Apoſtolica comparata ex diverſitate, & contrarietate doctrinæ pronunciabit, neque Apoſtoli alicujus authoris eſſe, neque Apoſtolici.* Si autem probare non poſſunt, ut æternum non facient, doctrinam ſuam convenire doctrinæ quam Apoſtoli docuere, ruit totum commentum de monſtroſa ſucceſſione.

III. Poſtea exſpatiatur ad Auguſtinum, & quaſi is Pontificius eſſet, & è diametro nobis adverſaretur, eum in partes ſuas pertrahere ſtudet. Sed argumento per omnia inepto, ne dicam ſtulto. Difflatis verborum fumis, ita ſyllogiſticè poteſt proponi: *Auguſtinus reprehendit Iovinianum quod deprimeret virginitatis merita, & docet Ordinem eſſe ſacramentum, Ergo per omnia eſt Pontificius.* Quis unquam vel in ſomniis ineptius argumentum vidit? Eodem modo licebit mihi concludere. *Sorbona negat Papæ poteſtatem temporalem, & concilium ſtatuit ſuper Papam, ergo eſt noſtra.* Vtinam verò ridiculum Fromondi argumentum etiam verum eſſet! Dicit Iovinianum eſſe reprehenſum ab Hipponenſi Epiſcopo, quòd deprimeret *meritum ſacrarum virginum.* Quaſi vero reſpexiſſet ad ſuperba, & tumida monachorum merita. Quòd Auguſtinus in Ioviniano reprehendit, nos libenter cum eo reprehendimus: & contra Iovinianum cum Paulo ſtatuimus cælibatum, & virginitatem quibuſdam in caſibus præſtare, & commodiorem eſſe conjugio. Meritum enim loco Auguſtini in margine citato nihil aliud quàm excellentiam, & præſtantiam notat. Quomodo & Hieronym. in Ep. ad Evagr. dicit; *Omnes Epiſcopos ejuſdem eſſe meriti, & ejuſdem ſacerdotii.* Quod hæc Auguſtini mens ſit, vel cęco etiam appareat ex lib. ejus de Virgin. legantur c. 40. 44. 45. 46. & 49. Sed & Auguſtinus *Ordinem* dixit eſſe Sacramentum.

Non tamen ſicut Papana Eccleſia, aut conciliabulum Tridentinum. Ordinem vocavit *ſacramentum* quemadmodum lib. 2. contra Parmen. cap. 12. lotionem pedum à Chriſto inſtitutam Ioh. 13. vocat *Myſterium & Sacramentum.* hoc eſt, latâ & laxâ ſignificatione. Quomodo & ſignum crucis lib. 19. contra Fauſtum cap. 14. ſacramentum vocavit. Sed conjungit lib. 2. contra Parmen. cap. 13. Baptiſmo. Quid tum? non tamen eandem rationem, & naturam Baptiſmi, ac Ordinis eſſe ſtatuit. Quod autem Auguſtinus in nimis multis articulis pro nobis ſtet volentes nolentes confiteri coguntur Papani. Expedire ſe non poſſunt Auguſtini argumentis, nec ea diluere, ideo, quod Hæreticorum proprium eſt, aut in eum, aut ejus libros debacchantur. Ita Perronus Cardinalis cum non poſſet ſe extricare ex Auguſtini commentario in Ioh. c. 6. in quo manifeſtiſſimè evertit ridiculam tranſubſtantiationem, excipere cæpit contra librum, & auſus eſt dicere eum non redolere Auguſtinum. Vt videre eſt apud Cl. Molin. in *Nouveauté du Papiſme* pag. 2. cap. 13. & 14. Imo Maldonatus in Comm. ad d. cap. §. 18. cum ſe contra Auguſtinum defendere non poſſet, dicere non erubeſcit: *Hoc dico perſuaſum me habere, D. Auguſtinum ſi noſtrâ fuiſſet ætate longe aliter ſenſurum fuiſſe.* Quid etiam vult hæc Senenſis invectiva in Præf. l. 5. *Auguſtinus,* inquit, *Pelagianos volens refellere, minùs interdum tribuit liberæ hominis voluntati. Vix unquam auſus eſt aſſerere liberum arbitrium.*

IV. Ex diverticulo in viam dein redit Cenſor noſter, & tribus argumentis probare contendit injuria Patrum ſcripta ut obſcura notaſſe Voetium. pag. 127. dicit: *Et quid tamen,* ait, *tam diu tecum altercor, & præteritorum ſeculorum in doctrina conſenſum ſciri à nobis poſſe, contendo? Tu mihi aſſentiris, cùm alibi jam te conſpicio. Nam Oecolampadius, inquis pag. 313. mediante conſenſu Patrum in tenebris, & ἀλύτοις, id eſt, inſolubilibus de Euchariſtia, veritatem deprehendit. Deo gratias. Oecolampadius videre potuit conſenſum Patrum de Euchariſtia; ergo & nos etiam aliquid hic videre poterimus, nec temporum præteritorum nox eſt tam ſpiſſa, quàm nobis eam condenſas. Prima regula peritè mentientium eſt, Mendacem memorem eſſe oportet.* Quis non nugis his tanto cum ſupercilio prolatis aliquid tribuendum eſſe ſtatueret, & tamen nihil quàm nugæ, & ineptiæ ſunt. 1. Pervertit ſtatum controverſiæ. Voetius non dixit Patres eſſe obſcuros niſi comparativè ad Scripturas. Hoc enim vult oſtendere, Patres non poſſe eſſe infallibiles Scripturarum interpretes, quia ex ſcriptis eorum multa ſunt ſuppoſititia, multa mendoſa, omnia ferè contradictionibus, & humanis erroribus referta. 2. Non valet hæc conſequentia, Oecolampadius potuit videre conſenſum Patrum in cæna Dominica, Ergo Patrum ſcripta ſunt clara & perſpicua. Non magis quàm hæc: Ex Ariſtotele poteſt colligi quæ Platonis fuerit ſententia de Ideis, Ergo Ariſtoteles eſt idoneus Platonis interpres. 3. Non ſequitur: Patrum ſententia eſt clara in uno aut altero dogmate, Ergo etiam in omnibus. 4. Ad hoc non poteſt procedere hæc conſequentia; Patres conſpirant in orthodoxa interpretatione dogmatis de Euchariſtia, Ergo clara eſt præteritorum ſeculorum ratio. Aliàs hoc ſequetur: Certum eſt ab Adamo uſque ad Noachum invocatum nomen Iehovæ, & veritatem de venturo Meſſia fuiſſe cognitam. Ergo; ſeculorum illorum nox, non admodum eſt ſpiſſa. 5. Oecolampadius vir doctus, & laborioſus cognovit Patrum ſententiam in negotio de Euchariſtia, Ergo omnes parochi, monachaſtri, & idiotæ poſſunt percipere Patrum mentem in omnibus: & quidem facilius, quàm ex Scriptura fidem ſuam diſcere. Pergit dein p. 127. *& ex Fevardentio ſuo docet in Colloquio Malbrunenſi collocutores orthodoxos, qui partim erant Lutherani, partim Calviniſtæ, profeſſos fuiſſe ſe admiſſuros Patres velut judices.* Hinc velut à Furiis eſſet obſeſſus proclamat: *Ita Calviniſtæ & Lutherani, qui omnia ex claro puro puto verbo Dei ſcripto decernere & finire ſe jactant, neceſſitate compreſſi ad arma Catholicorum recurrunt, & Scripturam ſacram, aut non omnia continere, aut non tam clarè, quin opus ſit lucernâ Patrum, ipſo facto teſtantur.* Reſp. 1. Falſum eſt quod dicit Fevardentius, eos Patres admiſiſſe ut primarios, & infallibiles judices. Vnum tantum agnoſcebant judicem, Deum nempe in Scripturis loquentem; utrimque autem fi-

dentes lectioni Patrum ex superabundanti admisêre etiam Patres. 2. Quando partes ejusdem fori inter se consentiunt ut extraneum adeant judicem, non censentur in dubium vocare fidem judicis, cui subsunt. 3. Quidam ex Papanis DD.(ut verbi causa Ioannes Brerlæjus Anglus cum interprete suo Guil. Raynerio, in Apologia Protestantium pro Romana Ecclesia) stulto & ridiculo conatu aggressi sunt hæreticam suam doctrinam ex scriptis Theologorum nostrorum probare, Ergo & eos agnovere judices controversiarum secundum novam Fromondi Theologiam. 4. Aliud est legere & statuere judicem, aliud per se & natura sua esse judicem. Agnoscimus tantùm unum, eumque ἀνυπεύθυνον controversiarum judicem, Spiritum Sanctum nempe, loquentem in Scripturis. Præter eum tamen ex hypothesi & secundum hominem, aut Patres, aut Concilia, aut jus Canonicum, aut denique ipsos Papanos DD. judices, aut potius judices & testes, constituere possumus, quandoquidem in iis tantùm potuit veritas, ut cogantur inviti sæpe gloriam Deo tribuere, & ὀρθοδοξίαν religionis nostræ defendere. Dein nescio de quo colloquio inter novos Arrianos in Polonia & orthodoxos instituto ex Flor. Ræmondo p. 128. garrit; in quo si florido mendaciorum scriptori fidem adhibemus, orthodoxi, hoc est, nostri desertâ Scripturâ, ad concilii Nicæni & antiquorum Patrum authoritatem confugissent. Resp. Authori mentiri solito, qualis est Flor. Ræmundus, haud facilè fides adhibenda est. De disputatione hac nihil amplius, quàm ex Florimundo discere potui. Adhoc non liquidò constat fuerint Papani DD. an Reformati qui cum Arrianis fuere congressi. Etiamsi verò objecissent Canones & symbolum Nicænum, nihil hoc tamen officeret nostræ opinioni. Sufficit Arrianos, & Socinianos à nostris in variis scriptis, & sacris textibus confusos, & refutatos fuisse. Patrum testimonia si addamus Scripturæ, facimus hoc tantùm ex superabundanti, & manticæ vice.

V. Ad novum dein caput accedit, & crimen falsi à Voetio objectum ejus fraterculis, in Bezam magnâ vi & conatu retorquere molitur. I. Ideo *Beza Scripturæ sacræ adulterator maximus*, ut loquitur pag. 129. quod Luc. 3. v. 26. generationem Kainan non dubitat expungere. Grande etenim flagitium! Cujus tamen nec Voetius, nec ego rei sumus. Quamvis enim ex versione septuaginta senum, contra textum Hebræum ὑποβολιμαῖος ille Kainan irrepserit, non tamen è Lucæ Euangelio exterminandum esse putamus. Sed nec Beza tantopere quoque peccavit. Non enim pro arbitrio & lubitu suo in exilium ejecit Kainanum. Authoritate Mosis Gen. XI. vers. 2. & vetustissimi codicis eum ejecit. 2. Pro ejus opinione militant omnes codices Hebræi, Chaldaica etiam versio, imo ipsa versio vulgata quæ loco Gen. d. non agnoscit LXX. somnium de Kainan. 3. Authoritatem Ebræi textus approbant Eusæbius, Theophilus, Iosephus Historicus in Paralogismis, & Berosus LXX. senibus longè antiquior. 4. Epiphanius ipse in Hæresi Melchisedekianorum non agnoscit Kainan. 5. Ipse Corn. à Lapide, quem Lovanienses ejecêre, ne luminibus suis officeret, non dubitat Comm. in Genes. dicere Mosen potiùs sequendum esse, quàm LXX. Imo apud Lucam errore librariorum, ut & Beza Kainan irrepsisse, non verecundatur profiteri. Vide, quæso Lector, ejus Commentarium, & Bezam absolves. II. Vapulat Beza quod dixerit hæc verba Luc. 22. vers. 20. *qui pro vobis fundetur (vel ut in Græco est effunditur) cum essent ad marginem annotata, ex Mathæo, & Marco irrepsisse in contextum.* Quid hic peccatum? an propterea verba hæc, tanquam adulterina effurcillat? minimè. Retinet constanter & mordicus receptam lectionem. Opinionem tantùm suam exponit. Sed uter hic delinquit graviùs Beza, an vulgatus interpres, qui contra textum authenticum Græcum præsens reddidit per futurum, & *effundetur*, pro *effunditur*, in gratiam portentosæ Transubstantiationis? Addit pag. 129. *Nam quod prætexit futurum solæcophanes, &c. si verba illa addantur, nugæ sunt; constructio enim optima est, &c.* Resp. Non sunt nugæ, aut mortuaria. Verba sic habent; τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Si omnem solæcismi speciem excludere velis, posteriora verba τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον referenda sunt ad hæc τοῦτο τὸ ποτήριον. Sed quid

hoc erit? *Calicem pro nobis esse effusum.* Figuram ergo necesse est fatearis: nisi in absurda absurdissima incidere velis. Eoque rectè Beza statuit hic rectum positum esse pro obliquo: nominandi nempe casum pro dandi. Nec primus hoc statuit, sed ante eum Beda quoque, & Basilius. Hic etenim in ἀσκ. ὅρῳ 21. sic legit: τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐστὶν ἐν τῷ αἵματί μου τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένῳ. Venerabilis quoque Beda legit absolutè illud τὸ. ita nempe; *Hic est calix novi Testamenti in sanguine meo, quod, (quæ res sanguis) pro vobis funditur.* Vides Dn. Doctor quantos viros Beza noster nugarum suarum patronos habeat. III. Falsarius est Beza quòd dixerit sibi videri vocem *primus* irrepsisse Math. 10. vers. 2. ubi ita legitur; *Primus, Simon qui dicitur Petrus.* At quid tantopere deliquit hic Beza? quod opinatur, proponit. Nihil tamen textu exterminat. Si hoc peccatum est, nullus erit interpretum, qui non habendus erit falsariorum maximus. *Denique* traducitur etiam optimus Beza, quod scripserit hæc verba Luc. 2. vers. 2. *Hæc descriptio prima facta est, à Præside Syriæ Cyreno,* glossema videri. Nihil iterum peccatum. Si ejecisset, aut induxisset hæc verba, potuisset in eum, ut falsarium quæstio exerceri. Et ita Bezam, ejusque notas in N. T. à Fromondi criminationibus vindicavimus.

VI. Antequam progrediar, non possum quin quędam non tam σφάλματα quàm manifestas detorsiones, & depravationes in vulgata versione N. T. notem. Ex veteri fœdere nihil profero. Omnium manibus teritur Cl. Amamæ τοῦ μακαρίτου Antibarbarus. Sexcenti errores vulgati Interpretis in eo proponuntur: quos in hunc usque diem nemo adhuc, vel in gratiam PP. Sixti & Clementis excusare fuit ausus. Camarina enim & sterquilinium est, quò plus motitatur, eò fœdius olet. Hæc pauca ergò de multis in præsens tibi proponimus, Fromonde. Experire, quæso, an ea diluere possis. Iacob. 1. vers. 13. in Græco est: ὁ Θεὸς ἀπείραστός ἐστι κακῶν. In Vulg. est; *Deus intentator malorum est.* Hebr. 13. vers. 2. in Græco est: διὰ ταύτης γὰρ ἔλαθόν τινες ξενίσαντες ἀγγέλους. In Vulg. verò; *Per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis.* Hebr. 13. v. 16. In Gr. est; τοιαύταις γὰρ θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ Θεός. In Vulg. *Talibus enim hostiis promeretur Deus.* Iohan. 14. v. 26. In Græco: τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον &c. ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα, ἃ εἶπον ὑμῖν. In Vulg. est: *Spiritus sanctus ingeret vobis omnia quæ dixero.* 2 Petr. 1. v. 15. In Græc. est: σπουδάσω δὲ καὶ ἑκάστοτε ἔχειν ὑμᾶς μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον τὴν τούτων μνήμην ποιεῖσθαι. In Vulg. autem: *Dabo operam, & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* 1 Cor. 15. v. 51. In Gr. est: πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. In Vulg. verò; *Omnes quidem non dormiemus, sed non omnes immutabimur.* Hebr. 11. v. 21. In Græco est; Ἰακὼβ προσεκύνησεν ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ. In Vulg. vero; *Iacob adoravit fastigium virgæ ejus.* 1 Cor. 15. v. 10. ἀλλὰ περισσότερον αὐτῶν πάντων ἐκοπίασα· οὐκ ἐγὼ δὲ, ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ, ἡ σὺν ἐμοί. In Vulg. est: *Abundantiùs illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Act. 2. v. 24. ὃν ὁ Θεὸς ἀνέστησε λύσας ὠδῖνας τοῦ θανάτου. In Vulg. est; *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni.* Math. 15. v. 8. in Græco est: ἐγγίζει μοι ὁ λαὸς οὗτος τῷ στόματι αὐτῶν, καὶ τοῖς χείλεσί με τιμᾷ. In Vulg. tantùm est; *Populus hic labiis me honorat.* Eph. 2. vers. 10. Αὐτοῦ γάρ ἐσμεν ποίημα, κτισθέντες ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς. In Vulg. est: *Creati sumus in Christo Iesu in bonis operibus.* 1 Cor. 11. v. 24. τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον. In Vulg. est: *Hoc est corpus meum quod tradetur pro vobis.* Rom. 14. vers. 5. In Gr. est: ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω. In Vul. *Vnusquisque in suo sensu abundet.* Quod ad defectus autem, in plùrimis deficit. Math. 15. vers. 31. non vertit hæc verba κυλλοὺς ὑγιεῖς. Et Math. 28. vers. 2. ἀπὸ τῆς θύρας. Luc. 2. v. 40. pro eo quod in Græco est ἐκραταιοῦτο πνεύματι. In Vulg. tantùm est, *confortabatur.* Ioh. 5. v. 16. non exponuntur hæc verba: καὶ ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι. Vt nec Act. 10. v. 32. hæc: ὃς παραγενόμενος λαλήσει σοι. Act. 18. vers. 21. hæc: Δεῖ με πάντως τὴν ἑορτὴν τὴν ἐρχομένην ποιῆσαι εἰς Ἱεροσόλυμα. Rom. 14. vers. 6. non redduntur hæc: καὶ ὁ μὴ φρονῶν τὴν ἡμέραν κυρίῳ οὐ φρονεῖ. 1 Cor. 15. v. 54. hæc: ὅταν τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσηται ἀφθαρσίαν. 1 Timoth. 6. v. 5. non comparent sequentia

verba:

verba: ἀφίστασο ἀπὸ τῶν τοιούτων. Vt nec 1 Pet. 4. v. 14. hæc: κατὰ μὲν αὐτοὺς βλασφημεῖται, κατὰ δὲ ὑμᾶς δοξάζεται. Habes tantùm gustum Fromonde. Quando hæc dilueris, plenas patinas tibi apponam. Interim vide, Lector, syllabum notarum Erasmi in Papatu editum, & probatum.

VII. Postremò Bezam, & Voetium tanquam Patrum falsarios incessit. Et Bezam quidem, quòd Bernardi locum detorserit, Voetium quod Augustini. De Bernardo videbimus infra cap. XXVII. Quid autem contra Augustinum deliquit misellus Voetius? Verba ex Epistola 165. contra Augustini mentem interpretatus est in Desp. Caus. 500. Vult Censor pag. 131. voculam *quæ* respicere documenta innocentię Cęciliani de quibus Afer Episcopus antè locutus esset, eòque eam Voetium malè referre ad successionem Episcoporum in sede Romana. Sed negatur. Apertè distinguit tum in antecedentibus, tum in consequentibus documenta ab ipsa successione. Eoque nec antecedentia verba asscribere fuit ausus. Sed nobis est animus. Tu humanissime Lector, arbitrare, & judica. Ita ergo Augustinus: *Recita illi gesta apud Zenophilum consularem, ubi nundinarius quidam diaconus iratus Silvano, quòd ab eo fuerit excommunicatus, hæc omnia indiciis prodidit, quæ certis documentis, & responsionibus testium, & recitatione gestorum, & recitatione multarum Epistolarum luce clarius constiterunt. Multa sunt alia quæ illi recites, si non contentiosè agere, sed prudenter audire voluerit. Preces Donatistarum ad Constantinum, ut propter ipsam causam inter Afros Episcopos dirimendam judices Episcopos ex Gallia mitteret. Literas etiam ejusdem Imperatoris, ubi Episcopos misit ad urbem Romam. Gesta quoque in urbe Roma, ubi ab Episcopis, quos ille miserat, caussa cognita & discussa est. Itemque alias literas, ubi declarat memoratus Imp. & apud se de collegarum suorum judicio, id est Episcoporum, quos ad urbem Romam miserat, fuisse conquestos: ubi etiam alios Episcopos voluit apud Arelatum judicare: ubi isti ab ipsorum judicio ad eundem Imp. appellaverunt: ubi postremò caussam inter partes ipse cognovit: ubi eos vehementissimè detestatur innocentiâ Cæciliani fuisse superatos. Quæ si voluerit,* &c. Hæc Augustinus contra Fromondum sententiam pronuncians.

VIII. Sub capitis calcem asserere, & defendere studet fraterculos suos, qui in Patribus quidlibet pro arbitrio in bonum Ecclesiæ, ut dicunt, delent, mutant, & transponunt. Sed tantùm garrit bonus Fromondus. Verbis probationem addere debuisset. Quid hoc enim quod dicit: pag. 131. *Ea verò quæ nostri in Scripturæ, aut SS. Patrum textibus emaculant, plerunque librariorum, aut typographorum aperti mendi sunt, qui volente, & clamante sensu manum correctoris implorabant, vel ex plurium Mss. aut vetustorum exemplarium collatione variantes lectiones ostendunt, & quæ verior sit, conjecturâ assequi conantur.* Primò nota Lector conscientiam confitentis rei erumpentem per voculam *plerumque*. Deinde speciosè hæc quidem dicuntur, sed admodum difficulter possunt probari. Quales Papani in miserorum Patrum scripta Harpyjæ sint ostendêre Iamesius, & Cl. Rivetus in *Critico sacro*. Non corriguntur ab iis Patres, sed expurgantur. Quicquid in illis adversatur idololatriæ, & heterodoxiæ atroci veru confoditur. Audi quid Sixtus Senensis dicat in Præf. Biblioth. ad Pium V. quem etiã Voetius adduxit pag. 461. ubi pluribus de hoc argumento agit. *Tu*, inquit, *beatissime Pater, expurgari curasti omnium Catholicorum authorum, & præcipuè veterum Patrum scripta hæreticorum ætatis nostræ fecibus contaminata, & venenis infecta.* Imo si Gretzero credimus, habet hoc jus Papa, Ecclesia nempe illa Chimærica; ita quippe dicit lib. 2. de prohib. lib. cap. 9. *Si quid in aliorum libris dispungitur, id Ecclesiæ illius jussu fit, quæ non modò in libros authorum, sed etiam authores ipsos jus & potestatem habet.* Egregiè. Omnes Patres & Scriptores in Papatu sub Penthei sidere nati sunt. Quandocunque libet Dn. Deo Papæ eorum curas, & commentationes indoctis monachastris ad bonum culinæ, loculorum, & universi, dilacerandas dare potest. Nec injuria coronatur hæc crudelitas. Obsunt enim plurimùm Patres: & Doctores sæpe cum Bileamo quando se calumniari credunt, veritatem proloquuntur. Requiritur ergo supremus quis inspector, qui malè tornata ad sensum Papanum detorqueat. Ingenuè hoc confitentur Authores indicis Expurg. Belg. quando ita

 dicunt

dicunt in præf. p. 5. Edit. Antv. Ann. 1571. *Cùm igitur in Catholicis veteribus aliis plurimos feramus errores, & extenuemus, excusemus, excogitato commento persæpe negemus, & commodum iis sensum affingamus, cùm opponuntur in disputationibus, aut in conflictionibus cum adversariis.* Vides opinor, Fromonde, quàm ineptus, vanus, ac mendax Thraso sis. Bene quidem cupis sectæ tuæ, & quantum in te, omnes nævos incrustare laboras. Sed nimis adhuc hospes es in plastica. Vndiquaque concitas æmulos. Ipsi fratres certatim in te impetum faciunt. Sequitur ultimus Thrasonismus. pag. 131. dicit; *Et sanè nemo, nisi opicus planè, & ineruditus, nostrorum Lovaniensium diligentiam, & fidem in emaculando S. Augustino non laudat.* Vos miselli & lippientes doctorculi, quid boni quæso in Augustino præstabitis. Castrare & deturpare eum potestis: sanare, aut purgare minimè. Accenseo vos Censoribus illis Augustini, de quibus doctissimus Ludovicus Vives loquitur in August. lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. *In hoc,* inquit, *capite Augustini multa sunt addita ab iis, qui omnia magnorum authorum scripta spurcis suis manibus contaminarunt.* Subsilies scio, Fromonde, & instar clamosi alicujus Eurybatis proclamabis: *Ludovici Vivis testimonium instar putridi pomi suâ sponte dissilit.* Sed non moveor tuis clamoribus. Ad eos jam diu occallui. Clama usque dum ilia rumpantur, ego constanter in illa opinione maneo, omnes Patres quos editis, non valere putrido pyro, aut cassâ nuce.

CAPVT XXVI.

Pamelius quædam malâ fide in Cypriano mutavit, & addidit. Cyprianus non favit Romanæ hierarchiæ. Non diluit Fromondus Boderiani flagitium commissum Gen. 3. vers. 15. Papani DD. contendunt Ebræum textum ex vulgata versione corrigendum esse.

I. CApite vigesimo quarto Criseos, quod ordine examinandum sequitur, nihil aliud agit Doctor, quàm ut à justis Voetii accusationibus Editionem Cypriani à Pamelio procuratam, & vulgatam versionem quæ in propatulo blasphema est, asserat. Pamelium accusat Voetius in Desp. Causa pag. 495. quod in gratiam Papanæ hierarchiæ contra omnes vulgatas editiones, & M. SS. codices, ex uno Cambronensi MS. exemplari, quædam, quæ apertè cum Cypriani theologia pugnant, ejus libello *de unitate Ecclesiæ* infarcierit. Quod objecit Pamelio Voetius, solidè quoque probavit, ut apud eum quisque videre potest loco d. Nihil ergo præter stolida verba profundere potuit noster. *Peto*, inquit, pag. 132. *ego à te vicissim, quâ fide, & conscientiâ cauteriatâ siluisti, non tantum Card. Hosii codicem, sed consensum Codicum vetustissimorum, quibus usus est Manutius, inter quos unum fuisse 900. annorum, scribit Marianus Victorinus.* Gratiam tibi facio conviciorum, contentus sum ridiculâ tuâ ineptiâ. Manutius usus est Mss. exemplaribus, ergo illa Mss. sic legunt. Quæ hæc consequentia? In loco tam notabili notari debuissent Cod. qui faverent Pontificis coronæ, & crumenæ. Ad hoc varians unius alteriusve Cod. Mss. lectio mox ipsi textui infarcienda non fuisset. Nihil in textu mutandum est, nisi plurium Mss. exemplarium constans, & unanimis lectio suadeat. Pergit; *Cur deinde mentio nulla Remundi Rufi contra Molinæum, & Alani Copi contra Magdeburgenses, qui de hoc loco disputant latissimè.* Quid hoc ad rem. Fateor Remundus Rufus anno 1533. acriter contra Molinæum de primatu disputavit, instar corii expandit, & dilatavit Cypriani verba. Non tamen falsarius fuit. Neque enim citat hæc verba: *Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas.* Nec etiam hæc: *Vnam cathedram constituit.* Quæ postea Romanæ, & Pamelii editioni sunt infarta. Quod ad Centuriatores, illi tantùm dicunt *Cyprianum Romanæ sedi nimium tribuisse,* quomodo & Erasmus dicit, *eum de Petri sede magnificè sensisse.* Sed quid hoc facit ad probandum aut primatum Papæ, aut purganda Pamelii, & Romanorum Editorum flagitia. Vt autem quisque ante oculos videat malam fidem editorum Romanorum; en textum Cypriani prout ab iis interpolatus est compono cum citatione Gratiani quæ occurrit Causa 24. q. 1. cap. *loquitur.* Ita verò legunt Manutius & Pamelius. *Loquitur Dominus*

ad

ad Petrum; ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves regni cælorum, & quæ ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit; Pasce oves meas. Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: Sicut misit me pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum sanctum. Si cui remiseritis peccata, remittentur & illi; si cui tenueritis, tenebuntur: tamen ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem suâ authoritate disposuit. Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur. Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & cathedra una monstretur. Et Pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur. Quam unam Ecclesiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus sanctus ex persona Domini designat, & dicit: Vna est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genetrici suæ. Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? qui Ecclesiæ renititur, & resistit, qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit? Hactenus Pamelii Editio. Gratianus verò loco laudato ex ultima recognitione Gregorii XIII. hunc in modum legit; *Loquitur Dominus ad Petrum, Ego dico tibi, inquit, quia tu es Petrus, & super istam Petram ædificabo Ecclesiam meam. Super unum ædificat Ecclesiam: & quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, & dicat: Sicut misit me pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum: tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem suâ authoritate disposuit. Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit & Petrus, pari consortio præditi, & honoris & potestatis. Sed exordium ab unitate proficiscitur: ut Ecclesia una monstretur: quam unam ecclesiam etiam in Cantico Canticorũ Spiritus sanctus, ex persona Domini designat, & dicit: Vna est columba mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ. Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur, & resistit, in Ecclesia se esse confidit?* Quantopere hæc discrepant? 1. Pro eo quod legit Pamelius *Super illum unum ædificat Ecclesiam suam.* Gratianus tantùm legit: *Super unum ædificat Ecclesiam.* Omnis autem emphasis est in voce (*illum.*) Adeo ut apertè mentiatur noster Censor, quando eodem modo cum Pamelio hic Gratianum legere dicit. 2. Gratianus non agnoscit hæc verba: *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & cathedra una monstretur. Et Pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur.* 3. Non agnoscit quoque hæc verba: *Qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit.* Atqui in his tamen duabus posterioribus sententiis fiduciam habebat Iansenius? Nihil autem ad rem facit, quod postrema hæc sententia occurrit apud Gratian. Dist. 93. Nuper demum illa in decretum irrepsit. Iudicate autem omnes qui homines estis, an non apodicticè probemus falsarios esse Romanos Cypriani correctores, cum Pamelio. Gratianus, qui omnia quæ Papæ prodesse poterant, magnâ diligentiâ, quanquam exiguo judicio, conquisivit, in nullis editionibus repperit, quæ Manutius cum Pamelio, & Parisina editione exhibent. Imo præ pudore, non ausus fuit Gregorius XIII. cum delegatis censoribus receptam lectionem ex nova editione corrumpere. Quamvis fateatur se in dicto Gratiani loco, *quædam ex originali addidisse.* Pluribus de hoc Cypriani loco non disputo, vide quæso Lector, ipsum Voetium loco laudato, nec non authores ab eo citatos, quibus ego addo Cl. Ben. Turretinum præf. in Hispanici Iudicis Cardinalis de Sandoval renovatam editionem, anno 1619.

II. Probare dein noster Censor pag. 133. contendit Cyprianum non alienum admodum ab Hierarchia fuisse, quia alibi inculcat *Christum super unum Petrum ædificasse Ecclesiam suam; super illum posuisse, & fundasse Ecclesiam suam:* item *super unum qui claves ejus acceperit fundasse Ecclesiam quæ una est.* Quæret quis an hæc juvent & prosint Papanis? Do ultro ita ferè locutum esse Cyprianum, nihil tamen emolumenti inde percipit Papæ corona. Cy-

priano propositum est ubique unitatem Ecclesię inculcare. ad hoc adducit promissionem factam à Servatore nostro Math. 16. quæ quia uni Petro, non qua Petro, sed quatenus Petrus nomine Ecclesiæ responderat, facta erat, non incommodè ab eo adsertur. Dicit quidem Cyprianus super Petrum fundatam esse Ecclesiam, nusquam tamen super eum solum: quamvis ut ep. 55. ejus solius tantùm mentionem faciat. Diserte Ep. 27. Ad lapsos ait: *Ecclesiam super Episcopos esse constitutam.* Quomodo & Origenes in Mathæum tract. primo dicit: *Petra est, quisquis Christi discipulus est, ex quo biberunt de spirituali consequente petra: & super talem Petram constituitur omnis Ecclesiastica doctrina, & secundum hanc vitæ institutio; in unoquoque enim perfecto, habente congregationem eorum, quæ complent beatitudinem, verborum, factorum, & sensuum, est quæ à Deo ædificatur Ecclesia; quòd si per unum illum Petrum tantùm existimas ædificari totam Ecclesiam, quid dicturus es, de Ioanne filio tonitrui, & Apostolorum unoquoque? quin alioqui num audebimus dicere, quòd adversus Petrum unum non prævalituræ sint portæ inferorum, adversus autem cæteros Apostolos, ac præfectos, prævalituræ sint.* Item Hieronym. contra Iovinianum lib. 1. cap. 14. *Sed dicis super Petrum fundatur Ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur.* Nec ad rem quicquam facit, quod Petro claves esse traditas Cyprianus dicat. Enimvero in Ep. ad Iubajanum, quam & citavit Censor, omnibus præfectis, & Episcopis ligandi, & solvendi potestatem concedit. Sic enim loquitur; *Nam Petro primùm Dominus, super quem ædificavit Ecclesiam, & unde humanitatis originem instituit, & ostendit, potestatem istam dedit, ut id solveretur in terris, quod ipse solvisset. Et post resurrectionem quoque ad Apostolos loquitur, dicens: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hoc cùm dixisset, inspiravit, & ait illis: Accipite Spiritum sanctum: si cujus remiseritis peccata, remittuntur illi: si cujus tenueritis, tenebuntur. unde intelligimus, non nisi in Ecclesia præpositos, & in Euangelica lege, ac dominica ordinatione fundatos, licere baptizare, & remissam peccatorum dare: foris autem nec ligari aliquid, nec solvi, ubi non sit, qui aut ligare aliquid possit, aut solvere.* Sed demus: quod tamen nunquam probabitur, Cyprianum statuisse soli Petro datas esse claves. Quæ consequentia à Petro ad Papam? Quid autem existimaveris de Romano Episcopo Cyprianus, ex ipso Cypriano post Chamierum, Plessæum, Molinæum in Desp. Causa docuit Voetius pag. 479. & seq.

III. Accedimus ad locum Genes. 3. v. 15. in quo deturpando, & ad abominandam Idololatriam detorquendo, quàm audaces fuerint Papani liquidò ostensum est à Voetio p. 496. Vix negare flagitium audet Fromondus: tantùm malam Voetii innocentis fidem, advocato etiam Antverpiâ Balth. Moreto, inclamat. Editum autem in Des. Causa est injuriâ typothetarum הִיא, cùm tamen in Bibliis interlinearibus anni 1572. legatur הוֹא. Hinc tot clamores, & fluctus cum suo Moreto excitat. Sed si inspexisset Erratorum syllabum, qui subjectus est Desp. Causæ, invenisset ibi sic p. 496. lin. 14. הִיא ib. *lege* הִיא. ubi tamen iterum Iod pro Vau irrepsit, & circulus est omissus. Nec magnopere quoque Voetii typographus reprehendendus est, ipse enim Bellarm. lib. 2. de Verbo Dei cap. 12. se הִוא legisse asserit. Quare vani sunt omnes hi tumultus: nec quicquam Voetii fidei derogant. Miserum verò falsatorum patrocinium! *Nullum*, inquit, pag. 133. *hic est Catholicorum scelus, sed Typographici collectoris incuria.* Sed aliud dicit Franciscus Lucas Brugensis citatus à Voetio, in Guidonem Fabricium Bodecianum culpam derivans; item Franc. Raphelengius senior, qui hoc Leydæ solet referre, cui & astipulatur Leonardus Marius in Comm. ad d. Gen. l. Pergit: *Quia præter circellum, sive cifram o. vocabulo temerè superpositam, litera Tau, nullâ prorsus verisimilitudine pro Aleph posita est.* Quid hoc ad rem? quis mendum esse diffitetur? Hoc dicimus, Boderianum voluisse Lectorem morari, eique suspicionem movere variantis, aut mendosæ lectionis, ut posset blasphemum illud *ipsa*, quod in vulgata est, aliqua ratione incrustari. Et fortè Deus, author & conservator Scripturarum confudit eum, & scotoma oculis objecit, ut dum illustrem locum prorsus ad Idololatriam

detorquere

detorquere ſtuderet, tantùm deformaverit. Quod verò perſuadere nobis ſtudet, *correctorum incuriam in ignota vulgò lingua Hebraica ſæpe fallere*, oppidò quàm ridiculum eſt. Quaſi verò correctores Ebræorum codicum æque hoſpites ſint in ea lingua ac Fromondus cum ſuis gregalibus: & Guido Boderianus Ebraicè neſciverit? Dicit dein: *Vnde in priore, ac principali Bibliorum Regiorum Editione is mendus abeſt, & in poſteriore Interlineari anni* 1584. *emendatus eſt.* Quid hoc ad rem? Saltem flagitium illud commiſſum eſt in Bibliis interlinearibus adjunctis Bibliis Regiis. Quod verò ad Interlinearia Anni 1584. eorum editioni præfuit Ben. Arias Montanus vir candidus, doctus, & ſincerus, adhoc alieniſſimus à prurigine falſificandi. Si verò error tantùm typothetarum, & correctorum fuit commiſſus, cur Bellarm. loc. ſ. d. defendere cæpit illam lectionem, & contendit remotis punctis legi poſſe היא? aut cur Delrio in Adagialibus part. 1. Adag. 6. ſcribit Eugubinum & alios viros doctos dubitare utrum olim היא an הוא fuerit lectum, quod Iod & Vau facilè inter ſe transmutentur. Iejunum & frigidum nimis hoc patrocinium eſt. Sed progreditur noſter: *Sed alio præterea argumento, nulla hic noſtrorum fraude, ſed Typographico mendo vocem illam deformatam fuiſſe, ex ipſius Amamæ tui, unde hæc ſumpſiſti, doctrina compertiſſimum eſt. Nam quando circellus* o. *voci ſuperpoſitus ſignificat variantem lectionem, tum in margine altera vox apponitur cum ſubjecta litera* ק *quæ diſcrepantiam inter* Keri & Chetib, *ſeu inter lectionem, & Scripturam indicat. In margine autem Edit. Interlinearis ann.* 1572. *nulla vox alia, aut litera* ק *marginalis viſitur.* Reſp. Stramineum & in propatulo falſum eſt hoc aliud argumentum. Quid hoc ad rem, ק eſt omiſſum quia o circellus inſtar omnium eſt. Vt ut autem ſe in omnes partes, & formas vertat Cenſor, & cælum terræ miſceat, non tamen diluit flagitium Boderiani, aut ignominioſum patrocinium Bellarmini, ac Delrii, pilum quoque non juvat, quod in Latina verſione eſt *ipſum*. Artificioſè vox illa pro *ipſa* eſt ſuppoſita, ut flagitium tectum magis, ac occultum foret. Poſtea rabiem, & imperitiam ſuam exercet contra incomparabilem virum Dn. Sixt. Amamam τὸν ἐν τοῖς μακαρίταις. Dixit ille in Antibarbaro pag. 327. & 328. Bellarminum reſpexiſſe ad Biblia Interliniaria ann. 1572. cùm diceret l. ſupra laud. *ſe unum Codicem legiſſe in quo ſcriptum erat* היא. Turbas propter hoc dat noſter, & poſt odioſam repetitionem argumentorum, quæ hactenus refutavimus, ita proclamat pag. 134. *Ergo nos omnes pro anſeribus, aut talpis habetis, qui tales veſtros fucos, etiam palpabiles non videamus? Igitur Bellarminus, mi homo, in vetuſtiori aliquo Codice, non in illo ann.* 1572. היא *pro* הוא *legiſſe debuit.* Næ indiſſolubili argumento probatis, non tantum ex anſerino & talparum ſobole vos eſſe, ſed etiam matrem veſtram fuiſſe auritam noctuam. Ad ravim hactenus poſtulavimus, ut diceretis quis ille codex fuerit, in quem incidit Cardinalis mentiri ſcilicet neſcius: fueritne Mss. an impreſſus. Et ſi impreſſus, quo anno & apud quem typographum fuerit impreſſus. Poſtulatum hoc à VVittakero, Iunio, & Lubberto eſt, vivo etiamnum Bellarmino: reſpondit contra eos ipſius Bellarmini nomine Gretzerus; potuiſſet eum per literas ſciſcitari, ut fecit procul dubio, de myſtico hoc Codice. Sed altum de eo ſilere, & omnia diſſimulare fuit ſatius. Deſierat fortè in rerum natura eſſe Codex ille, aut Angelus quis dormienti Cardinali indicium fecerat ſimilis alicujus Codicis, locum autem oblitus erat deſignare, quo reperiri poſſet. Inquire, Fromonde, ſi celebris haberi velis, in hoc volumen, & ſi homines ejus tibi indicium facere non poſſint, diabolum conſulito, ut fecit σοφιστομαντῶν P. Cottonus, cum in Scriptura nullum locum pro Purgatorio invenire poſſet. Denique pag. 135. iraſcitur candidiſſimo Dn. Amamę *quod dixerit Ariam Montanum proteſtari, ſe inſcio & improbante editionem anni* 1572. *corruptam fuiſſe.* Quid? an non ſimile quid dixit Arias? negat quidem Fromondus, quod dixerit tantùm *audaciam mutandi aliquid de conſueta & conſtanti omnium Hebraicorum exemplarium lectione à ſua mente omnino alienam fuiſſe, ſicut religioſum ei fuerat vel id cogitare.* Sed ſi quis antecedentia, & præcedentia Ariæ verba conſideret, facilè ſubodorari poteſt in quos illud dixerit, præſertim cùm aſſerat *maximam eſſe conſtantiam exemplarium Ebraicorum*

rum per universum terrarum orbem. Ad hoc C. Amama pag. 54. ubi ipsius Ariæ verba laudat, & ad quem locum pag. 328. relegat suum Lectorem, tantùm dicit, *videri sibi eum non obscurè invehi in Guidonem Fabricium Boderianum.*

IV. Cur verò, adeo strepis & tumultaris, Fromonde, ne in hoc, de quo certamus loco, tui antecessores rei sint corrupti textus Authentici? An non magni nominis DD. inter vos mordicus defendunt, hic præferendam esse versionem vulgatam, quæ legit היא & vertit *Ipsa*? Quid de Bellarmino, Gretsero, Gordonio, Delrione dicam? An non nuperrime adhuc Marinus Marsennus vir aliàs non indoctus, & decuplo plus quàm tu in Theologia, Philosophia, & Linguis versatus, in Comment. ad eum locum omnia conquisivit, & egit ut posset ostendere recensores vulgatæ versionis *optimo consilio potius* Ipsam, quàm Ipsum, *aut* Ipse *retinuisse*? Dein an non multi ex vestris eò impudentiæ pervenère, ut contenderent textum Ebraicum esse corruptum, & corrigendum è versione Vulgata? Gordonius Iesuita in prima parte Epitom. Controvers. 1. cap. 10. *Providentiâ,* inquit, *Dei effectum est, ut statim post factam vulgatam editionem depravaretur textus Ebraicus, ne videlicet rejectâ communi versione, confugeret quispiam ad textum Ebraicum.* Ludovic. de Tena In Isagog. ad Sacr. Scriptur. diff. 6. sect. 3. *Licet,* ait, *essent nunc incorrupti codices Ebræi, & Græci, cùm eorum voces habeant tam varias significationes, nec Ecclesia hactenus definierit, quæ earum sint retinendæ, bene tamen in vulgata Latina. Hinc est istam esse priori loco venerandam, ad eamque ut lapidem Lydium, seu (ut clarius loquar) tanquam ad authenticam regulam fidei, semper sit recurrendum, etiam in levibus.* Gregor. de Valent. Analys. lib. 8. cap. 5. *Quoniam Græci & Hebraici codices, Rabbinorum, & aliorum Ecclesiæ hostium fraude sæpe potuerunt depravari; satius est ut aliquando ex nitido fontis rivulo, quàm ex turbido fonte aquam ad bibendum hauriamus, ut eruditissimè observat Canus.* Sed dic mihi, Fromonde, qui ex zelo quidem, sed non secundum scientiam, digladiaris pro limpiditate fontium Ebræorum, quam Versionem probes? Vulgatam, an eam quæ respondet textui? hanc si probes, cognoscere equidem aveo quâ subtilitate, aut asinitate Vulgatæ versionis Censores à sacrilegio, versionem autem Vulgatam ab intolerando errore defendere possis. Sed hæc hactenus. Progredior.

CAPUT XXVII.

Lutherani non habentur à nobis pro hæreticis aut schismaticis. Multa per calumniam Fromondus Lutheranis affingit. Quidam ex Papanis DD. docent Infantes fidelium sine baptismo morientes salvari. Bernardus nec Bezæ, nec orthodoxæ sententiæ adversatur. Augustinus erravit. Bernenses nunquam ditione sua expulerunt Calvini doctrinam de absoluta prædestinatione. Lutherus extra fervorem contentionis non alienus prorsus est à sana doctrina Eucharistiæ.

I. E*St pylus ante pylum, sequitur pylus altera post hanc,*
Nugæ post nugas, nugas proponit easdem:

Somniculosus, ac ridiculus criticus Fromondus. Profitetur se Censorem, sed revera est nugator γλῶσσαν ἔχων ἀδάμαστον. Fidem fecere omnia præcedentia capita: instar omnium autem est xxv. ad quod ordine jam accessimus. Putares te centum, aut amplius graculos audire, ita garrit ac strepit. Quia Voetius nimis solidè probavit Lutherum ut ordinarium Ecclesiæ VVittebergensis ministrum jus habuisse concionandi contra Papanas hæreses, & Romani Dei tyrannidem, contra Lutherum ut ἀλλοτριόφυλον Herodem quem excipit. Quæ à Voetio Iansenio sunt reposita, quod ea magnam partem paraphrasticè à nostro repetantur, studio præteribo. Adire poterit, Lector, ipsam Desperatam Causam Voetii pag. 106. 107. 108. Dixerat Voetius; *Nos quidem errorem illum Lutheri circa modum præsentiæ Christi in cæna non recipere, &c. non tamen varias hæreses in Luthero damnare.* Contra hæc ita, *Primò* argutatur Dn. Libertus pag. 136. *Sed dic tamen nobis ore rotundo, Voeti, an propter illum unum errorem, cui tam pertinaciter inhæsit, non sit vobis hæreticus? Certè enim propter unicum Anabaptismi pertinacem errorem, non tantum schismaticos, sed etiam hæreticos Donatistas vocat*

S. Au-

S. Augustinus. Et plurimi olim hæresiarchæ propter unius etiam erroris pertinaciam, Ecclesiâ sunt ejecti. Resp. 1. Distinguendum est inter hæresim, ac vertiginem. Hæresis est error fundamentalis in articulis fidei cum pertinacia. Vertigo in negotio religionis, est defensio alicujus dogmatis tanquam controversi, quod prout utrimque defenditur utramque hæresim videtur referre: amicissimè tamen inter contendentes convenire posset, modò partes odia vellent seponere, & candidè mentem suam exponere. Hæresis revera adversatur veritati, & orthodoxiæ: vertigo apparenter tantùm, & ex judicio aliquorum. Fateor, Lutherani nos ut hæreticos, traducunt. Quòd ad me autem, quamvis alienissimus sum ab eorum opinione, à conscientia tamen impetrare non possum, ut eos hæreticis accenseam. Errant in Doctrina de Eucharistia, fovent doctrinam de omnipræsentia corporis Christi. Non tamen peccant in fundamento, aut rei sunt Eutychianismi, 1. Aversantur enim Capernaiticos errores. 2. Nobiscum oppugnant stultam Transubstantiationem. 3. Verè Christum in cæna nobiscum præsentem esse fatentur. 4. Idololatriam statuunt esse adorationem hostiæ. 5. Non missificant. 6. Physicè, & localiter pręsens esse corpus & sanguinem Christi in cœna constanter negant. 7. Ipsi quantum in se est, & sensu suo resecrant & deprecantur Eutychianismum. De modo præsentiæ est controversia. Existimant quid glorificato corpori Christi, ob arctam ἕνωσιν utriusque naturæ in unitate Essentiæ, esse communicatum, quod transcendat naturam vulgaris corporis: quia autem non ita commodis, & propriis terminis exprimere possunt, utuntur locutionibus & phrasibus periculosis, quæ cùm hæresim redoleant, adversantur tamen eorum opinioni, ac fundamentis propriæ Theologiæ. Quod verò ad errores, & hæreses quas nobis (quos per contemptum Calvinianos vocare solent) imputant. Sanè eos ipsos pæniteret temerarii istius judicii, modò Deo ita volente, adferre aliquando possent ad scribendum aut disputandum solidam eruditionem, Christianum candorem, & veram pietatem. Ingemiscimus tantum ab illis odio, & præjudiciis tribui. Hæc si possent aboleri, conveniret è vestigio. II. Dispar ratio est Ecclesiarum Augustanæ Confessionis, & Donatistarum. Hi errabant. 1. Revera. 2. Pertinaciter in errore hærebant. 3. Opinionem orthodoxorum è diametro errori suo oppositam, hæreticam esse clamabant. Contra illi, qui vulgò Lutherani dicuntur. 1. Non errant, ita ut contradicant directe & rejiciant Catholicam Christianismi fidem. 2. Cum indirectè hæreticum seu αἱρετικοφανῶς quid iis excidit, non inhærent constanter, & pertinaciter τῇ θέσει. sed resiliunt & obloquuntur opinioni, quam ad convitia usque defendunt, & ignari volentes, nolentes, in castra adversariorum confugiunt. 3. Non ausi fuere, unquam, nisi fortè in vertiginis paroxysmo, opinionem nostram non perversam, & malè detortam in negotio Eucharistiæ, hæreticam vocare. III. Quod ad Lutherum, absit longè ut eum hæreticum Sacramentarium aut Eutychianum esse statuamus. Defendit quidem consubstantiationem, sed ex zelo οὐ κατ' ἐπίγνωσιν. Vbiquitatis quamvis anno 1527. & seq. semina jecerit, post colloquium Marpurgense tamen altùm de ea siluit. Discipuli, post ejus & fidelissimi Achatis Phil. Melanthonis excessum demum, & serò dogma hoc ab Inferis revocarunt. Pergit *secundò* pag. 136. *Vos etiam propter solam gratiæ, & liberi arbitrii causam, Arminianos tanquam hæreticos rejecistis, & socios Iesuitarum, & Lovaniensium, jure omni posthac dicendos affirmas.* Resp. 1. Apertum est mendacium, inspiciatur ipsa sententia. 2. Iteratò mentitur cum Arminianos à ministris ejectos esse dicit. 3. Nulla est consequentia ab Arminianis, ad Lutheranos. In illis detestati fuimus primo pertinacem defensionem Pelagianismi, comitatam erroribus, labefactantibus fundamenta religionis: jam verò amplius Socinianicas blasphemias mendaci tectorio Scepticismi incrustatas execramur. In his vero deflemus affectatam ignorantiam, obstinationem in defendendis erroribus, tanquam erroribus, de quibus tamen facilè convenire posset, modò odia & præjudicia seponerentur. Progreditur *tertiò, & nescio quæ non de virulentia Lutheranorum, & Sacramentariorum, quâ se invicem incessere consueverunt, ineptit, & garrit,* pag. 136. & 137. Sed illa omnia nihil ad rem

faciunt. 1. Triplò vehementius inſectantur ſe invicem Dominicani, & Ieſuitæ: nullis convitiis, nulli virulentiæ, aut maledictis parcunt. Nec hi tantum furore tali agitantur, ſed Sorboniſtæ & Loyolitæ quoque. Paginæ aliquot emblematis eorum conſcribillare poſſem, ſi Fromondus eſſem. Sed vide Voetium, Lector, de amabili concordia Papiſtarum p. 108. 189. 2. Qui per calumniam Sacramentarii vocantur illi non niſi irrati ad ſtylum acerbiorem deſcendere. Fateor vehementius paulò Calvinus VVeſtphalo, & Beza Heſhuſio reſpondere. Sed ita erant promeriti. Nec aliter unquam Patres excepere eos, qui vice argumentorum inconditis clamoribus, & latratibus inceſſere ſolent orthodoxam veritatem. 3. Vt ut tamen in nos invehuntur, aut verius ſtomachantur Lutherani, parati tamen ſemper ſumus dextras fraternitatis illis offerre, iis conditionibus quibus hactenus Theologi Palatini. Nec unquam ita contra nos tumultuabuntur, ut non proni ſemper ſimus ad pacem, ac concordiam cum illis colendam. Sumus enim memores aurei ejus moniti, quod ſuggerunt Impp. Honorius ac Arcadius: *Si quis*, inquiunt, *modeſtiæ neſcius, & pudoris ignarus, improbo, petulantique maledicto nomina noſtra crediderit laceſſenda, ac temulentiâ turbulentus obtrectator temporum noſtrorum fuerit, eum pœnis nolumus ſubjugari: neque durum aliquid, neque aſperum volumus inſtituere: quoniam ſi ex levitate proceſſit, contemnendum eſt: ſi ex inſania, miſeratione digniſſimum: ſi ab injuria, remittendum.* O ſi aliquando Deus omnibus eum Spiritum, quo Lutherum paulò ante mortem afflavit, indet, non difficulter inter nos conveniret. Vt enim narratur in Admonit. de lib. Concord. cap. de Autor. Lutheri, ſanctus vir non ita diu ante exceſſum faſſus eſt Philippo Melanthoni, ſe *in negotio cœnæ nimium eſſe factum.* Sed ita denique Lutherum nobis extorquere molitur pag. 138. *Voetius tamen dextras*, inquit, *eorum conteſſerare, & toto cælo diſſidentes reconciliare tentat; quod etiam olim incuſſum tentavit Bucerus. Sed id fiet quando Vnda feret flammas, & dabit ignis aquas. Citiùs cœlum cum terra, lumen cum tenebris commiſcebuntur, quàm homines tantâ capitalium dogmatum diſcordiâ inter ſe confli*ctantes poſſint ad concordiam redire. Ita quidem tu Dom. Doctor vaticinaris, ſed toto mundo conſtat te mendacem eſſe prophetam. Non tam ἀδύνατος reconciliatio eſt, quàm tu in antro tuo ſomnias. Citiùs cum bono Deo, forte inter nos conveniet, & concordia fraterna erit, quàm tibi, aut factioni tuæ futurum ſit gratum. Voetius ſpecimina initæ concordiæ monſtravit tibi in Deſp. Cauſa pag. 107. ſed quia ex gente fungorum es, ea nec tangere, nec videre potuiſti. Vide ſis, quæſo, ipſe eam paginam, & credemus te oculos habere. Ab initio decrevi chartæ parcere, nec inſtar cuculi & tui, ea repetere, quæ à Voetio bene dicta ſunt.

II. Dein pag. 138. ſect. 3. recenſere incipit cætera dogmata, in quibus ab Auguſtanæ Confeſſionis Theologis diſſentiunt communiter Eccleſiæ, & DD. noſtri. *Primò* ita dicit: *Ecce enim Lutherani Crucis Dominicæ imagines retinent, quas deteſtamini, & confringitis.* Quid ineptire eſt, ſi hoc non eſt? Lauda unum locum Lutheri, aut diſcipuli ejus, Fromonde, qui aliter de cruce ſentiat ac nos. *Lutherani*, inquis, *crucis Dominicæ imagines retinent.* Sed an eas adorant, aut in templis erigunt? Ita te opinari credo, quia in frontiſpicio operum Lutheri vidiſti pictum crucifixum. Quàm es maccus! Dicito nos honorare feles, & allium, & plus quàm Ægyptiacam idololatriam exercere, quia fortè imagines eorum in ædibus alicujus Proteſtantis, aut miniſtri invenies. Non odimus aut rejicimus ſignum crucis in ſe, ſed quia & quatenus, vulgò eſt idololatriæ inſtrumentum. *Secundò*, inquit, *Epiſtolam ad Hebræos, Apocalypſin, & epiſtolam S. Iacobi rejiciunt, quas recipitis.* Mendacium. Inſpice Lutheranorum libros, & aliud loquentur. Scio objicies mihi cum Campiano furcifero Lutherum, qui dubitavit aliquando de Epiſtola Iacobi, eamque aridam, & ſtramineam cum reſpectu quodam ad Epiſtolas Pauli vocavit. Sed quid hoc ad rem? Non negavit Canonicam eam eſſe: aut rejecit, ut nec quiſquam ex paucis ejus diſcipulis, qui hanc erroneam præceptoris ſui ſententiã amplexi ſunt. Quod ad Apocalypſin Ioannis, eam neque Lutherus, neque quis ex diſcipulis ejus repudiavit. Nec tam impudens

inter

inter Papanos hactenus adhuc calumniator à diabolo est excitatus, qui hoc comminisci, aut exprobrare fuit ausus. Quis virulentior unquam Campiano fuit, ille tamen hoc tantùm dicit Ratione primâ; *In Apocalypsi Iohannis, cujus omnes apices excelsum aliquid, & magnificum sonare confirmat Hieronymus, tamen Lutherus, & Brentius, & Kemnitius quidam, nescio quid, difficiles Aristarchi desiderant, eò scilicet propendentes, ut exauctoretur.* De Epistola ad Hebræos qui litem moverit Lutheranis, præter dæmonium hoc Lovaniense vidi adhuc neminem: nec quemquam inter eos etiam esse puto, qui unquam scribere ausus fuerit eam non esse θεόπνευστον, aut Canonicam. Fortè incidit Censor in Lutheranum quem, qui disquirit de authore ejus Epistolæ. Vnde mox secundum fanaticam suam Logicam conclusit eum dubitare quoque de divina ejus authoritate. *Tertiò* sic inquit: *Nec etiam in numero Sacramentorum est consensus.* Perge strenuè mentiri, & calumniari. Calumnia si non vulnus, cicatricem saltem relinquit. Dic mihi, blaspheme Censor, quis tibi narraverit Lutheranos plura, quàm duo sacramenta habere? Inspice Confessionem Augustanam. Vtinam verò Deus, hæc mendacia, in illustri adventu Iesu Christi tibi non imputet! Dices fortè Lutherum aliquando docuisse plura esse, quàm duo sacramenta, sed quid hoc ad rem? Vt cæcus ille in Euangelio Marci cap. 8. vers. 22. Ita per gradus, ac pedetentim irradiatus fuit radiis veritatis Lutherus. Initio cum scribere inciperet, videbat non esse septem sacramenta, & tamen existimabat plura esse quàm duo; postea re diligentius expensâ in Catechismo Majore duo tantùm esse statuit. *Quartò* dicit: *Fœminæ apud Lutheranos in periculo infantis baptiZant, quod nobis aliquoties ceu grande crimen objicis.* Concedo ita Lutheranos docere, nego verò ullibi Voetium privatum obstetricum aut muliercularum baptisinum, ut insigne flagitium Papanæ sectæ objecisse, quamvis tamen factum non probet. Vtinam non graviora essent flagitia Septicollis Babylonis! *Quintò* ait: *Infantes fidelium ex sententia Lutheranorum & verissima regno cælorum excluduntur, si discedant sine baptismo: tu verò erroribus Papismi, pag. 598. Limbum, & damnationem infantium non baptiZatorum accenses.* Iterum mentiris, & calumniaris, Fromonde: non excludunt Lutherani infantes sine baptismo hinc migrantes, regno cælorum. Vide Confessionem Augustanam Art. 9. ex posteriori interpretatione, & castigatione. Statuunt expresse virtute Christi posse salvari infantes non baptizatos, nec tamen docent baptismum contemnendum esse. Vide sis Lector qui veritatem cognoscere aves, Lutheranum Theologum magni nominis; Kemnitium nempe in Examine Concil. Trident. part. 2. de Sacram. in genere Can. 4. Ex recentioribus verò Balduinum lib. 2. de Casib. Cons. cap. 11. cas. 2.

III. Dein disputare aggreditur de Infantibus non baptisatis. Et sic quidem in Bezam invehitur. pag. 139. *Sic*, inquit, *BeZa contra Heshusium dicit: absit ut à cælo arceamus, qui nullâ suâ culpâ prius ad Dominum migrant, quàm baptiZari potuerint, cùm alioqui ad Dei fœdus pertineant. Loquitur autem apertè etiam de parvulis, quos ex parentibus fidelibus natos, etiam ad fœdus pertinere antè dixerat. Res, inquit, ita se habet. Quoniam expressè dicit Dominus in fœdere, Ero Deus tuus, & semini tuo. Et alibi, se facere misericordiam in mille generationes iis, à quibus diligitur, idcirco infantes ex fidelibus parentibus natos pro sanctis, id est, in fœdere divino comprehensis habemus, & cum Paulo dicimus, Si radix est sancta, sanctos etiam esse ramos. Sic isti crudeles infantiùm homicidæ, Scripturâ Sacrâ in æternum misellorum exitium abutuntur.* Quàm verè Augustinus dixit lib. 5. de Civit. Dei cap. 57. *Nihil est loquacius vanitate, quæ non ideo potest quod veritas, quia si voluerit, plus etiam clamare potest, quàm veritas.* In tot Censoris verbis, quàm parum veri comparet? Beza est crudelis, & homicida, quia infantes ex fidelibus parentibus natos sine baptismo hinc migrantes, cælo non exterminat; & Pontificii sunt mites, & misericordes, quia absque ulla commiseratione iis, qui nullum peccatum actuale commisere, & de quibus Servator noster pronunciat Math. 19. vers. 14. quod *eorum sit regnum cælorum*, gaudia cælestia invident. Iudicate omnes, qui ingenio non caretis, utri sint crudeles Calvinus & Beza cum suis, an stolidi Papanæ factio-

nis rabulæ. Dicit *infantium homicidæ*. Sed quid fiet Papanis DD. qui idem docuere, & sensere. Gerson ornamentum quondam singulare Academiæ Parisiensis Sermone de Nativit. Virg. Mariæ, *Nam constat*, inquit, *Deum misericordiam salvationis suæ, non ita legibus communibus traditionis Christianæ, non ita sacramentis ipsis alligasse, quin absque præjudicio legis ejusdem possit pueros nondum natos extra uterum intus sanctificare gratiæ suæ baptismo, vel virtute Spiritus sancti.* Et Gabriel Biel in 4. Sentent. Distinct. 4. qu. 2. *Quod ergo*, ait, *erit remedium generale pro parvulis in utero existentibus, nullum manifestat Ecclesia. Sed sensum Domini quis cognovit? &c. Voluit itaque remedia instituere, contra morbum peccati in Ecclesia, per sacramenta dispensanda, his qui noti esse poterant Ecclesiæ. Eorum verò qui nondum in lucem notitiæ prodierunt, remedia in sua potestate sola constituit: quos cum voluerit sine exteriori remedio, & sacrificare, & salvare potest: sicut factum de quibusdam Scriptura testatur. Insuper quod paucis in privilegium factum est, potest quibuscunque voluit impertiri, qui potentiam suam sacramentis non alligavit.* Idem statuit Cajetanus in 3. Part. Thom. ad q. 68. art. 11. Quem propterea etiam acriter perstrinxit ejus adversarius Catharinus. Similiter Tilmannus Sigebergensis lib. 7. de Sacram. cap. 1. Thomas Elisius Neapolitanus in Clypeo advers. hæres. quæst. 11. art. 3. Georgius Cassander lib. de Baptismo Infant. Vide dicacule Critice, quos non viros canina tua loquentia homicidis accenseat? Sed decipitur fortè Beza quia argumentatur à circumcisione ad Baptismum? vellet hoc quidem Fromondus, sed redarguunt eum domestici ac proprii DD. Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacram. part. 12. cap. 2. *Porro*, inquit, *fœminæ in populo circumcisionis solâ fide salvabantur, sacrificiis, & oblationibus, aliisque ceremoniis purificatæ: ipsam quoque circumcisionem fide suscipientes: & in eis, qui carnem illam susceperunt, venerandè participantes. Masculi qui morte præventi, ad octavam diem pervenire non potuerunt, & ob hoc, sine circumcisionis sacramento ab hac vita recesserunt: solâ fide parentum, cum oblationibus & sacrificiis intervenientibus, non improbabiliter salvati existimantur.* Et hæc est communis sententia multorum Scholasticorum, teste Vasquez in 3. part. Thomæ Disput. 165. cap. 3. Pro hac quoque fuit Abulensis in cap. 25. Math. quæst. 677. Si hæc autem circumcisionis fuit ratio, eadem esse debet baptismi. Vt enim Apostolus docet Col. cap. 2. vers. 12. circumcisioni respondet baptismus. Pergit catellus, & Bezam reprehendit, quòd ad probationem sententiæ suæ adduxerit hoc Bernardi dictum, *Non damnat quemquam baptismi privatio, sed contemtus: quæ*, inquit, pag. 139. *de solis catechumenis adultis qui contritione expiati, ante baptismum migrant è vita, apertissimè loquitur, incredibili impudentia trahit ad infantes.* Itane, Fromonde, Bern. ep. 77. ex qua Beza depromit præcedentem sententiam, non locutus est de Infantibus? Legistine, aut vidisti unquam Bernardum? Si legisses, contra veritatem sane non excepisses. Audi ipsum Bernardum eadem epistolâ, expresse ita dicit: *Quis nesciat, & alia præter baptismum contra originale peccatum remedia antiquis non defuisse temporibus? Abrahæ quidem & semini ejus circumcisionis sacramentum in hoc ipsum traditum est. In nationibus verò quotquot inventi fideles sunt, adultos quidem fide, & sacrificiis credimus expiatos: parvulis autem etiam solam profuisse, immo suffecisse parentum fidem.* Et ne quis putet eum aliter statuere de circumcisione ac de baptismo, ita dein loquitur, nihil in contrarium statuens de baptismo, sed ἐπέχων. *Sane*, inquit, *parvulis, & necdum ratione utentibus, quia sola nocere creditur peccati contagio, non etiam mandati prævaricatio, tamdiu credendum est antiqua valuisse sacramenta, quamdiu palam interdictum esse, non constiterit. An verò ultra penes Deum est, non meum definire.* Sed excipit *secundò* Doctor, adducto loco ex eadem Bernardi Epistola, quæ Bezæ adversari videtur. Bene autem fecit, quòd cum Duræo Ies. quem hic compilasse videtur, integrum locum non adscripserit, confusus enim fuisset: Quod eum autem puduit, nos non pudet. Integer Bernardi locus Ep. eâd. hic est: *Vera enim*, inquit, *& plena fides universa præcepta complectitur: Est autem hoc unum, ipsumque præcipuum ex præceptis. Meritò ergo non fidelis, sed planè rebellis, atque contemptor reputabitur, quisquis obedire renuerit. Quomodo denique fidelis,*

qui

qui Dei contemnit sacramentum? Sanè infantes, quia hanc prohibente ætate non possunt habere fidem, hoc est, cordis ad Deum conversionem, consequenter nec salutem, si absque baptismi perceptione moriuntur. Non quòd vel ipsi quando baptizantur, fide omnino careant, sine qua impossibile est vel ipsos placere Deo, sed salvantur & ipsi per fidem, non tamen suam, sed alienam. An non cæcus videat Bernardum loqui de Infantibus infidelium, quorum parentes neglexère baptismum? *Tertiò* Bezæ objicit Bernardi locum ex epistola ad Hildefonsum Comitem S. Ægidii, quæ inter Epistolas ejus est 240. Sed ibi nihil aliud dicit vir zelotes quàm parvulis Christianorum intercludi vitam, & negari gratiam baptismi. Loquitur autem ibi de ataxia, & confusione Ecclesiæ concitata à nescio quo Henrico. Hyperbolis ibi indulget. Quod verò obscurius ibi ab eo dicitur, elucidandum est ex aliis locis. Potissimùm ex Ep. 77. eâ enim ex professo disputat, & agit de hac controversia. Sed demus Bernardum tantùm locutum esse de adultis & catechumenis, quid hoc Bezæ adversatur. An non secundum ipsum Bernardum adultorum catechumenorum, qui suâ fide salvantur, & infantium qui alienâ, hoc est, parentum, fide eadem ratio? Docet hoc ipse loco proximè laudato. Quare rectè Bernardi dictum à Beza applicatum est Infantibus.

IV. Progreditur pag. 140. in hac controversia, & ex duobus Augustini locis infantes, sine baptismo excedentes, in peccatis mori, probare laborat. Fateor Augustinum in ea opinione fuisse. Sed quid hoc præjudicat veritati, quam ex Scriptura defendimus. Augustinus hic erravit. Quod inde manifestè liquet, quia non solùm statuit infantes necessariò esse baptizandos, sed etiam Eucharistiam iis administrari voluit. Vt videre est apud eum lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 20. ep. 23. & 107. lib. 1. contra Iulian. cap. 2. & lib. 3. cap. 12. Agnoscere & hoc compellitur Maldonatus Iesuita Comm. in cap. 6. Iohan. *Augustini,* inquit, *& Innocentii primi sententia fuit, quæ sexcentos fere annos viguit in Ecclesia, Eucharistiam etiam infantibus necessariam esse. Illam autem sententiam æque fundatam putabant Iohan. 6. vers. 53. atque alteram Iohan. 3. vers. 5. quos locos etiam esse planè similes Toletus observat.* Si ergo Romanum conciliabulum Augustini sententiam sequitur in Baptismo, cur non in Eucharistia etiam? Vtrumque enim docuit Augustinus, & ex Scriptura probare studuit. Quæ de Pelagianismo pag. 141. Synodo Dordracenæ à Iansenio cap. 59. Spongiæ objecto inepti, infra diluemus & examinabimus.

V. Deinceps enarrat dogmata in quibus discrepamus à Lutheranis. *Plura,* inquit pag. 141. *nec parvæ rei dogmata, ut circa Christi latricam adorationem, virginis partum, &c. cumulare possim, in quibus terrâ cæloque à Lutheranis dissidetis.* Quæ hæc monstra opinionum! Nemo nostrum unquam fando quidquam de iis audivit. Lauda authorem Fromonde, qui hæc tibi suggessit, & te absolvemus. Distinctè indica discrepantiam sententiarum. Audivisti fortè in strepitu, olim disceptatum fuisse inter Kemnitium, Iohannem Andreæ, ac Danæum, foretne Christus etiam secundum humanam naturam, quia mediator & θεάνθρωπος est, adorandus, an verò tantum secundum divinam naturam, sub τῷ formali Deus, an denique ut quidam ex nostris etiam volunt, quâ mediator, hoc est, sub τῷ formali mediatoris, ut objectum adorationis non tantùm sit Christus Deus, sed Christus mediator, Deus & Homo. Sed quis, nisi puer in Theologia videt has controversias, Academicas esse. Si hæc est hæresis, cloacæ hæresium sunt omnia vestra gymnasia, ac Academiæ. De Mariæ Virginis partu, nihil aut rescisceere, aut discere potui, quanquam multos Lutheranorum libros perreptavi. Si tu quid Dn. Doctor, aut audivisti, aut somniasti, doce nos, ne censearis inter sycophantas. Pergit, & ita dein pag. 141. loquitur: *Quàm etiam in fatali illa Calvinistica necessitate, Calvino cum Melanthone conveniat, discere potes ex Epistola Melanthonis ad Calvinum anno 1543. Ego cum hypothesin hanc teneam, inquit, Deum non esse caussam peccati, nec velle peccatum, postea contingentiam in hac nostra infirmitate judicii nostri admitto, ut sciant rudes, Davidem suâ voluntate ultro ruere.* Resp. 1. Falsum est, & putida calumnia, quæ centies millies est retusa, Calvinum docuisse fatalem necessitatem. Tantum abest, ut à Calvini sententia de absoluto decreto robur

robur aliquod accedat. Fato Stoico, funditus ab ea evertitur. 2. Quod Melanthon in Epistola scribit, ultro concedit Calvinus, & nos libentissimè cum eo; David sua voluntate, & ultro ruit: fuit enim proxima causa sui lapsus, nec Dei decreto, veluti causæ morali lapsus, quicquam imputandum est. Adhoc contingenter quoque lapsus est, quia ratione secundarum causarum potuerat non labi in adulterium, & homicidium: respectu verò decreti divini, & causæ primò primæ fieri non potuit, quin laberetur. Vide Carthaginem æmulam Romani imperii, hoc est, Academiæ Duacenæ Professores, & inter eos Sylvium tract. de Motione primi Motoris, ut nunc Bannes, Alvares, Rispolis, cæterosque Thomistas prætercam. 3. Do, Melanthoni (quamvis ex loco à Fromondo adducto, probari non possit) non convenisse cum Calvino in doctrina de Prædestinatione, non tamen inde sequitur Melanthonis sententiam, esse communem opinionem omnium Lutheranorum. Etenim in hac doctrina ipsi Luthero non convenit cum Melanthone. Vtrius verò major est authoritas? Legatur modo illius libellus de Servo arbitrio contra Erasmum, qui extat tom. 2. oper. VViteb. 4. Quid hoc facit ad rem, quod non conveniat inter Melanthonem & Calvinum in doctrina de Prædestinatione, & Gratia. Non convenit quoque inter Duacenam & Lovaniensem Academiam, inter Dominicanos & Iesuitas. Si propterea alterutri, aut Lutherani, aut Calviniani sint habendi pro hæreticis, hæretici quoque sunt aut Lovanienses cum Loyolitis, aut Duaceni cum Dominicanis. Subnectit dein more suo putidissimum mendacium. *Acne Zvvinglianis quidem*, inquit, *Bernensibus (quos tanto consensu amicitiam cum Calvinistis colere, videri vis) placuit, imo adeo displicita est Calvinistica fatalitas, ut anno 1555. doctrinam illam Calvini totâ suâ ditione proscriptam eliminaverint.* Quis boni quid expectet ab hoc Critico, qui non verecundatur adeo impudenter, & aperto capite mentiri. Bernenses, ut audio, anno 1555. proscripsere Calvini doctrinam de Prædestinatione. Evolvo omnes historicos qui res ejus anni descripsere, & ne γρῦ quidem apud quenquam invenio. Nec te quoque, Fromonde, ne unum quidem ex tuis Scriptoribus adducere posse credo, qui mendacio huic patrocinetur. Si apud quem eorum hoc legisses, non reticuisses certè ejus nomen. Soles enim diligenter annotare Cochlæos, Tiletanos, Surios, similesque Volusi, & Tanusii fraterculos. Certè ergo credo, te in mucoso tuo cerebro cudisse hanc calumniam. Vtinam verò eam Deus tibi non imputet! Quod ad Bernenses autem per centum & amplius annos, Genevensium intimi, & conjunctissimi in spiritu amici fuere. Nunquam audivi aut eos, aut quos alios ex reformatis Helvetiorum pagis conquestos fuisse de Calvini doctrina. Nisi quod unus Hueberus ab iis ad Tubingenses defecerit, & inter Lutheranos ex odio, & malevolentia nova dogmata de prædestinatione & Gratia spargere cœperit. Vix autem ille transfugerat & Amplius. Magistratus Bernensis Synodum convocavit, ad quam præter Theologos Tigurinos, Basileenses, & Schaffusianos, convenere quoque Genevenses (accidit hoc anno 1588.) & unanimiter ad præcavenda omnia scisinata formulam exactissimam de Iustificatione, Sanctificatione, & annexis dogmatis concepere, & subscriptione sua approbavere. Quod autem ad doctrinam de Prædestinatione; vixit & docuit Bernæ ab anno 1548. ad annum 1563. summus & doctissimus Theologus VVolfgangus Musculus, qui variis scriptis constanter, & eruditè eandem cum Calvino sententiam defendit. Quid quod Ecclesia Bernensis anno 1618. ad Synodum Dordracenam misit D. Marcum Rutimejerum, ut per eum testaretur se fovere orthodoxam veritatem cum omnibus verè Reformatis Ecclesiis in controversiis à Remonstrantibus motis in doctrina de Prædestinatione, & Gratia. Scripseram hæc, & incido casu in Ioannis Brerlei nugacissimi & mendacissimi Sacrificuli Apologiam Protestantium pro Ecclesia Romana: evolvo eum, & deprehendo Tract. 2. cap. 2. sect. 10. subd. 14. idem, quod Fromondus hic mentitur, ab eo assertum ex literis Magistratus Bernensis datis ad Ministros anno 1555. Sed quis illas literas inspexit, quis in acta retulit, aut quis in ullo scripto earum summam commemoravit? Quàm similes sycophantæ hi sunt hæreticis illis

illis de quibus loquitur Hieronymus in Comment. ad 23. caput Ierem. *Epistolas plenas mendaciorum*, inquit, *& fraudulentiæ, atque perjurii in orbem dirigunt, ut & aures polluant audientium, & existimationem simplicium lædant. Non enim eis sufficit iniquitatem propriam devorare, & proximos lædere: sed quos semel oderunt, per universum orbem infamare conantur, & ubique seminare blasphemias.*

VI. Post mendacia redit ad coccysmos suos, & nescio quot non verba iterum de dissensu Lutheranorum, & Calvinianorum fundit. Quid verò opus ea omnia, quæ semet ipsa obtundunt, excutere. Dixerat Voetius p. 216. de Luthero quod Augustinus de Cypriano, in eo nempe *opinionis vitium virtute confessionis esse abolitum*. Ferre hoc non potest vesanus Doctor, eôque ita cornicatur p. 141. & 142. *Cyprianus adversus Ecclesiæ Catholicæ definitionem pertinax non fuit, erroremque positurus erat, si usque ad plenarii Concilii, quod postea secutum est definitionem superstes fuisset, ut sæpe Donatistis inculcat S. Augustinus, &c. Lutherus verò in Articulo Eucharistiæ, & quibusdam aliis ab Ecclesia vestra definitis, ad mortem usque pertinacissimus mansit.* 1. Quæro quid intelligas, Dn. Libertine per definitionem Ecclesiæ Catholicæ: si Romanam intelligas, longissimè falleris. Cum ejus capite Stephano contendit Cyprianus. Vt liquet ex Epist. 74. & 75. Si verò aliam intelligis quam Romanam synagogam, disce ex te ipso vos, vestramque sectam malè dici Catholicam. 2. Concilii legitimi definitionem de Eucharistia non sprevisset Lutherus. Si enim professus est se paratum esse parere concilio legitimè convocato in decisione controversiarum de quibus cum Papana factione contendebat, multò magis paruisset Concilio, in doctrina de Eucharistia. 3. Lutherus sanior factus est post colloquium Marpurgense, & ut supra hoc eodem capite ostendimus fassus est se *nimium fuisse* in hac causa 5. Distinguendum est inter Lutherum sobrium, & sacro zelo quasi ebrium. Extra contentionem, cum Zuinglio, & Oecolampadio, in qua plus æquo sibi indulsit, sanior longe est, & si non alienum admodum esse ostendit à veritate. Ita in libro de Capt. Babyl. dicit: *Nulla manducatio vivificat nisi fidei. Hæc est enim verè spiritualis, & viva manducatio. Sicut & Augustinus, Vt quid paras ventrem, & dentem? crede, & manducasti.* Ibid. *Calix non transsubstantiatur judicio Papistarum: cur non omnia alia pro accidentibus, & speciebus ponuntur?* Ibid. *Sacramentum est testamentum Christi, quod moriens reliquit fidelibus, &c. in quo tria consideratione digna: primum est mors testatoris, corpus quod datur, sanguis qui funditur: secundum, hæreditas in remissionem peccatorum: tertium, hæredes pro vobis, pro multis: fides autem hæredes facit.* Ibid. *Corpus tradam, & sanguinem, utrumque in signum & memoriale ejusdem promissionis relictum.* Ibid. *Si Testamentum est promissio, nullis operibus, nullis meritis ad eam acceditur, sed solâ fide.* Enimvero qui extra contentionem ita sobriè, devotè & religiosè de sensu verborum Eucharistiæ sensit, quantum non ille tribuisset synodo legitimè convocatæ? Fuit ergo primò magis ignorantia, quàm exacerbatio, postea autem magis exacerbatio, quàm ignorantia, nedum ut hæresis vocetur, quæ Lutherum avertit quo minus veritatem profiteri potuerit in doctrina Eucharistiæ. Pergit noster pag. 142. & novo argumento probat nos credere debere Lutheranos esse hæreticos. *Ecclesiam*, inquit, *Lutheri saltem schismaticam esse, negare non potes. Omne autem scisma, inquis, pag. 645. si pertinacia, & continuatio accedat, desinit in hæresin, aut hæresin secum trahit, illam saltem, quæ est contra articulos fidei de Ecclesia. Igitur Lutherus, jam tibi palam hæreticus est, qui tam longè, & ἐς κόρακας Ecclesiam vestram cum omnibus Doctoribus suis Suermericis abjicit.* Resp. 1. Falsum est Ecclesias Lutheranorum esse scismaticas: haud magis ac scismatica est clamosa Sorbona, quia ad sanguinem scilicet, oppugnat conciliabulum Tridentinum, & supremam Papæ potestatem. Ad scisma omne requiritur separatio, ab unitate Ecclesiæ. Nunquam illa facta est quamvis intentata, à tempore libri Concordiæ à Lutheranis. Πικρότης tantum, & exacerbatio intercedit. 2. Scismatici neque Lutherani, neque Calviniani sunt dicendi, quia alteri ab alteris non sunt egressi, nec neutri unquam peculiares factiones instituere studuerunt. 3. Si Lutherani aut Calviniani sint scismatici,

matici, ſciſmatici quoque erunt Dominicani, Loyolitæ, & Capucini: condemnant enim ſe invicem, & oppugnant acriter, nec alii aliorum profeſſiones amplecti, aut inter ſe communionem colere volunt. Sed dicit pag. 142. Fromondus, *eos communionem colere cum Eccleſia Romana*, ſed quid hoc ad rem? Quemadmodum illi inter ſe conſentiunt quod Papa ſit caput Eccleſiæ, ita Lutherani & Calviniani amicè inter ſe conſpirant quod ſolus Chriſtus ſit caput Eccleſiæ, Papa verò filius perditionis, & verus Antichriſtus. Addit; *Mox ubi Eccleſiæ definitio diſputantibus supervenit illico ſilentium, & fracta utrimque pertinaciâ, obedientiæ fidei colla ſubmittunt.* Miror ergo quòd tot turbæ in Hiſpania ſint concitatæ de verſione vulgata, quam tamen authenticam eſſe pronunciaverat conciliabulum Tridentinum? Aut quòd etiamnum non ceſſent Dominicani docere Virginem Mariam conceptam eſſe in peccato Originis. Falleris longè Dn. Doctor, ſi cenſeas omnes tuos fratres, & Doctores, ſe ſuumque judicium ſubmittere Papæ Romano. Quot Papani, totidem pæne Papæ: & quiſque vult eſſe Pontifex & infallibilis judex eruditionis, & vitæ ſuæ. Obſignat caput hoc inſigni, & verè Fromondiana ſubtilitate; ita enim pag. 143. *Probus tamen non illepido argumento, vos eſſe revera Lutheranos, & Ianſenium Eccleſiæ Romanæ contradicere; quia veſtra Eccleſia omnes noſtros, inquis pag. 106. non tantùm per Germaniam, ſed & Angliam, Belgium, Galliam communi nomine Lutheranorum ſolet appellare, &c. Sed ſimili argumento Anabaptiſtæ, Antitrinitarii, Tritheiſtæ, erunt etiam Lutherani, quia omnes quicumque perſonam aliquam agunt, & ſaltant in hoc theatro, apud Hiſpanos nomen à Luthero ſortiuntur, qui fabulam incæpit.* Reſp. 1. Mutilat argumentum. Voetius probaverat antè, ipſum Ianſenium quoque, Lutherum vocare *patriarcham, & prophetam noſtrum.* 2. Etiamſi ſic etiam vocentur Anabaptiſtæ, &c. ſtat tamen ſic vocari etiam, & paſſim, & quaſi κατ' ἐξοχὴν Calvinianos, & hoc roborat hactenus Voetii argumentum. 3. Si aut Lutheranis aut Calvinianis accenſeantur aut Anabaptiſtæ, aut Tritheitæ, &c. mox utrique excipiunt. Non verò quando alteri alteris accenſentur. 4. Non niſi per ſummam malitiam, & pluſquam diabolicam calumniam aut Lutheranis, aut Calvinianis accenſentur Anabaptiſtæ, Antitrinitarii, Tritheiſtæ, &c. quia toti mundo conſtat, neutros ut ſuos, dictos hæreticos agnoſcere, & ab utriſque oppugnari. 5. Voetius ipſe non ſtatuit hoc argumentum plus eſſe quàm ad hominem tantum. Si vir haberi voluiſſes Fromonde, Ianſenium tuum, qui ipſe in Spongia *Lutherum Patriarcham & prophetam noſtrum* vocavit, à miſera contradictione vindicare debuiſſes. Garrit denique quædam de Calvino, ſed ea examine indigniſſima. Tranſimus ergo ad examen cap. XXVI.

CAPVT XXVIII.

Ridiculo argumento probat Fromondus primos Reformatores interrogatos eſſe, qui eſſent, & unde veniſſent. Lutherus, aut Calvinus non adverſatur Voetio.

I. POſtquam irrito conatu, & inani diligentia à Lutheri ſocietate nos avellere ſtuduit, omiſſis tot Voetii argumentis, & reſponſionibus, hoc tantum arripit, quod Voetius alicubi dixerat Lutherum & reliquos Reformationis ſigniferos, à primis antagoniſtis non fuiſſe interrogatos qui eſſent & unde venirent: videbat quippe hic feneſtram aperiri ad garriendum, & uſui fore magiſtrum ſuum Dn. Florimundum Ræmondum. Incumbit ergo ei probatio facti: quod nempe primi Reformatores fuerint interrogati *Qui eſſent, & unde venirent.* At quomodo hoc tandem probat? Incipit à Zuinglio: *Zuinglium*, inquit, *tanquam furem & latronem inter alios publicè accuſavit Catholicus ille Sacerdos Lucernæ in Helvetia, cujus hiſtoriam ex Cochlæo narrat Tiletanus.* Vbi pudor! Si liceat mihi teſtes domeſticos, & authores noſtros adducere, omnia citra pulveris jactum probavero. Imo è veſtigio evicero nullum Pſeudo-Catholicum poſſe ſalva conſcientia intereſſe Miſſæ. Quia hoc probant Pleſſæus, Sadeel, Beza, Molinæus, &c. Sacrificulus Zuinglium vocavit *furem & latronem.* Sed quis Angelus revelavit Fromondo eum hac phraſi voluiſſe innuere Zuinglium non habuiſſe vocationem;

cationem; & cucurrisse antequam missus esset. Ego statuo omnes sacrificulos qui pervagantur diœcesim nostram esse *fures*, quia auferunt & furantur simplicium, ac pauperum rusticorum pecunias, nec non *latrones* quia multas miseras animas interimunt. Quàm tamen incandesceret & clamaret Doctor, si dicerem Arcadicos hos equites nullam habere vocationem. *Catholicus ille sacerdos Lucernæ.* Qualis hic ὄντως fuit? caruitne nomine bonus sacerdos? An in disputatione aliqua coram, an in aliquo libello Zuinglium furem & latronem vocavit? Quis audivit? quis legit? A Zuinglio transit ad Calvinum, & de eo ita nugatur pag. 145. *Disputatio etiam Doctoris Sorbonici D. de Pane cum Calvino 1548. super vocatione ejus non ignota est, & literis à Flor. Ræmondo consignata.* Ergo credere debemus, quia αὐτὸς ἔφα, redivivus Pythagoras, personatus nempe Flor. Ræmondus. Mendacem oportet accuratum esse, si velit apud indoctos, & incautos fidem mereri. Quis mortalium meminit disputationis D. Depanæ & Calvini, præter Florimundum? Dic mihi Fromonde, ubi hi athletæ simul fuerint congressi, & an scriptis inter se fuerint velitati, an verò in rem præsentem venerint. Hoc ubi mihi narraveris, amplius inquiram. Sed demus sexcentos rabulas ex Calvino quæsivisse *quis esset, & unde veniret*, non tamen mendax efficeretur Voetius. Dixit enim quinque hæc mystica Iansenii verba non fuisse proposita primis Reformatoribus; Calvinum autem ex primis fuisse, constanter negat, ut & ipse Fromondus agnoscit, quando ita Σαρδονικῶς cornicatur pag. 143. *Calvinum*, inquis, *imperitè Heroibus illis permisces. Quia nempe Calvinus non omnium primus, sed post Farellum, & Petrum Viretum, &c. Euangelium suum Genevensibus prædicavit.* Vt qui semel depuduit, gnaviter est impudens, ità quoque qui semel ineptire est aggressus, ineptiendi nec modum, nec rationem invenire scit. Videmus in ineptorum perpetuo Dictatore Fromondo. *Præterea*, inquit pag. 145. *in Synodo Calvinistarum Pictaviensi 1559. Advocatus celebris, & inter principes Calvini discipulos, nomine la Borderie, palàm suasit, ut deserto schismate redirent ad Ecclesiam, & in ea reformare conarentur, si quid existimarent reformandum; aliàs nullâ excusatione tegi posse infamiam sacrilegii, quo munus Ecclesiasticum sine vera, & legitima vocatione invasissent.* Ne quis verò dubitet Sybillæ folium esse, quod ab eo narratur, in margine citat Dn. Florim. Ræmondum, cui sine teste, sigillo, ac plumbo quid narranti æquè credendum est, ac decem ebriis rusticis sanctè jurantibus Lunam esse planam, quia sic videtur. *In Synodo Pictaviensi 1559.* dicit Historicus. Credo Parisinam dicere voluit: eo enim anno prima Synodus Reformatarum Ecclesiarum in Galliis Lutetiæ fuit celebrata, ut annotatur in Comment. de Statu Relig. & Reip. in Gall. lib. 1. Sed parum refert sive Synodus habita fuerit Parisiis, sive Pictavi, sive Constantinopoli, sive Hierosolymis, sive in Vtopia: quod factum est, infectum iri nequit, *La Borderie* monuit ministros. Quid dubitas? Narrat hoc Flor. Ræmundus. Et ne quis scrupulus in animo tuo hæreat, recitat ipsam advocati orationem. O factum bene! Ita & Æsopus introducit bestias loquentes, & Lucianus Deos cælestes, Marinos, & Infernales. Sed aliud mysterii, Lector, ex Florim. Ræmundo disce. *Audivi*, inquit, *à quibusdam Ministris hanc quæstionem de vocatione sæpe inter ipsos fuisse agitatam, & quosdam liberè confessos esse, totum hoc suæ reformationis negotium, ludicrum quid, mimicum, Comœdiæ adinstar esse.* Næ tu loquax nimis Doctor es, qui authorem prodis, qui lepido meo Corn. Iansenio quinque Seraphica & mystica vocabula suggessit. Existimabam eum in suo cerebro novam hanc cabalam fabricasse. Cæterum tam vera hæc est narratio, quàm Ovidii Metamorphosis. Vt qui priores lupum videre, verbum proloqui non possunt, ita velut statuæ derepente obmutescunt ministri, quando quis ex iis quærit, *Qui estis, & unde venistis.* Quinque his verbis æque miraculosè in statuas transformantur, ac virtute vocum sacramentalium panis in verum & reale corpus Christi. Vtinam ante centum annos vixisset bonus Iansenius, aut ejus anima habitasset in furibundo Cochlæo, non sensisset Pontificis arca tantum interimentum. Negare scilicet non possunt ministri, se percelli, quando de vocatione instituitur sermo, quia hoc dicit infallibilis Doctor Flor. Ræmondus,

qui ea quæ Parisiis geruntur, Pictavii audire potest. Sed utinam ad has quinque voces soli hæreticorum ministri percellantur? si quis mystica illa interrogatione incessat sacrificulos inter nos oberrantes, videbit eos non in cervum cum Actæone, sed in saxum cum Niobe converti. Quia enim non consistunt in sterquilinio suo homines, simul ac compellantur, verentur ne disputare debeant, subducunt se è vestigio, nec verbum (ut ut blandè etiam invitentur) proloqui audent. Rogo verò omnes Reformatos, ut quocunque loco asellos hos invenerint, omissis aliis argumentis, quærant tantum, *Vnde venerint*, & oculum excludo si non unâ illâ interrogatione eos confusuri, & in fugam conjecturi sint. Sunt enim trunci, stipites, & plus quàm pecudes. *De quorundam infirmitatibus habent quod valent, nihil valentes, si in bene valentem fidem incurrant.* Vt cum Tertull. loquar lib. de Præscr. cap. 2.

II. Postea, quia nullum tenebrionem ad manum inveniebat, qui de Luthero testabatur eum interrogatum esse, *qui esset, & unde veniret*, cum Voetio, hoc est veritati opponere satagit pag. 146. Lutherus lib. de Abrog. Missa, *Papanos sacerdotes sine vocatione*, &c. *& ministros Satanæ esse dicit, Ergo secundum Fromondi ratiocinationem, dici non potest eum habuisse ordinariam vocationem ad reformandam Ecclesiam.* Resp. 1. Lutherus loquitur de abusu vocationis, & de nævis, ac flagitiis cleri, ad quæ non erat vocatus aut vocari poterat. Quando enim in Politia Magistratus subalternus à superiore quo lectus, & ordinatus, obliviscitur legum avitarum, juramenti, & curæ subditorum, rectè dicitur *esse sine vocatione*. Quia vocatio semper respicit primam sanctionem, & leges de ea latas. 2. Illi de quibus loquitur Lutherus prorsus recesserant à Christi supremi legislatoris formula & instituto, undè rectè potuere dici *sine vocatione* esse Quomodo & Christus Ioh. 10. vers. 8. *Omnes qui ante eum venerant, fures & latrones fuisse pronunciat.* Quis verò neget multos ex iis super cathedram Mosis sedisse & aliquam vocationem in populo Iudaico habuisse? 3. Quamvis Lutherus dicat non habere vocationem vulgus clericorum & sacerdotum, non tamen inde sequitur, eum sine vocatione cucurrisse. Haud magis quàm tempore belli intestini, & turbatæ reip. quando multi officia, & munera publica occupant: aut cum sola pecunia honoratur, & promovetur. Nihilominus tamen aliqui secundum præscriptam formulam, quanquam forte ea multis externis nævis est obsita, vocari possunt, immo etiam vocantur. 4. Lutherus, ut ipse Fromondus fatetur, loquitur de iis, qui à Papa erant vocati, & ordinati ad prædicanda Papalia dogmata, pugnantia cum Christi præceptis. Sed quid hoc officit ordinariæ Lutheri vocationi; Quo minus monere potuerit omnes, ut exirent è Babylone? Vt enim ostensum est à Voetio in Desp. Causa pag. 100. Lutherus qui saltem ut Christianus si non ut Doctor Theologiæ ac presbyter, hortari omnes poterat ut sedulo veritatem in Scripturis ruminarentur, non proprio motu, aut propria authoritate, sed principis, Academiæ, populi consensu curam & regimen VVittebergensis Ecclesiæ suscepit. Cùm illi de quibus loquitur Lutherus, tantùm ordinati essent à Papa, aut ejus satellitibus, Episcopis. Ostendit enim Voetius doctè, aliud esse Ecclesiam, aliud Episcopum p. 186. & seqq. Non ab Episcopo, sed Ecclesia nævis etiam multis infecta, habente tamen potestatem aliquam, & vocationem Ecclesiasticam vocatus est Lutherus. Vt multis ostendit Voetius loco citato, quæ refellere debuisset Censor, si suum Iansenium in integrum restitutum voluisset. Sed Voetio quoque Calvinum opponit pag. 145. Is lib. 4. Instit. cap. 3. sect. 4. ita loquitur: *Non nego quin Apostolos postea quoque, vel saltem eorum loco Euangelistas interdum excitavit Deus, ut nostro tempore factum est. Talibus enim, qui Ecclesiam ab Antichristi defectione, reducerent, opus fuit. Munus tamen ipsum nihilominus extraordinarium appello, quia in Ecclesiis ritè constitutis locum non habet.* Resp. Loquitur Calvinus de Euangelistis, qui veritatem annunciarunt, quod ne quidem laicis denegare audet Iansenius. Sed Calvinus dicit, *munus primorum reformatorum fuisse extraordinarium.* Voetius etiam quodam respectu illud concedit. In Desp. Causa p. 171. Ratione enim tum ordinarii cursus, ceu mavis claudicationis plerorumque ordinariorum, tum executionis, & functionis

functionis ipsius muneris, quæ labore, zelo, diligentia, nec non successu quoque extraordinario fuit fœcunda, & celebris: ipsum munus Metonymicè potest dici extraordinarium.

CAPVT XXIX.

Ineptè respondet Fromondus ad Monachatum Lutheri. Ejus insania & ignorantia multiplex. Sacrificuli exæquantur Christo creatori, & virgini Mariæ. Rectè Voetius citavit Richardum de Media Villa.

I. SEquitur ordine cap. XXVII. Criseos, quo Censor nihil pene agit: & rectè fecisset, si præcedenti capiti omnia quæ hic congerit annexuisset. Sed videtur gloriolam captasse in numero capitum: & fortè quoque in singula præmium statuerat Iansenius. Voetius p. 101. & 102. Desper. Causæ: de Monachis, Abbatibus, & Abbatissis, eorumque jure quædam congessit, ex quibus falsarius Fromondus p. 148. contra mentem Voetii hanc falsam conclusionem elicit: *Ergo Lutherus Monachus habuit legitimam vocationem ad reformandam Ecclesiam.* Cùm hoc tantùm, ut dicunt ad hominem (ipse enim Voetius non magis Monachos papales, quàm Papam agnoscit) inde concludat, ut liquet clarissimè pag. 101. Ergo Luthero *ut monacho licuit corruptelæ doctrinæ, aut morum se opponere, aut Reformationem aliquam necessariam pro sua parte moliri.* Fallitur perpetuò Fromondus, existimans Voetium Luthero, Zuinglio, &c. totum negotium Reformationis deferre. Non plus iis tribuit, ac fervidis, zelotis, & piis aliquibus concionatoribus. Buccinam illi accendere, clamavêre contra abusus Papatus, evigilavit Ecclesia, clerus, magistratus, & pro se quisque opus Reformationis perfecit. Nota hæc, Fromonde, aliàs miserè enim ἀεροβατεῖς, & cum umbra tua luctaris. Si neges hanc Voetii mentem esse, adi Desp. ejus Causam. Pensiculato & defæcato animo legito lib. 2. sect. 1. cap. 7. Si hallucineris, significato nobis, procurabimus tibi collyrium, & ocularia. Dicit dein respondens ad Voetii argumentum: *Antecedens tuum tantùm probat, Monachos esse capaces multarum dignitatum, munerum Ecclesiasticorum, & Vocationis (quod Iansenius tantus natu, à multis jam annis probè novit) tu inferre vis, Ergo de facto omnes Monachi habent istam vocationem.* Ita: habent vocationem ad illud faciendum, quod fecit Lutherus, & quidem de facto, ac actu. Quod etiamsi concedere recuses, invitus tamen fateri compelleris. Dic ingenuè mihi, Fromonde, an non legitimè, rectè, ac ordine monachos tuos vocatione sua defungi censes, qui relicto claustro in Hollandiam, aut alias Reformatorum regiones se conferunt, & publicè ac domatim, quàm possunt ferventissimè omnes monent, hortantur, obsecrantur, & supplicant, ut attendant ad insidias Hæreticorum, & à Guesiis ad Catholicos transeant. Non opinor, te ita cum Iansenio tuo depuduisse, ut dicere ausis hos terminos vocationis suæ transilire, & currere antequam missi sint? Atqui si licet hoc monachastris, imo si licet hoc indoctis, garrulis, & sacris cloppis, quantò magis hoc licuit Luthero, cui mandata erat ex parte cura Ecclesiæ VVittebergensis, & Zuinglio qui parochus, pastor, & rector erat Ecclesiæ Tigurinæ? Si probaveris aliud Lutherum, & Zuinglium fecisse, totam causam tradam. Voetius lib. 2. sect. 2. cap. 16. solidè, & multis rationibus probavit, ridiculam esse differentiam, quæ vulgò statuitur inter Presbyterum, Pastorem & Concionatorem. Moles illas rationum quia perrumpere non poterat, novo artificio iis opponit verba Iansenii sui ex c. XXV. Spongiæ. Atqui eadem ratione exscripsisset totam Spongiam, & Alexipharmacum sui Episcopi, addito hoc elogio, esse aheneos muros, & oppugnari, aut prosterni non posse, Voetium autem congrediendo cum iis Deo bellum intulisse, ac naturæ repugnasse. Quàm potens es veritas, & in quas angustias, ineptias, & ignominiam eos conjicis, qui te agnoscere non volunt! Et quàm verè Hilari de Fromondo, Iansenio, eorumque sociis locutus, imo vaticinatus es lib. 8. de Trinitate: *Proficit semper*, inquis, *contradictio eorum, ad stultitiæ demonstrationem, quia quæ ingenio insipientis, aut perversæ intelligentiæ adversus veritatem coaptantur, dum est inconcussa, & immobilis, necesse est, ut quæ è diverso sunt, & falsa intelligantur, & stulta.* Sed puduit eum ipsum hujus vesaniæ, & ex duo-

decim Voetii reſponſionibus, quas ſecundum ſolitam maledicentiam *frigidas* vocat, unam tantùm arrodit. *Sed ſexta*, inquit pag. 149. *maximè & directè videtur ad rem. Ais enim ipſam Eccleſiaſticam gubernationem & præfecturam, quam peculiariter ita dictam removet à Preſbyteris Ianſenius, in Scriptura iis tribui. 1 Tim. 5. &c. Iubes deinde notari vocem Græcam* προεστῶτες, *præſidentes, ſeu qui præſunt, quaſi magnum velles ex ea eruere myſteriũ, quia manifeſtè, inquis, infert præfecturam, & regimen; quod etiam textus Latinus, ſine ſupervacua tua notatione ſatis ſignificat. Sed quid Scriptura illa ad tuum rhombum?* Rogas, Aſine, quid ad rhombum? plurimum. Manifeſtò ex eo evincitur contra quàm tu cum Ianſenio tuo ſomnias, & in praxi apud vos obſervatur, *preſbyteros*, per quos veſtri DD. multi à Voetio citati, intelligunt etiam Sacerdotes propriè dictos eſſe προεστῶτας: & competere illis aliquod regimen. Non dicit Apoſtolus, ut tu deliras, Preſbyteri δυνάμενοι προεστάναι, ſed προεστῶτες. Vt ſi dicerem omnes Doctores Lovanienſes, qui bene docent, futuros eſſe Epiſcopos: nemo ſanus inde concluderet, eos potentiam tantum habere ad docendum, ſed ad Epiſcopatum. Sequitur dein plus quam Cleantheum acumen, quo totum Voetii argumentum enervatur. *Dicit Apoſtolus*, inquit pag. 149. *preſbyteros qui bene præſunt, duplici honore dignos eſſe, Ergo omnes Preſbyteri præſunt? Quis te Cleanthes* ὄλμος ἄτολμος, *tam acutam conſequentiam docuit? Accipe enim ei ſimilem. Gomariſtæ qui bene præſunt, & miniſtrant in Hollandia, duplici ſtipendio digni ſunt, Ergo omnes Gomariſtæ Miniſtri ſunt.* Subtilitas digna robuſteâ arcâ, & decem Vlmorum faſcibus. Dic mihi, μωρόσοφε. Quando bene loqueris, an non certò credis, te tum loqui, aut quando lautè edis, & generoſum vinum bibis, te edere, & bibere. Niſi forte ex Pyrrhonicorum familia ſis. Quando dico omnes homines qui bene ratione utuntur, digni ſunt ratione, an non tum innuo omnes homines ratione uti? aut ſi dico, omnes aſini qui ſtrenuè poſſunt rudere, induentur infulis, an non ſimul etiam ſtatuo omnes aſinos rudere, hoc eſt, potentiam habere ad rudendum. Miror te tantum philoſophum, adeo peregrinum eſſe in primis Logicæ fundamentis! Ego putabam adjunctum proprium reciprocari cum ſuo ſubjecto. Si velis eſſe id quod audis, philoſophus nempe, & Theologus, proba non eſſe adjunctum proprium preſbyterorum, præeſſe, καὶ προΐστασθαι. Sed excutiamus oppoſitam ſubtilitatem: *Gomariſtæ, inquit, qui bene præſunt, & miniſtrant, &c. duplici ſtipendio digni ſunt. Ergo omnes Gomariſtæ miniſtri ſunt.* Vbi pudor? ubi fides? ubi candor? ubi judicium? Idem ergo eſt hominem eſſe, & miniſtrum, aut medicum? Quid abſurdius? Limita Fromonde, ſubjectum, & dic *Omnes Gomariſtæ miniſtri qui bene præſunt*, aut ſimpliciter; *miniſtri qui bene præſunt*, & ad concluſionem progredi non audebis. Non poſſum quin in te tuoſque ſocios vibrem Baſilii Magni telum, quo lib. 1. adv. Eunom. tranſverberat Sophiſtas. *Iſti*, inquit, *ſibi ipſis inter loquendum ſubſtratis quæcunque voluerunt, & iis, quæ inde conſequuntur aſſumptis, ſeipſos poſtea in cogitationes abſurdas detrudentes, hinc ſeſe demonſtraſſe putant, ſua placita neceſſariò eſſe recipienda.* Pergit & ita loquitur pag. 150. *Forma*, inquit, *ordinationis, ad quam inſpiciendam te mittit Ianſenius, ſignificat tantùm poteſtatem geminam tribui Sacerdotibus, una eſt ad offerendum Euchariſtiæ Sacrificium, altera ad remittenda peccata confitentium.* Non quæritur, quid de facto fiat in Apoſtatica factione Romana, ſed quid fieri debeat jure divino, & Eccleſiaſtico antiquo. Demus autem hæc fundamentum habere, quod nunquam tamen probabitur in Sacra pagina, nihil tamen roboris accedet exceptioni Ianſenii. An non illis ipſis ſacerdotibus, qui ſine numero, proh dolor! inter nos pauperum laboribus paſcuntur jus conceditis congrediendi cum Gueſiis, eos oppugnandi, pervertendi, & quid non? Si illis hoc licet ſine ſpeciali ordinatione, cur non Luthero, cur non Zuinglio quoque, quorum hic amplius fuit Paſtor, ille etiam Doctor Theologiæ, Monachus Auguſtinianus, & concionator VVittebergenſis. Quare & ſtrenuè quoque mentitur Cenſor, cùm dicit pag. 150. *Lutherus per nudum ſuum ſacerdotium, poteſtatem reformandi, & regendi Eccleſiam VVittebergenſem accipere non potuit.* Aliud docet hiſtoria, aliud probat ex ea Voetius, quem quæſo

vide,

vide, Lector, pag. 104. & tu quoque lusce Censor, ut aliquando te mentiri cognoscas. Pergit ead. pag. *Sed insolens est in veteri Ecclesia, ais* (pag. 226.) *ut regimen externum animarum, seu jurisdictio non tribuatur presbyteris. Sit ita. Potuit enim fieri (& Theologi quidam nostri affirmant) ut presbyteris ordinatis, semper daretur jurisdictio, & gregi alicui præficerentur, quia tunc nondum fortè erat tanta multitudo Sacerdotum; non tamen per ipsam sacram ordinationem tribuebatur illa jurisdictio, sed per missionem, quæ ordinationem comitabatur.* Rectè. Ergo fateris pro Voetio stare antiquæ Ecclesiæ praxin, & quosdam ex tuis DD. sed miror verò tuam inconstantiam, & absurdissimam contradictionem. Dicis, *Potuit enim fieri (& Theologi quidam nostri affirmant) ut Presbyteris ordinatis semper daretur jurisdictio.* Et dein duabus lineis pòst tibi obloquens; *Non tamen*, inquis, *per ipsam sacram Ordinationem tribuebatur jurisdictio, sed per Missionem, quæ ordinationem comitabatur.* Si hæc non sunt contradictoria, in posterum defendam nulla in rerum natura contradictoria dari posse. Dicit, *Non erat tanta multitudo sacerdotum.* Non erat quoque tantum desiderium otii, & voluptatis. Quid hoc est dicere *non erat tanta multitudo sacerdotum.* Vnde hoc constat, aut unde probabitur. Quod sine teste, & gratis dicitur, gratis etiam rejicitur. Si autem jam tanta multitudo est sacerdotum, ut omnes mitti non possint, quid otiosæ illi turbæ, quæ tantùm ordinata est in nostris regionibus, seritur, & metitur? Male metuo ne limites vocationis suæ transgrediatur, & depascat nostra alvearia. Ad me quantum, doleo & ingemisco tantam turbam tolerari à supremis potestatibus: vellem omnes crederent Alberto Pichio furibundo aliàs Papicolæ, qui ita Controvers. 5. *Sacerdotii*, inquit, *vilitas, contemptus, & irreverentia apud populum primùm ex multitudine nimia, deinde ex indignitate, postremò ex vita palàm scelerata, scandalosaque multorum hujus sacratissimi ordinis, mihi pendere videtur.* Quæ de discrimine ordinationis, ac missionis garrit, ea nihil ad rem faciunt, & jam fusè refutata sunt à Voetio lib. 2. sect. 2. cap. 17. pag. 232. Quod ad Augustini locum lib. de bono Conjug. cap. 24. In eo tantum dicitur quempiam posse esse ordinatum, & non præesse populo, at quis hoc negat? Missionis distinctæ ab ordinatione, ne quidem in uno verbo fit mentio.

II. Vnum adhuc ex duodecim argumentis, postremum nempe, quod manticæ tantùm vice adjecit Voetius, arrodit, & hunc in modum vellicat. *Quod etiam*, inquit pag. 150. *ad hominem, ut ais, ex authoritate, & dignitate sacerdotis, quem supra Reges, Imperatores, Angelos, B. Virginem (& ne sine maximo mendacio periodus abiret) supra Christum extollimus, Sacerdotes omnes ideò habere jurisdictionem in populum argutaris, nugæ sunt, pappique volantes.* Resp. Næ tu graphicè impudens es, Fromonde, qui negare audes & mendacia vocare, quæ tibi Voetius ex clarissimo Corn. à Lapide loco probavit. Nisi forte eum, quia invidiæ & malevolentiæ vestrorum DD. cedere, & relicto Lovanio Romam migrare debuit, pro hæretico habeas. Si Cornelio Lapideo credere nolis, aliis credito, quos tibi citavit Voetius. Stella Clericor. Serm. discip. serm. 3. *Sacerdos est creator creatoris sui: qui creavit vos, dedit vobis creare se: qui creavit vos absque vobis, creatur à vobis, mediantibus vobis.* Gabr. Biel sup. Can. Miss. Lect. 4. *O verè mundi gaudium, cùm Christus tractat Christum, sacerdos Dei filium, quis unquam audivit talia? quis vidit similia? Qui creavit me sine me, dedit mihi creare se, & qui creavit me sine me, creatur mediante me.* Et hi sunt, quos tibi Voetius citavit. Addo ego auctarii vice unum atque alterum. Pomerius in Celebrat. Primitiar. *O veneranda dignitas sacerdotum, in quorum manibus, tanquam in utero virginis filius Dei incarnatur.* Item Lochmeyer serm. 114. de celebratione primæ Missæ. *O sacerdos Dei vicarie, & Pater Christi, sublimior es angelis. Nam illi meruerunt esse servi Christi, tu verò meruisti esse Pater Christi.* Ibid. *Tanta est virtus sacerdotis, quòd quotidie efficitur creator sui creatoris.* Item in libro, qui inscribitur, Vita Sacerdotum; *O sacerdos, os tuum quotidie efficitur receptaculum, & sepulchrum Christi.* Vides, Fromonde, ut opinor, injuriâ te Voetium mendacii, cujus ipse reus es, accusasse. Ad nos quantum, libenter hoc tuæ ignorantiæ condonamus. Etiamsi autem pro Voetio nulli ex authori-

authoribus vestris starent, jure tamen dicere posset, Imaginarios Sacerdotes secundum principia Theologiæ vestræ majores, ac digniores Christo esse. An non apertè docetis, à Sacerdote offerri ipsum Dei filium Patri in sacrificium expiatorium pro vivis, & mortuis? An non sacrificans dignior est eo quod sacrificatur, & sacerdos victimâ? Sane nullus ita brutus est, quin statuat Aaronem, qui typus erat Christi teste Apostolo ad Hebr. 9. vers. 14. longè vitulis, agnis, & hirco peccatorum præstitisse. Pergit autem hoc Voetii argumentum solitâ subtilitate diluere: *Nemo enim*, inquit pag. 151. *nescit jurisdictionem non sequi nobilitatem personæ; alias nobilissimus quisque latissimam jurisdictionem haberet. Perinde igitur facis, atque si probares quempiam Vltrajecti Magistratum gerere, quia nobilior & vestitior est cæteris; cùm tamen sæpe casearis tribuantur Dignitates & Magistratus, præteritis nobilibus.* Resp. 1. Non asinus ita pertinaciter constans est in tardo suo gradu, ac canis hic in maledicendo. Quacunque occasione maledictis, & calumniis incessit insontes. Quis ex candidatis Catholicis; persuasit tibi, Fromonde, Casearios subsellia magistratuum apud nos occupare. Næ ostendis quàm ignarus sis rerum nostrarum, qui talibus fabellis fidem tribuis, quas forte septennis tibi puer narravit. Norunt omnes supremam fœderatæ Belgicæ potestatem apud Illustriss. Ordd. esse, inter quos præter delegatos ex quaque civitate cooptantur etiam viri equestres & nobiles. Qui si virtute sua non magis quàm stemmate gloriarentur, splendore avitarum imaginum multas domos, & non paucos vulgò nobiles hebetare possent. *Casearii* sunt Ampliss. & Nobiliss. nostri Magistratus. Ex quo ovo, quæso prodiit Marana fæx, quæ ejectis indigenis, & nobilibus hoc tempore sola per Brabantiam, & vicinas provincias dominari vult. Novimus ex quibus sterquiliniis multi ex illis Vatiniis prodire, & cujus commatis homines promovere soleant. 2. Injuria Censor arrodit Voetii argumentum ut apodicticum, quod ipse tantùm fassus est esse probabile, & ad hominem. 3. Pervertitur Voetii argumentum. Procedit illud non ab insignibus, sed privilegiis, & dotibus Sacerdotum. Et qua ratione hæc consequentia non sit probabilissima dicenda, non video. *Sacerdotes possunt creare Christum creatorem suum, & majores sunt angelis, Ergo etiam possunt convertere proximum ab errore viæ suæ. Et consequenter etiam possunt prædicare contra abusus Papanæ sectæ, & doctrinæ.* 4. Reductio à simili ad absurdum, est per omnia dissimilis. Illam verò ita in caput Critici retorquemus: *Casearii Vltrajectini* (ignoscite Ampliss. Magistratus cum ineptiente cogor ineptus esse) *habent jus compescendi & castigandi exploratores, & proditores status sui, Ergo etiam possunt comprehendere, & in vincula conjicere tot otiosos, indoctos, & avaros sacrificulos, qui antequam vocati sint ad concitandos subditos suos, ex Brabantia, &c. advolant, & postquam velut alteri Coryphæi omnia exploravere, cum plenis Zonis, quas inanes attulere, tandem ad hostes suos redeunt.* Vtinam Domini nostri strictius vim hujus consequentiæ examinent, & provinciam suam saburrâ hac exonerent?

III. Superest locus Richardi de Media Villa, quem malè à Voetio applicatum esse somniat more suo pag. 151. *Vt quid*, inquit, *etiam Richardum nostrum in partes tuas attrahis, qui tamen tam apertè testimonium contra te dicit. Richardus de Media Villa, exertè probat, inquis, claves scientiæ, & potestatis collatas esse omnibus Sacerdotibus novi Testamenti. Et nos tantundem dicimus. Addit enim pro ratione: Quantum enim ad illud quod dicunt absolutum illæ (claves) & potestas conficiendi (Eucharistiam) sunt unum, scilicet sacerdotalis character.* Sed audiamus ipsum Richardum, & integrum locum asscribamus. Quod enim ICC. filii monent, hic quoque locum habet, *Incivile est nisi totâ lege perspectâ judicare.* Ita ergo Richardus in 4. Sent. Dist. 19. art. 1. qu. 2. *Respondeo*, inquit, *quamvis magister senserit non omnes sacerdotes habere clavem scientiæ, ut patet 2. c. dist. istius. Existimavit enim claves scientiæ, esse scientiæ habitum, in quo non est ei consentiendum, ut patet ex superioribus dictis. Concedendum est claves esse collatas omnibus sacerdotibus novæ legis tam clavem scientiæ, quàm potestatis. Quantum enim ad illud quod dicitur absolutum. Illæ, & potestas conficiendi sunt unum, scilicet sacerdotalis character.* Quid posset clarius dici, & magis ad mentem Voetii.

Voetii. Expreſsè dicit claves conjunctas eſſe poteſtati conficiendi. Dicit autem, Fromondus ſuos tantundem dicere. *Et nos*,inquit,*tantundem dicimus*. Ergo ſumus pares, & inter nos convenit: falſumque eſt, quod ſupra dixit pag. 149 hoc eodem capite: *Non ideo quia ſacerdos fuit* (Lutherus) *eopſe nactus erat juriſdictionem in aliquas oves, & munus Paſtorale*. Nec art. 3. dicit in Voetii caput ſententiam,ut delirat Doctor. Dicit enim Richardus tantum requiri ſubjectum debitum in quo recipiatur illa poteſtas: Sed quid hoc obſtat? Profeſſor quando conſecutus eſt jus legendi, & profitendi in Academia, conſecutus eſt plenum jus profeſſoris, quis tamen non dicat ad bene eſſe illius, & executionem requiri auditores, quibus tamen nihil commune eſt cum ipſa ordinatione. Sed loquatur ipſe Richardus, & piſce magis mutus erit Fromondus. *Reſpondeo quod actio non tantùm requirat potentiam à qua ſit, ſed ſubjectum debitum in quo recipiatur. Vnde ad ligare, & ſolvere non tantùm requiritur poteſtas clavium, à qua ſunt iſti actus, ſed etiam materia debita in qua recipiuntur. Non eſt autem materia debita quantum ad iſtos actus reſpectu claves habentis, niſi perſonæ, ſuper quas habens claves, habet aliquam juriſdictionem. Non omnis autem ſacerdos habet juriſdictionem ſuper quemlibet. Quia juriſdictiones, quæ ſunt in Eccleſia, diſtinctæ ſunt aliquo modo ad inſtar diſtinctionis quæ eſt in Eccleſia triumphante. Vt ſicut ibi ſub Chriſto Principe ſunt angeli, quorum quidam ſunt ſuperiores, quidam medii, quidam inferiores: neque æqualis eſt omnium poteſtas: ſic in Eccleſia militante ſub vicario Chriſti ſunt Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & ſub illis inferiores ſacerdotes.* Quid in his verbis eſt quod obſtet aut Voetio, aut Luthero? Vbi Richardus negat claves conceſſas eſſe ſacerdotibus? Imo eo ipſo, quod ſecundum errorem ſectæ quam ſequebatur, argumentatur à diſtinctione Angelorum, ad falſam & Papanam diſtinctionem ordinatorum, invitus ſacerdotibus juriſdictionem, & uſum clavium concedere compellitur.

CAPVT XXX.

Fromondus præ ignorantia deſerto Ianſenio labitur in Voetii ſententiam. Primi Reformatores non fuerunt Apoſtatæ. Philippus II. ab Ordd. Belgarum jure eſt depoſitus. Primi Reformatores non abuſi ſunt miniſterio ſuo. Romanæ factionis lucerna extinguetur. Non reſpicienda eſt intentio ordinantis Epiſcopi. Pontificiorum error de Iuſtificatione, & certitudine ſalutis, non evertit directè fundamentum ſalutis.

I. QVicquid ſuperiori capite probare ſtuduit Cenſor, XXVIII. ad quod acceſſimus, evertit, & negat. Videbat enim Ianſenium ſuum confundi, & miſerandum in modum oppugnari à Becano, & Coſtero qui ingenuè confitentur Lutherum, Zuinglium, &c. habuiſſe ordinariam vocationem. Ideo hunc in modum friguttit pag. 152. *Ac in primis*, inquit, *damus hic tibi, quod ſuperiori Capite, &c. negabamus; Lutherum, quia Doctor, Concionator, & Confeſſarius à Priore ſui conventus VVittebergæ expoſitus, habuiſſe aliquam miſsionem à ſummo Pontifice, & Eccleſia Romana, &c. quod Coſterus & Becanus ſolum dicunt, perperam à te adverſus Ianſenium citati, qui nunquam id negavit, ſed diſertè cum iis affirmat.* Reſp. 1. Non hæc liberalitas in concedendo eſt, ſed tributum quod potentiſſimæ illi veritati, ab iis, qui conſcientiæ vim faciunt, & Andabatarum more certant, debetur. 2. Maximum eſt mendacium Ianſenium in Spongia idem ſtatuere, quod Coſterus ac Becanus, duo Loyolitæ non incelebres dicunt. Apertè iis contradicit, negatque primos Reformatores habuiſſe ordinariam vocationem. Quod ne me comminiſci, more Fromondi, putes Lector: audi ipſum Ianſenium. Ita autem in Spongia cap. 25. pag. 119. *Perinde Lutherus fecit, ac ſi privatus quiſpiam à Curia delegatus ad teſtes in aliqua cauſa audiendos, mox totam judiciorum poteſtatem invaderet.* Item in Alexipharmaco: *Noli credere Luthero, Calvino, Voetio, Sualmio, & novatoribus cæteris, pari auctoritate baptiZantibus, pari præſumptione miniſterium involantibus, pari audacia cathedram uſurpantibus.* Vides, Fromonde, quàm impa-

ratus ad scribendum accesseris, debuisses antè nosse Iansenii regis tui sententiam. Sed quomodo post solutum vectigal veritati libertatem mentiendi tuetur? pag. 153. dicit: *Itaque Lutherus, Zuinglius, &c. ad officium quidem pastorale in Ecclesia Romana exercendum missionem habebant, sed ex vi talis muneris, actus illos, quibus fundamenta Ecclesiæ quæ eos miserat subverterent, exercere non potuerunt.* Iô triumphe! iô! iô! jam vicimus, & in fumum abiit Iansenii interrogatio, *Qui estis? & unde venistis?* Si habuere missionem, sed eâ non legitimè sunt usi, etenim non cucurrere, antequam mitterentur. Abusi sunt secundum principia & dicta tua, jure sibi concesso, non verò caruerunt. Qui profundit pecuniam, eâ non indiget: aut centurio quis, qui contra auctoramentum prodit castellum aut urbem, dici non potest fuisse paganus, & non habuisse vocationem militarem. Qui te tam ineptum in *Crisi* præbes, Fromonde, & prostituis doctoratum, professionem, & causam, tantùm abuteris vocatione; & judice tua conscientia, & meâ retines adhuc privilegium qualiscunque missionis. Abusus non evertit aut tollit jus utendi. Si Lutherus, ut hic vis, indignum quid fecit missione, certè missionem legitimam habuit: & si habuit missionem, dici non potest suâ sponte cucurrisse. An verò primi Reformatores qui ordinariam habebant vocationem, abusi fuerunt missione, & quid indigni eâ commiserint, jam disquirendum est. Negativam sententiam solidè & fusè asseruit Voetius lib. 2. sect. 2. cap. 18. Vide sis eum, Lector, certò enim statui nunquam crambem recoquere. Quæ solide probata sunt à Voetio, more suo arrodit tantùm Censor. I. Pag. 153. dicit: *In summa, contendis potestatem ab Ecclesia Romana illis Apostatis ad regimen animarum olim datam, etiam se extendisse ad actum reformandi, id est evertendi fidem Romanam.* Resp. 1. Secundum solitam suam modestiam primos Reformatores vocat Apostatas. Si illi fuere Apostatæ, Apostata etiam fuit Paulus, dicit enim Iudæis Act. 13. vers. 46. *Postquam repellitis illum* (nempe Iesum) *& indignos vos ipsos decernitis æternâ vitâ, ecce convertimur ad gentes.* Imo Apostasiæ nostræ auctorem habemus Spiritum sanctum, qui jubet nos Apoc. 18. vers. 4. *Exire ex Babylone.* Apostasia, propriè dicta ad quam respicit Fromondus, *est discessus à fide*, ut definit Thomas. 2. 2æ. q. 12. art. 1. Si probari possit primos Reformatores discessisse à fide, discedendo à factione Papana, ultro dabo eos esse Apostatas. Tantùm verò abest ut hac ratione Apostasiæ crimen incurrerint, ejus rei fuissent facti apud Deum, si veritatem agnitam, & errores Papatus agnitos non patefecissent. Vt enim Fulgentius dicit lib. 1. ad Thrasimundum Regem: *Apud eos, qui Christianæ gratiæ participatione sunt redempti, pene idem est, fidem nolle asserere, quod negare.* 2. Periculosè Censor hic loquitur, ultro nobis dans posse fidem Romanam everti. Si ea potest everti, non est fides Catholica quam professus est nomine omnium Apostolorum Petrus Math. 16. nam *contra eam portæ inferorum non prævalent.* II. Ita loquitur pag. 153. Fromondus, præcedentem responsionem Voetii oppugnans: *Quod perinde est, ac si diceres, Proregem Neapolis (exempli gratia) ex potestate ordinaria, quam à rege Catholico ad gubernandum illud regnum accipit posse antiquas leges rescindere, novas condere, regni fundamenta convellere, & omnia in alterius reipublicæ faciem reformare, ac denique excusso Domini sui jugo, Regni diadema rapere.* Resp. 1. Ampullæ hæ tantùm sunt, & λῆκυθοι Sophistarum. 2. Similitudo hæc per omnia est dissimilis. Ponamus Regem Catholicum abolere jura Neapolitanis concessa, vim inferre eorum conscientiis, inquisitionem in eos exercere, & omnia facere quæ tyranni solent. In eo equidem casu prorex regi poterit se opponere, & rectè fecerit si non pareat, imo si Senatus populusque Neapolitanus, (qui jam invitus, & non sine gemitu paret Hispano) eum regem aut principem eligat, non peccabit, si diadema, & sceptrum capessat. Ita Athaliam Iohadach sacerdos, reliquique regni Iudaici proceres deposuerunt, Ioasch verò regem in ejus locum unxerunt. Chron. 23. Et idem jus olim prætexere solebant Papæ, diaboli filii, quando in credulos & simplices Imperatores gladium excommunicationis stringerent. Si licet Papæ, qui tyrannicè tanquam Ephorus, & supremus inspector jus in omnes reges terræ usurpat, Imperatores, Reges & Principes, excommu-

communicare, & deponere, nec non alios in eorum locum ſurrogare: licet certè proceribus, & ordinibus regni Neapolitani, ſi Hiſpaniarum Rex violet eorum privilegia in quæ juravit. 3. Si valet hæc conſequentia à ſimili, certò hoc ſequetur: quod nemo qui adoptatur ad regimen reipub. cujus jura, & ſtatuta partim abolita, partim confuſa ſunt, quantum in ſe de medicina, & remedio diſpicere poſſit. Ea enim occaſione, nunquam non, ut docent hiſtoriæ; tumultus, & nonnunquam etiam mutationes, concitari ſolent. Progreditur 111. & ut ſomniat, graviùs nos vulnerat: *Vel ſi propinquius exemplum audire juvat*, inquit pag. 153. *Philippus II. anno* 1559. *Provinciis Belgii inter ſe diviſis, Hollandiam, & Zelandiam Guilelmo Naſſovio Orangiæ principi gubernandam tradidit: & ex Zelandia in Hiſpaniam ſolvens, pacem, & reip. tranquillitatem unicè omnibus commendans, poſtrema ad proceres & Ordines aſtans prætoria navi habuit: Religionem Catholicam quàm commendatiſſimam haberent, ſartam tectamque conſervarent: Quid tibi jam videtur, habuitne Orangius vi gubernatoriæ ſuæ poteſtatis à Philippo II. commiſſionem pacem publicam turbandi, fluctus & tempeſtates excitandi, Religionem Catholicam profligandi, & provincias illas Regi ſuo ereptas in Reip. novæ formam transfigurandi.* Mendaciorum, ac nugarum Ilias. Peccatum in ſimili, peccatum in σκέσει eſt. 1. Falſiſſimum eſt, nec unquam vel ipſe diabolus probabit Illuſtr. Aurangiæ Principem Guilelmum piæ memoriæ, patriæ noſtrę patrem, authorem & facem turbarum Belgicarum fuiſſe. Legatur ejus Apologia. Extat publicè. 2. Philippus II. non ab Aurangiæ principe, ſed ab Ordd. Belgicæ, qui magnam partem tum adhuc Papiſtæ erant, imo ipſis clericis & canonicis Vltrajectinis, qui tertium membrum ordinum hujus provinciæ, eſt depoſitus. Et quidem in publicis Comitiis anno 1581. 3. Philippus jure meritoque depoſitus eſt, ex pacto nempe, quod ipſe juramento confirmaverat. Poſtquam eum conditiones omnes (quibus à Brabantis eſt receptus Lovanii 5. Iunii d. anno 1549.) *tactis ſacroſanctis Euangeliis*, juramento confirmaſſet, poſtremò hanc execrationem ſubjecerat: *Et ſi nos aut ipſi, aut per alium quemvis, aut etiam hæredes poſterive noſtri, contra hæc, aut univerſa, aut ſingula, quocunque modo fecerimus: conſentimus volentique animo permittimus iiſdem noſtris Prælatis, Baronibus, Equitibus, civitatibus, municipiis, omnibuſque aliis noſtris jam dictis, ut nobis noſtriſve hæredibus aut poſteris, nullum omnino obſequium præſtent, neque in ulla re, quâ nobis opus ſit, quamve ab ipſis petemus, aut requiremus, pareant, donec quod ita commiſſum fuerit, correxerimus, reſtituerimus, ab eoque plenè deſtiterimus, atque renunciaverimus.* His enim ipſiſſimis verbis uſus eſt, ut liquet ex formula, & Articulis, quos ſecundum archetypum exſcripſit *Henricus Agylæus* magnum quondam curiæ noſtræ ornamentum. Quomodo verò ſervavit hæc miſerrimus regum? Promiſerat ſe *ſubditis juſtum fidelemque fore Dominum: nullo modo vim illis aut injuriam facturum, fierive paſſurum: non niſi ex præſcripto juris cum illis acturum agive permiſſurum.* Ad hoc conſenſerat, imo juraverat in hæc verba cap. 41. *Poterit unuſquiſque Prælatorum, Baronum, Nobilium, civitatum, aut municipiorum provinciæ noſtræ Brabantiæ, aut Transmoſanæ, aut ſimul cum aliis aut ſigillatim, coram nobis, alibive ubi conveniet, mandata ſua proloqui, aut proponere: neque propterea in indignationem, inimicitiamve aut noſtram, aut cujuſquam alterius incurret: neque nos ideo ullo modo eundem averſabimur: & ſi cui uni, aut pluribus eorum propterea mali quippiam obvenerit, in eum, qui fecerit, ipſiuſque bona, citra diſſimulationem vindicabimus.* Sed quis dicere audebit hæc non eſſe à Philippo violata? Scio, Fromonde, cum tuis obſtrepes. At quicquid dixeris, redarguent te patibula, rogi, & gladii, qui etiamnum regis tyrannidem, perfidiam, & crudelitatem proclamant. 4. Nihil ad rem facit diſſimile hoc ſimile. Vt enim Aurangiæ Princeps non juravit ſe patronum fore Regis Philippi perfidiæ, ita nec Lutherus, Zuinglius, &c. unquam promiſere ſe vindices fore tyrannidis, & hæreſium Papæ. 5. Omnia hæc ad rem non faciunt: Diſputamus de exercitio miniſterii, & miſſionis primorum Reformatorum, quod longiſſimè in multis diſtat à miſſione ipſa. Vt oſtenſum eſt à Voetio, loco ſupra laudato. IV. Sarcaſmo & joco, digniſſimo ſcilicet Pantolabo ſcurra, enervat totum Voetii argumentum. p. 154.

dicit: *Si uxor tua famulæ imperasset eluere ollas, & extergere, crederetne bella istafamula, si omnes in parietem illisisset, confregissetque ollas, officio se rite & ordine functam fuisse? Atqui tamen, non tam ovum ovo est simile, quàm hoc illi, quod tu nobis persuadere conaris.* Argumentum verè ollare, & fragile. Quis ita fungus enim, ut concludat inde ancillam illam alienam, nec unquam legitimè fuisse conductam ut ancillam, quod abutatur jure sibi in ollas concesso? Adhoc falleris longè fratercule matulæ. Non hæc similia, sed dissimilia δὶς διὰ πασῶν sunt. Dabo simile, quod pene idem est. Alexander VI. cœnaturus in hortis Cardinalis Cornetani, cùm eum & alios aliquos veneno è medio tollere statuisset lagenas aliquas vino toxicato repletas ministro commisit, ut ex iis æmulis suis misceret. Dic autem mihi, Fromonde, an peccasset minister, si noxium illud vinum effudisset, lagenasque fragranti ac sano nectare imbuisset? Non credo te hoc reprehensurum esse. Ipse enim sacerrimus Alexander incidit in insidias, quas aliis struxerat, & è lagenis mortem bibit. Si velis familiariorem paulò similitudinem, lubens eam dabo. Quòd si imperares tuo famulo, ut ex matula funderet alicui ex adversariis tuis, an admodum ille delinqueret, si sacros tuos crines, & caput olidâ illâ amomo perfunderet? Quid si eadem Lutheri, Zuinglii, &c. ratio fuisset, & in ordinatione commissum illis fuisset incrustatum venenum ac saccharatum stercus, quo pascerent se, & miserum populum, (quod tamen æternùm non probabitur.) Non enim erant tum in usu tales formulæ juramenti, quales postea sunt introductæ: nominatim non illæ, quas introduxit conciliabulum Tridentinum. Sed detur quid tale fuisse: Deus aperuit suis oculos, ut agnoverint hos dolos. Evacuarunt ergo suas lagenas, easque suavissimo & limpidissimo divinæ veritatis Nectare replevere. Quid hic peccatum? quid commissum?

II. Pergit reliquas Voetii responsiones vellicare. Dixerat hic pastores tã in doctrina quàm moribus depravata posse corrigere, quia vocantur 1 Cor. 4 *fideles dispensatores*, & iis imperatur 2 Timoth. 4. *Vt arguant, obsecrent, increpent, in omni patientia, & doctrina.* Contra hæc ita Fromondus pag. 154. cornicatur. *Sed in facili & promtu est responsio. Nam Rector Ecclesiasticus depravata quidem, sed secundum legum publicarum normam, & rectitudinem corrigere debet.* Arguta etenim futilitas. Ergo ut audio Lutherus, Zuinglius, &c. antequam opus Reformationis aggrederentur, Romam ire debuissent, & rogare Dominum Deum Papam, an placeret ejus Majestati leges quas de Reformatione ferre, hoc est, semetipsum deponere, & ejurare tyrannidem, ac idolomaniam. Quis ineptiora unquam audivit? Dicit *secundum legum publicarum normam*, at quæ erant illæ leges? Recense aliquot. Applica hoc quæso Dn. Censor clero Coloniensi Secundario, & Vniversitati opponenti se Archiepiscopo suo Hermanno à VVeda. Sed scio quas leges respicias? diabolica illa edicta Constantiensis Conciliabuli secundum quæ Iohannes Hus, & Hieronymus Pragensis igni sunt adjudicati. Si hoc argumentum procedat, temetipso confitente, plurimi ex Papis tyrannorum maximi fuere. Non potes enim negare aliquo tempore Impp. Occidentis iis fuisse superiores, eosque ab his ordinatos fuisse. Quando autem, & quam legitimè illa lex de Superioritate Imperatoris fuerit abrogata, ne quidem ipse Baronius invenire potuit. Nihilominus tamen nullis extantibus aut latis legibus de corrigendo Ecclesiæ statu, & coërcenda potestate Imperatoria, Innocentius proscripsit Othonem IV. Gregorius VII. Henricum IV. Paschalis II. Henricum V. Adrianus IV. & Alexander III. Fridericum I. Innocentius III. Philippum Friderici I. filium. Gregorius IX. Fridericum II. Innocentius IV. Conradum IV. Enimverò ante Imperatores rogare debuissent secundum tua principia, an placuisset illis Romano Pontifici colla subjicere. Si dicas Papam legibus esse superiorem, totum concedo, teque ad Anticyras cum tribus porcellis ablego. Sequitur insigne dogma Politicum. *Quemadmodum*, ait pag. 154. *nulla Resp. secularis tribuit ministris suis, ex vi ordinariæ jurisdictionis potestatem judicandi de justitia, & injustitia suarum legum, ita neque Ecclesia suis id concedit.* Divinè. Sed in tuam perniciem. Dicis *Respublica.* Amplector hoc. *Ergo Ecclesia est similis reip.* Nunquam Resp. aliqua reip.

nomine digna in rerum natura fuit, in qua quis tam absolutam obtinuit potestatem, ut omnia pro arbitrio agere, statuere, & designare potuerit, nec à quoquam argui, reprehendi, & in ordinem redigi. Evolve omnes Historias, & Politicos, & ne unum quidem exemplum invenies. Si ergo rex, aut princeps legitimè electus à subditis, & qui eos repræsentant Ephoris, argui, imo deponi etiam potest; multò magis quoque Papa, cujus imperium est tyrannicum, & cujus leges adversantur voluntati divinæ. Vt verò melius hoc intelligas, Fromonde, rogo te, An non censeres justè facturos esse octo decemve ex ministris nostris, si contra reliquos stomacharentur, & tumultuarentur, clamando Papanam religionem antiquam, illam scilicet, revocandam esse, & omnes Novatores Ecclesiâ & Patriâ exterminandos? Credo te, cum Iansenio tuo utroque pollice hoc probaturum esse. Atqui hac ratione tamen ministri hi judicarent injustas esse leges, in quas jurarunt. Si hoc Ministris his concederes, quia prodesset, concede etiam Luthero, Zuinglio, &c. Æque illis licuit Papanæ tyrannidi obsistere, ut suo munere pro suâ parte fungerentur, ac Bruto Tarquinios ejicere. Addit pag. ead. *Quod maximè de legibus fidei verum est, quæ in Ecclesia sunt maximè fundamentales, & super quibus omnes religiosi subditorum mores inædificari debent.* Sed si *leges fidei*, à Christo & Apostolis ejus latæ proscribantur, & exterminentur, an non æquissimum est eas revocare, & defendere? Falsissimum autem est aliquas ex *legibus fidei Christianæ, & Catholicæ*, à Luthero, Zuinglio, &c. esse violatas. Legibus Papanis obstitêre, tantùm novis nempe illis, tyrannicis, & Antichristianis. Postea Voetii distinctionem invadit. Distinguit ille pag. 307. *inter usum ministerii, & vocationem ad ministerium.* Ferre illud nequit Censor, eôque ita ineptit. pag. 155. *Si enim usus & exercitium potestatis extraordinarium est, potestas illa, quæ est principium talis actus, ordinaria non est, sed extraordinaria.* Mirabilis consequentia. Rectoris Academici potestas est ordinaria: & tamen quando armatos studiosos (ut tu ignorare non potes, quia accidit Lovanii) in vallum ad propulsandos hostes ducit, extraordinario usui potestatem sibi concessam applicat. Item regis Philippi II. potestas erat ordinaria, quando tamen Carolum filium, Hispaniæ Infantem interimi curabat, extra ordinem potestate regiâ utebatur. Ergo vides non esse absurdum ut à potestate ordinaria, exercitium proveniat extraordinarium. Sed audiamus philosophicas subtilitates. *Potentiæ*, inquit, *tam Physicæ, quàm morales ab actibus suis speciem & essentiam sumunt, unde ex actuum insigni distantia & diversitate, potentias etiam distinctas esse colligimus.* Nova monstra novæ Philosophiæ. Apud nullum Metaphysicum, ne quidem Castanæum, qui studiosè tamen omnes distinctiones collegit, invenire potui moralem hanc potentiam adæquatam Physicæ. Credo per Potentiam intelligere Philosophum Potestatem Politicam, ita enim ipse postea vocat. Sed demus veniam voci, & termino. Dicit *ex insigni actuum distantia, potentias etiam distinctas colligimus.* Quæ non absurda ex hoc axiomate sequuntur? Homo aliquando sapienter, aliquando stultè, aliquando etiam mediocriter bene disserit. Atqui insignis distantia inter hos actus est. Collige ergo secundum Fromondum in homine triplicem distinctam ad loquendum potentiam esse. Equus aliquando celerrimè, aliquando tardissimè incedit: Collige in equo duas distinctas esse potentias currendi. Fœmina parit monstrum. Ergo in ea est potentia pariendi fœtum ordinarium, & extraordinarium. Quàm hæc absurda! Sed in margine ad patrocinium ineptiarum vocatur Aristoteles lib. 2. de Anima cap. 4. ubi tamen nihil horum invenitur. Si nolis, Fromonde, injurius haberi in maximum virorum Aristotelem, adduc verba ejus, quæ tibi favere existimas. Fateor, in somnio & tubulo tabacario, (quem ut aconitum odi) plus in Philosophia & Theologia vides, quàm ego vigilans. Pergit: *Potestas*, inquit, *regendi subditos, moralis quædam potentia est, quæ proinde respectu actus ordinarii, respectu extraordinarii, extraordinaria appellari, & esse debet.* Clarè jam demum loqueris: & video quæ potentia hæc moralis sit, quam paulò ante naturali adæquabas. Vis argumenti hæc est: *Si actus est extraordinarius, ergo potentia est extraordinaria.* Aut quod æquivalere debet: *Si exercitium est extraordi-*

extraordinarium, etiam potestas est extraordinaria. Atqui hoc est falsissimum. Dedimus modo *ἔνστασιν.* Imo ne quidem in naturalibus sequitur. Quis enim præter Fromondum statuat, Soli accedere potentiam extraordinariam, quando luce suâ adulterantes duos detegit: aut asinum extraordinariam accepisse potentiam, quando solitò celerius incedit, & jam currere incipit: aut quando in arboribus, insoliti, & grandiores quàm ordinario fieri solet, fructus nascuntur, novam & extraordinariam potentiam iis inditam, & collatam esse. Potentia etenim unica est, & uniformis. Sed non uniformes & æquales sunt actus. Omnis potentia, semper, & ubique non exerit se in actum. In Crasso erat potentia ad risum, cùm tamen primò ridere inciperet, extraordinarius erat ille actus. Non enim consueverant alii, ordinario eum videre ridentem. Lutheri, Zuinglii, &c. potestas, & missio erant ordinaria, exercitia tamen eorum extraordinaria fuere. Non enim ordinariò tum temporis Pastores, & concionatores studebant puræ doctrinæ, & prædicationi veritatis. An verò potentia illa, cujus extraordinarios actus exercuit Lutherus, fuerit ordinaria, jam videbimus. Quæ enim postea subjicit Censor de conciliabulo Tridentino, &c. tantum coccysmi sunt, quos οὐδ' ὄναρ faciendos puto.

III. Dicit Voetius in Desp. Causa p. 311. respondendo ad Instantiam argumenti Ianseniani: *In majore limitandum est antecedens: Qui non acceperunt, sive explicitè, sive implicitè, sive virtualiter. Cum ista limitatione negatur Major.* Quæ ita arrodit feroculus musculus. p. 155. *Sed interpretatio tua virtualis apertè pugnat cum mente formali omnium verorum Episcoporum ordinantium & instituentium Pastores. Intendunt enim formaliter conferre potestatem ordinariam regendi, & formandi mores subditorum, secundum leges publicè ab Ecclesia receptas, non autem legum, & Ecclesiæ præsentis firmamenta evertendi.* Gerræ plusquam Siculæ. Perpetuò principium petit nugator. An tantum intendant Episcopi conferre jus regendi Ecclesiam secundum abominandas leges Synagogæ Antichristi, quæritur, & illud ipsum est de quo funis contentionis ducitur. Ni se probet καρδιογνώστην esse, & perspicere cogitationes, ac intentiones hominum posse, nunquam quis ei credet. Mendacium quod deinde subjicit, quasi *doctrina nostra expungat necessitatem bonorum operum,* infra examinabimus. Dicit amplius Voetius pag. 311. *Quicunque inter Episcopos ordinatores alicujus scientiæ, ac conscientiæ fuerunt, nunquam aliter ordinasse putandi sunt, quam Trajanus, qui Præfecto prætorii tradens gladium dixit: Hoc utere pro me, aut contra me.* Hanc similitudinem ita oppugnat pag. 156. *Sciebat optimus Principum illius ævi Trajanus se hominem esse, & salutare subditis Imperium in Tyrannidem posse mutari, ideoque Reip. quàm sui magis amans, dabat Ministro suo jus feriendi se, si quando Principem agere desiisset, & exerceret tyrannum. Prælati verò, & quicunque in Ecclesia scientiam & conscientiam habent, sciunt, fidem ejus lucernam salutarem, & inextinguibilem esse; licet fuligine peccatorum nostrorum subinde infuscata debeat emungi.* Qualis vir, talis ejus oratio. Argutia si qua alia, dignissima Doctore Fromondo. Quæ hæc consequentia, *Lucerna fidei non potest extingui. Ergo Episcopi qui ordinarunt presbyteros Reformatores non potuere errare.* Applica hæc quæso ad Hermannum à VVeda, Cranmerum, Magdeburgensem Episcopum, Cardinalem Castilionæum, reliquosque à Voetio citatos. Dicit: *Imperium principum Romanorum poterat degenerare paulatim in tyrannidem. Lucerna Ecclesiæ Romanæ non potest extingui. Hoc fatentur, & norunt omnes Episcopi, qui scientiam, & conscientiam habent.* Quàm hæc ridicula, insulsa, & delira sunt! Vnde scis, Fromonde, omnes Episcopos secundum conscientiam statuere Ecclesiæ Romanæ lucernam extingui non posse? Extinctum ejus lumen fuit jam tempore Bernardi, cur enim aliàs ita stomachatus fuisset Serm. 33. in Canticum: *Serpit,* inquit, *hodie putida tabes per omne corpus Ecclesiæ, & quò latius, eò desperatius, eòque periculosius, quo interius.* Ideo & multi ex DD. tuis volentes nolentes concedere coguntur Papam, qui vobis Ecclesia Catholica est, errare posse, imo errasse quoque. Alphonsus de Castro, quem Vega lib. 15. de Iustif. cap. 16. *fortissimum Lutheri antagonistam vocat.* lib. 1. contra Hæres. cap. 4. dicit: *Non credo aliquem esse adeo impudentem Papæ assen-*

assentatorem, ut ei tribuere hoc velit, ut nec errare, nec in interpretatione sacrarum literarum hallucinari possit. Nec potest Rom. Pontifex labi solus, sed caput tantum, membra secum trahet in eandem errorum voraginem. Impudens certè est, qui negabit Pontifices Romanos fundamento multum straminis, multùm stipularum, multùm fœni superstruxisse, & in Ecclesia Christi accumulasse, quæ ignis exuret, & consumet: utinam nunc demum ipsi evadant salvi per ignem. Qui sunt in ea Ecclesia paulò æquiores, fatentur hanc infinitam stramineam supra Petram exædificationem, quam nos ignito Dei eloquio purgare, & abstergere conamur. Ferus *vir in divinis literis nobiliter doctus,* ut de eo testatur Sixtus Senensis lib. 4. Bibl. in Math. cap. 16. *Illud,* inquit, *ingenuè fateor, si successores Petri eo modo potestate suâ essent, quo Petrus usi: nemo Christianus eam potestatem impugnasset. Quia autem plerique hac potestate abusi sunt, quemadmodum nemo est qui nesciat, hæc causa est, & seminarium hujus tumultus: neque spes aliqua est, tumultum hunc cessaturum, nisi tollatur causa.* At quid testimonia accumulo? ex ipsis Pontificiis Papam non tantùm errare posse, sed de facto etiam errasse multis exemplis, & rationibus probavit Voetius in Desp. Causa pag. 533. & seq. Et quid si aut nulla exempla extarent, aut omnia exempla nos destituissent? Vnum quod subjiciam sufficeret ad confundendum Fromondum. Doctissimi enim quique convicti à veritate statuunt Antichristi sedem fore septicollem Romam. Si autem Antichristus confitentibus ipsis Papanis sedem & thronum suum collocaturus est Romæ, etenim quicquid gloriæ, quicquid fucatæ religionis ibi erit reliqui, extinguetur ejus adventu: Et consequenter tenebricosa erit, ac emarcida lucerna, quam inextinguibilem esse more suo gloriatur Fromondus. Antecedens probo ex sequentibus DD. Ribera Comm. in 14. cap. Apocalyp. *Roma dicitur Babylon, quia ad finem seculi futura est officina omnis Idololatriæ.* Vega item Loyolita Comment. 1. §. 4. in 18. cap. Apocalypś. *Illud etiam nobis dicendum videtur ex Aretha, Primasio, Ausberto, Hannone, Ambrosio, & aliis, hoc loco, Idololatriam urbis Romanæ significari, defecturamque esse Romam à fide, atque adeo futuram esse habitationem dæmoniorum, & omnis spiritus immundi ob flagitia, & idololatriam, quæ tunc temporis in Romana civitate, Romanoque imperio latè grassabitur.* Anglo-Remens. Annot. in Apocalypś. 175. *Roma,* dicunt, *erit sedes Antichristi.* Vides opinor Doctor, quantum officiat tibi garrulitas tua, aut si non credas, mecum perpendito sequentia tua verba. Dicis pag. 156. *Itaque ad emungendos & sanandos malos subditorum mores, erroresque contra fidem Ecclesiæ publicam corrigendos potestas Pastoribus datur, non ad extinguendum illud fidei lumen, quod sciunt semper salutare mansurum, nec in hominum perniciem posse verti.* Euge jam noster es. Dicimus, & affirmamus non extinxisse, sed purgasse fidei lumen primos Reformatores. Si obgannias, & te de fide Romana loqui dicas, nihil omnino agis, nec retia nostra perrumpis. Accipimus nos de tali fide, quam Apostolus Paulus Romanis præscripsit in aurea Epistola ad eos data, si vel minimam fimbriam ejus fidei possis probare evertisse primos Reformatores, continuò tuus ero. Si verò de Pontificis additionibus, interpretationibus, & dispunctionibus garrire velis, probato antè strumas, ulcera, vomicas, &c. esse essentiales partes corporis humani, & ultro dabo Lutherum, Zuinglium, &c. dum sanare studuere morbos fidei, fidei lucernam extinxisse. Quod Voetius dixit *quosdam episcopos meliora sentientes, non obscurè potuisse intentionem suam ordinandis significare.* Nec de VValdensibus, nec VViclefitis, aut Hussitis (ut more suo delirat Fromondus pag. 156.) sed de iis, quorum catalogum ex fide dignissimis Historicis, & Scriptoribus, enarravit in Desp. Causa pag. 66. & 67. intellectum vult.

IV. Accedimus ad sect. 5. quâ pergit ineptire, & vellicare Voetii responsiones. Dicit hic in Desp. Causa p. 311. respondendo ad quandam Iansenii instantiam. *Acceperunt omnes potestatem illam* (Reformandi nempe) *per ordinationem Ecclesiasticam, ex prima scilicet institutione, & formula juris divini, & generali intentione Ecclesiæ Catholicæ seu Christianismi, quæ mensura est ad quam commissio omnis, & missio Ecclesiastica instituenda, acceptanda, interpretanda; quicquid sit de mente, aut particulari intentione alicujus Ordinatoris, aut ordinandi.* Contra

hæc

hæc ita nugatur Fromondus pag. 157. *Id eſt, ut opinor, Epiſcopus ordinans & inſtituens Zuinglium Paſtorem Tigurinum, non intendit quidem ei conferre poteſtatem docendi, & regendi populum ſuum, niſi juxta Romanæ Eccleſiæ fidem, ſed Eccleſia quædam alia Catholica inviſibilis ſupplebat intentionem iſtius Epiſcopi, ut etiam poteſtatem reformandi, & evertendi fidem Romanam ei daret.* Quam ineptè, & malitioſè! Non reſpicit Voetius intentionem Epiſcopi, qui ordinat, ſed ordinationis modum in quo quædam ſunt communia toti Chriſtianiſmo, & Eccleſiæ Catholicæ, quædam peculiaria, & propria Synagogæ, aut factioni Romanæ. In magna copia arenæ deprompta ex flumine aurifero, eſt aliquantulum auri, etiamſi illud in comparationem venire non mereatur, reſpectu arenæ, quæ pondere, numero, & menſurâ longiſſimè excedit. Ita in adminiſtratione Baptiſmi, retinetis quid, quod retinet Eccleſia Catholica, & ſemper obſervavit Chriſtianiſmus. Baptizatis enim in nomine Patris, Filii, & Spiritus ſancti: multas verò ridiculas cæremonias admiſcetis, quas neque inſtituit Chriſtus, neque cognovit primitiva Eccleſia Catholica, neque etiam nos probamus. Quia tamen fundamentum & τὸ ἄκρον utcunque adhuc retinetis, etiamſi fortè Preſbyter, Sacerdos, aliusve ea intentione baptizavit infantem, ut amplecteretur errores Papanos, ſtatuimus tamen eum, rebaptizandum non eſſe. Ita quoque in modo, quo ordinatis Preſbyteros, & Paſtores, eſt quid adhuc quod ſapit Chriſtianiſmum, & Eccleſiam Catholicam, quantillum verò hoc ſit, ſtatuimus hactenus ſufficere, ut ille, cui hoc conceſſum eſt, poſſit ſecundum ordinariam, & legitimam vocationem, eccleſiam repurgare, & reformare. Garrit dein multa Cenſor de intentione ordinantium, ſed ea neque cœlum, neque terram tangunt. Non reſpexit Voetius intentionem ordinantis Epiſcopi, ſed ipſius operis miniſterii, muneris, & ad id vocationis, atque Ordinationis finem, modum, & formulam ex inſtitutione Chriſti, & præſcripto juris divini. Sed aliam reſponſionem adfert pro hac intentione. *Deinde*, inquit pag. 157. *ſicut Eccleſia non per ſe immediatè, ſed per ſuos miniſtros, tanquam per viva, & rationalia inſtrumenta, actus Eccleſiaſticos exercet, ita etiam mediante Miniſtrorum intentione eos operatur, adeo ut eſſentia, & valor actus ab iſta intentione dependeat, nec alia ſit intentio, quâ mediante Eccleſia influit in illos actus, quàm intentio ipſius Miniſtri. Hinc in Sacramentorum adminiſtratione ſi intentio Miniſtri à debito ſcopo aberret, Eccleſia eam non corrigit.* Andabatarum conflictus: nec Voetium, nec primos Reformatores hæc feriunt. Ride verò, quiſquis hæc legis, abſurdam probandi rationem, quam hic uſurpat Cenſor. Probare debet ſolam intentionem ordinantis valere ad exercitium, & uſum ordinationis, & adducit Sacramentum Euchariſtiæ. Æque eſt, ac ſi probaturus, canes venaticos intelligere, adducerem Sileni aſellum. Ridete hæc, quicunque cor habetis, aut potius dolete, talibus fungis ornari Cathedram Theologicam apud Lovanienſes. Aggreditur dein explicationem Voetianæ reſponſionis, ab ipſo Voetio prolatam in Deſp. Cauſa pag. 312. ubi ita dicit, *Sufficit ex ipſa natura vocationis hoc reſultare, & ab ea nunquam poſſe ſeparari poteſtatem illam, quamvis actus aliquando impediantur, aut ſuſpendantur.* Connectit cum his verbis, more ſuo ineptiens & delirans, ea quæ occurrunt pag. 314. ubi ita loquitur Voetius reſpondens ad tertiam Ianſenii inſtantiam (quâ concludere ſtuduerat miniſtris non poſſe aut immediatam, aut ullam aliam vocationem aſſignari, quia in curſu miniſterii aliud & extraordinarium miniſterium illis acceſſit) ita autem loquitur: *Minor laborat ambiguo. Aut enim aliud & novum miniſterium propriè ſignificat, ſpecie à priori diſtinctum, & ei oppoſitum. Et tale negamus noſtris acceſſiſſe. Aut novum illud miniſterium notat, modum ſeu certum accidens vocationis, ſeu miniſterii; & tale fatemur illis adfuiſſe. Sed jam negamus modum illum facere ſpecificam differentiam.* Adverſus hæc ſic profundit cerebrum, & ſapientiam ſuam Fromondus pag. 158. *Acutè & philoſophicè. Sed velim à te ſcire, an modus iſte ſit diſtinctus reipſa à poteſtate ordinaria, cujus modus eſt, & in quo Prædicamento Modorum eum reponas, ut conjecturâ aſſequi valeam, quale ens illud ſit. Veruntamen quidquid id eſt, eſt talis modus, qui ordinatur ad actum planè oppoſitum actui ordinariæ juriſdictionis, quæ eſt ſubjectum, & modificatum ejus. Vnde*

perinde

perinde philosopharis, ac si statuas esse in igne quendam admirabilem modum, qui hominem astantem frigefaceret. Vt fatear id quod res est, bis verba hæc relegere debui, antequam potuerim percipere mentem Censoris. Sed salva res est, percepi eorum sententiam, & in quibus subtilitatis quid latitare putabam, ea cum ipsa ineptia certare deprehendi. Quærit fastuosè, quis qualisve ille modus sit? Resp. Est modus, circumseptus multis erroribus, & superstitione plurima, sed qui redolet adhuc sanitatem aliquam. Æque ut in vestro Baptismo observatis modum baptizandi in nomine individuæ Trinitatis, qui sufficit ad hoc ut quis inseratur Christianismo, ita in ordinatione retinetis certum quod accidens, certamque rationem ordinandi & vocandi, quæ ad hoc sufficit ut quis non secundum errores Papatus, sed secundum Christi & Apostolorum doctrinam ministerio suo fungi debeat & possit. Nec modus hic plane *est oppositus actui ordinariæ jurisdictionis.* Minimè. Adhæret ordinariæ jurisdictioni, & vi illius quis potest errores, & abusus qui solent exerceri ab aliis in usu ordinario jurisdictionis corrigere, & purgare. Et ut melius intelligas, Fromonde, dabo simile exemplum. Eligitur quis in judicem, aut assessorem alicujus rotæ, ut loquuntur, in qua omnia sunt corrupta, & fugatâ justitiâ pecunia dominatur. Eligitur autem secundum formulam vulgarem, juratque se justitiam administraturum, imo ob vitium seculi & reip. jurat etiam se nihil novi molitururum, aut contra collegas quid tentaturum. Stimulante tamen conscientiâ, studet exterminare è curiâ fœdas illas largitionis sordes, quare etiam monet, arguit, & precatur collegas. Rogo verò te, mi Fromonde, ut secundum conscientiam respondeas, an non statuas tali judici, ad moliendum reformationem, sufficere hunc modum vocationis, quòd juravit se justitiam administraturum? Responde ingenuè: & fatere imperatum fuisse primis Reformatoribus ordinariis in sua ordinatione, ut veritatem & puram doctrinam annunciarent. Etiamsi fortè juraverint quoque, se obedientiam præstituros esse sedi Romanæ, quod tamen nunquam probabis: tamen ratione primi modi, quo injuncta illis est promulgatio veritatis, potuere concionari & clamare contra sedem Romanam, quia veritatem per omnia purè prædicare non potuere, quin & contradicerent Papæ: æquè ac justus Iudex non potest justitiam administrare, nisi contradicat collegis, qui jura venalia habent. Vides opinor, Fromonde, quis ille modus sit, de quo locutus est Voetius. Desine ergo quæso inposterum puerilis loquentiæ, aut si quid te dignum præstare velis, ostende, & doce primos Reformatores, qui ordinarii erant, secundum talem modum non fuisse ordinatos. Quia Voetius ad probandum, aut potius illustrandum ea quæ dixerat similitudine usus est, facere non potuit Fromondus, quin & eam invaderet. Dicit autem Voetius in Desp. Causa pag. 314. *Iam sæpe diximus ordinario ministerio, & vocatione, tale opus reformationis contineri. Immo esse πάθος, id est, affectionem, & proprium ministerii actum, quomodo Eclipsis est proprium Lunæ, non absolutum, perpetuum, & à causa interna promanans, ut risibilitas est proprium hominis; sed hypotheticum, & à causa externa dependens, ut naturale, & necessarium sit Lunæ, pati Eclipsin, positâ scilicet interpositione Terræ inter Solem, & Lunam.* His ita obstrepit Fromondus pag. 159. *Belle. Sed ut comparatio ista te juvet, demonstrare debes, in Luna potentiam aliquam eandem esse, quæ lumen, & eclipsin successivè ex se profundat; quemadmodum eadem potestas ordinaria, tuo sensu, primum actus Romanæ Iurisdictionis, postea actum reformationis planè oppositum exercuit.* Næ te belle Doctor, bellè deridendum propinas. Existimabam secundum effatum Philosophorum simile non esse idem. Tu verò secundum novam Philosophiam, quam ex Democriti atomis cudisti, illud idem prorsus esse cum eo cujus simile est, contendis. Vbi literarum oblivio! Sufficit nobis, & hoc Voetius tantùm probare studuit, proprium ministerii ab externa causa promanans, esse Reformare. Tenta Fromonde, & si hoc infregeris, dicam Iprensem tuum Episcopum Scytha inhumaniorem esse, si te non novâ & bellâ togâ donaverit.

V. Denique pag. 160. Voetii responsum quod dedit Iansenio interroganti, cur arcessere vocationem primorum Reformatorum ab Ecclesia Romana ejus sensu hæretica, arrodit,

& vellicat. Dixit autem Voetius in Desp. Causa pag. 195. *Pontificios fundamento fundamentum aliud addere, atque adeo indirectè, per reflexionem, & consequentiam, quantum in se & errore suo est, fundamenta diruere.* Hæc ita conspuit Censor pag. 160. *An tantùm tibi indirectè, & per reflexionem Pontificii fundamenta Ecclesiæ tuæ diruunt? Nonne plurima, quæ tanquam fidei vestræ fundamenta affirmatis, Vt fidem solam justificare; Non esse verè fidelem, qui divinæ erga se benevolentiæ promißionibus fretus, indubitatam salutis expectationem præsumis, &c. directè, & sine reflexione pernegamus.* Resp. Quamvis fundamentaliter errent Papani negando, nos ex sola fide justificari, operibusque vim meritorum attribuant: non tamen apertè, & directè subvertunt totum fundamentum, nec Christum justitiam nostram apertè negant ut Iudæi, Turcæ aliique. 1. Quia confitentur Christum satisfecisse pro peccatis omnium fidelium. 2. Quia fidei tribuunt justificationem primam, eamque velut initium, & radicem primam justificationis statuunt. 3. Quia quando practicos agunt, & extra fervorem disputationis sunt constituti: tum nempe cum conscientiam suam examinant, idem prorsus quod nos statuunt, opera eorumque merita condemnant, & in solo Christo, ejusque meritis se solatium, & salutem invenire gloriantur. Legantur omnes ascetici: *Anselmus, Bonaventura, Ruysbroeck, Schoonhovia, Carthusianus, Lanspergius, Harpius, Taulerus, Blosius,* &c. Præ cæteris vero *Thomas de Kempis* in aureolo libello de Imitatione Christi, de quo cum Bellarminus lib. de Scriptor. Eccl. in Ioanne Gersone testetur, *Se eum certè ab adolescentia, & usque ad senectam volvisse, & revolvisse, & semper sibi novum apparuisse.* Non video sanè quâ conscientiâ pro operum meritis certare ausus fuerit. 4. In ipso fervore disputationis adversarii volentes nolentes in castra nostra, hoc est ad solum Christum, qui solâ fide apprehendi potest, confugere compelluntur. Contarenus Cardinalis in Tract. de Iustificat. approbato à Theologis Parisiensibus. *Quoniam*, inquit, *diximus ad justitiam nos pervenire per fidem, justitiam inquam inhærentem nobis, & charitatem, ac gratiam quâ efficimur divinæ consortes naturæ: & justitiam Christi nobis donatam, quâ inserti sumus Christo, & induimus Christum. Hac ergo solâ, certâ, & stabili nobis insistendum est, & ob eam solam credere nos justificari coram Deo, id est justos haberi, & esse justos. Hic est pretiosus ille Christianorum thesaurus, quem qui invenit, vendit omnia quæ habet, ut emat illum.* Albertus Pichius lib. de fide & Iustif. Controv. 2. *Iustificat ergo*, inquit, *Deus pater, bonitate suâ gratuitâ, quâ nos in Christo complectitur, dum eidem insertos innocentiâ, & justitiâ Christi nos induit, quæ una, ut vera & perfecta est, quæ Dei sustinere conspectum potest, ita unam pro nobis sisti oportet tribunali divini Iudicii, & velut causæ nostræ intercessorem, eidem repræsentari, quâ subnixi etiam hic obtinemus remissionem peccatorum nostrorum assiduam, cujus puritate velatæ non imputantur nobis sordes nostræ,* &c. Imo quod quis miretur, ipse Cardinalis Bellarminus post longam disputationem de meritis bonorum operum, hanc sententiam, hoc est, ipsam veritatem amplecti compellitur. Ita enim dicit lib. 7. de Meritis cap. 12. *Propter incertitudinem propriæ justitiæ, & periculum inanis gloriæ, tutißimum est fiduciam totam in sola Dei misericordia, & benignitate reponere.* Vtinam Papani Cardinali fideliter monenti credant! Quantum autem ad doctrinam de certitudine salutis, de ea ita respondemus. Pontificios fidem justificantem, aut salutarem, non quidem apertè & planè negare, sed solùm indirectè, & per consequentiam: statuunt enim circa illam fidem esse ignorantiam, & dubitationem: quod est dicere fidem non fidem. Petri Suavis Histor. Conc. Trident. lib. 2. Ne videretur destitui Sp. sancto, & nihil discernere posse, inscripsit caput, quo hanc controversiam determinat. *Contra inanem hæreticorum fiduciam.* Quasi nos hypocriticam istam fiduciam quoque non detestemur, & cothurnus hic Spiritus Antichristiani sit. Quod ad DD. autem, quot non ex iis nobiscum veram, & spiritualem certitudinem defendunt. Ambrosius Catharinus Episcopus Minoricensis librum integrum de ea scripsit contra Dominicum Soto; ut & Martinus Eisengreinius præpositus in veteri Ottingen 1568. librum Germanicum. In quo pag. 77. ita loquitur: *Quàm certò quis credit, & non dubitat,*

dubitat, quin in orbe terrarum urbs sit, quæ vocatur Constantinopolis: Item quòd Turcæ, Iudæi, & Pagani sint, tam certò, imo certius adhuc potest quis, imo debet credere, & non dubitare quin peccata sibi sint remissa. Quid amplius adhuc dico, quàm certò quis credit se filium esse matris suæ, tam certò, imo certius adhuc credere debet peccata sibi esse remissa. Cornel. Mussus etiam in c. 5. ad Romam. *Habet ergo spem*, inquit, *& gloriatur in hac spe quam habet, cum securitate omnino ad illam gloriam perveniendi. In hac enim gloriatione, & (ut ita dixerim) in hac sancta superbia, propter spem cælestis fælicitatis ostenditur, quòd qui justificatus est non hæsitat, utrum sit beandus, vel non; sed firmißimè tenet, se divino munere salvandum esse.*

Postremò cum nihil amplius ad manum inveniret, quo Voetium petere posset, invehitur in nimiam & profundam ejus eruditionem. Ita enim pag. 160. dicit: *Distinctiones solent arma Scotistarum appellari: eorum armamentarium tu profectò egregiè expilasti; & re ad pellendas tenebras, & diducendam, interlucandamque quodammodo, ut sic dicam, veritatis opacitatem, utilißimè inventa, ad dispergendam lectoris attentionem, & vertiginem conciliandam abuteris.* Quid absurdius, aut ineptius cogitari posset? Ideo Voetius malè defendit causam, quia nimis accurate distingit? εἰς κόρακας hanc subtilitatem! Putabam simplex ego Philosophus, virtutem & industriam esse, bene distinguere. At jam ut docet me Lovaniensis μωρόσοφος est vertigo, & judicium malæ causæ. Vapulate ergo omnes Scholastici, Theologi, Philosophi: distinctiones enim plurimas in mundo habetis, quæ instar lucernæ vobis prælucent in invenienda veritate. Si Voetius objurgandus ferulâ est, quod accuratè, solidè, & secundum naturam rei, & scripturam distinguat, quid fiet Papanis Theologis, qui fidem informatam & informem, opus in operans & operatum, Iustificationem in primam & secundam, Scientiam Dei in absolutam, & conditionatam, &c. contra Scripturam, & sanam philosophiam distinguunt? Vt jam nihil dicam de reverendo Iansenio Iprensi (qui quamvis de modalibus tantum gustaverit, quantum Arcadici asini) nescio quot non distinctiones tamen de una vocatione fabricavit. Non miror vero Doct. Fromondum de obscuritate, & multitudine distinctionum Voetii conqueri. Ne quidem operæ pretium duxit totum ejus librum evolvere. Arripuit hinc inde tantum verba, & locutiones quasdam, in quibus garriendi, & ineptiendi occasionem occurrere videbat.

CAPVT XXXI.

Petrus VValdus non cucurrit ante mißionem. Nomina schismatica nobis imposita sunt à Papanis. Iterum Iansenium prodit Fromondus. Doctiores Papistæ fatentur Papæ ministerium non esse juris divini. Ecclesia VVittebergensis potuit confirmare, & continuare Lutheri ministerium.

I. Quotiescunque inspicio, & lego Fromondi Crisin, toties occurrit illud Ambrosii Serm. 11. in Psalmum 118. *Narratores*, inquit, *superflui sicut hirundines, disputationis suavitatem loquacitatis continuatione corrumpunt. Superflua loquitur hæreticus.* Expertus sum in omnibus præcedentibus Capitibus, quæ examinavi. Experiar proh dolor! iterum in capite XXIX. ad quod jam ordine accessi. σκιαμαχεῖ miser per totum caput. Dicit pag. 162. *Voetium à Pauperibus de Lugduno jus reformandi emendicare.* Quod tamen nec scripsit, nec cogitavit unquam Voetius. Si invenit hoc Fromondus in Desp. Causâ cur locum & paginam non indicavit? Sed voluit Lectori imponere. Præterimus autem studio sarcasmum, quo incomparabilem Theologum Dn. Rivetum, obliquè perstringit: ac volentes nolentes desultorium Declamatorem sequimur. I. Pag. 162. dicit: *Tuus Thuanus*, &c. ait, *Petrum VValdum Pauperum VValdensium prophetam, ingenio suo, & sensu fretum, prædicationis munus sibi sumpsisse. Ecce ergo, ut à nemine missus, & Euangelicâ ac Apostolicâ traditione contemptâ nemini succedens, à se ipso ordinatus est*, &c. Resp. 1. Dissimulo illud sarcasticum Epithetum *Tuus*, quo maximum virorum Thuanum non obscurè petit tressis agaso: Nosterne erit Thuanus (quamvis non in totum rejiciamus) qui in Ecclesia Romana vixit, & mortuus est absque ulla excommunica-

tione? Vbi hic distinxerit Censor, nos applicabimus, & docebimus eum aliquid, quod non cognoscere aut vult, aut potest. Addit *VValdenses Pauperes.* Si *Pauperes* fuerint, similes Christo, Apostolis, & tot aliis viris sanctis fuere. 2. Quod ad Petrum VValdum, haud magis deliquit ac Apollo Act. 18. vers. 25. qui ut dicitur ζέων τῷ πνεύματι, hoc est, *fervens Spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea quæ sunt Domini, cùm sciret tantùm Baptisma Iohannis.* Aut quod nostrates Cloppæ faciunt, quæ contra sexus verecundiam, & præceptum Apostolicum non verecundantur inter simplices viam erroris, & doctrinam Sathanæ prædicare. 3. Quanquam ab initio vir fervidissimus Petrus VValdus ordinariam vocationem non habuit, postea tamen ab Ecclesia, pro ordinario est receptus, & agnitus. Et secundum præceptum & praxin Apostolicam, *donum verbum Dei annunciandi accepit, per impositionem manuum presbyterii.* 1 Tim. 4. vers. 11. Nec refert quod ab Episcopo Antichristiano, jurato Papæ mancipio, non sit ordinatus. Verbum Dei, & primitiva Ecclesia tales Episcopos non agnoscit. Sufficit VValdum ordinatum esse secundum simplicitatem Apostolicam. Garriat Fromondus quantum velit, nunquam probabit VValdum quicquam deliquisse. Quod verò prædicavit contra errores Papatus, nihil hoc ad rem. Aquila & Priscilla quoque docebant contra errores Synagogæ Act. 18. v. 26. Nec propterea tamen reprehenduntur à Paulo. II. Dicit pag. 162. *Hinc series illa & catena prædicatorum, quam à Petro VValdo usque ad Lutherum contexitis Pseudo-Prædicantium est.* Resp. 1. Mendacium est Voetium, successionem personalem Doctorum, à VValdo, usque ad Lutherum loco à Censore laudato, studuisse pertexere. p. 405. expresse defendit, *non esse ad fidem & salutem necessarium, ut homines docentes, & discentes cum omnibus circumstantiis, & actionibus suis successivè demonstrentur.* VValdum & VValdenses adducimus, eo fine tantùm ut in iis demonstremus successionem doctrinæ, & Ecclesiæ nostræ. 2. Gratis dicitur ministros Reformatos esse Pseudo-Prædicantes. III. Dicit pag. 163. *Vnde etiam à capite illo, à quo originem, nomen etiam, quantumvis indignantes accipere solent, ut Arriani ab Arrio, Donatistæ à Donato, VValdenses à VValdo, Lutherani à suo Luthero,* &c. Resp. 1. Non est certa nota aut hæreticorum, aut etiam seductorum, quod denominentur ab antecessoribus suis. Multi errarunt graviter qui tamen nullum caput erroris sui ostendere potuere, ut V. G. Acephali, de quibus ita scribit Alphonsus de Castro lib. 4. Tit. de Christo. *Surrexerunt,* inquit, *Acephali, qui simul insurgebant: Nullus enim repertus est, qui eorum esset princeps, & magister. Isti unam tantùm in Christo naturam esse dicebant.* 2. Falsum est nos nosmet ipsos aut à Luthero, aut Calvino, &c. denominare. Nomina illa nobis invitis, nec non obloquentibus, & deprecantibus à Papanis induntur. Egregiè, ac patheticè vir Dei Lutherus Tom. 4. op. Germ. fol. 4. Ed. VVitt. *Sunt,* inquit, *qui se Lutheranos esse gaudent: non sic, ô fatue, non sic, oro, ut meum nomen taceatur, & nemo Lutheranus, sed Christianus appelletur. Quid est Lutherus? Doctrina non est mea, neque pro vobis crucifixus fui. D. Paulus 1 Cor. 3. nolebat pati ut Christiani dicerentur à Paulo, sed à Christo. Vnde itaque mihi fœtido vermium sacco accederet, ut filii Christi à meo vilissimo nomine denominarentur? Absit! ô amici! deleamus scismatica nomina, & denominetur Christus, cujus doctrinam habemus.* 3. Retorqueri potest in adversarios, laudi illi sibi ducunt, denominari à Francisco, Dominico, Benedicto, Augustino, &c. IV. Dicit pag. 163. *Nec refert in illa VValdensium aut Lutheranorum Ministrorum serie quosdam fuisse Ecclesiæ Catholicæ antea Episcopos,* &c. *Quid enim ad rem, quod Donatus, Hermannus Vuyda, Thomas Crammerus veteris, & veræ Ecclesiæ Episcopi antea fuerint, si ad hæresin suam seminandam ordinati, & missi non sunt?* Resp. 1. Omnia falsa, & nil nisi petitio principii. 2. Fatetur saltem inter Lutheranos fuisse quosdam Ecclesiæ Catholicæ (hoc est factionis Papanæ) Episcopos. 3. Probetur Hermannum VVedam, & Crammerum hæreses prædicasse, & docuisse. Nugas Iansenii & Fromondi difflabimus infra. 4. Sufficit ut millies dictum est, Episcopos illos ordinatos fuisse ad prædicandam veritatem, & verbum Dei. Et nihil ad rem facit quod fidem dederint Papæ. Axioma vulgatum omnium

judicio verum, & sequendum est: *In malè promissis frange votum.* V. Dicit pag. eâd. *An qui legitimam unam missionem habet, hac potestate satis armatus est ad impune quidvis perpetrandum?* &c. omnia enim asscribere, quia cuculum sapiunt, non lubet. Resp. Nugæ meræ. Non quidvis impune perpetrarunt primi Roformatores. Omnia secundum conscientiam, & præscriptum verbi divini egere. Si probaveris, Fromonde, eum qui Dei voluntatem in integritate conscientiæ studet facere, omnia impune perpetrare: totum dabo. Sed scio qui coronam Papæ, & ventres monachorum otiosorum tangit, secundum principia falsæ vestræ Theologiæ omnia impunè perpetrandi dat licentiam.

II. Voetius in Desp. Causa pag. 109. loquens de vocatione ministrorum, qui à primis Reformatoribus ordinati fuere, inter alia dicit ex Galliis, & Germania ministros quosdam in Belgium venisse ad perficiendum opus Reformationis. Contra illa ita furit Fromondus pag. 164. *Aio igitur,* inquit, *Ministros illos, sive Hussitas ex Bohemia, sive Lutheranos ex Germania, aut VValdenses ex Sabaudia, vel Calvinistas Geneva in Belgium, aut alio missos, non venisse eâ missione, quam ad verum Euangelii prædicatorem requirit Apostolus Rom. 10. &c. Nam duces ipsi qui cæteros in novas illas colonias miserunt, Pseudo-Ministerium quod habebant, (& consequenter jus sibi similes in ministerio creandi) rapuerant.* Resp. *Pergula pictorum veri nihil, omnia falsa.* Quis unquam vaniora ægri somnia audivit. Præsupponit duo ut probata, quæ nunquam probare poterit. 1. Reformatores primos non habuisse ullam vocationem. 2. Eos vi illius vocationis accedente Ecclesiæ suffragio, non potuisse alios ordinare. Fromonde, si vir haberi velis: tenta, & conare quid dignum professione, & cathedrâ tua. Theologus non garrire, sed potenter omnia probare debet. Apagesis enim illos, inter quos tu non ultimus es, quos perstringit Orig. hom. 4. in Cant. Cant. *Inimici veritatis,* inquit, *videntes sine Philosophia* (Sophistica nempe) *consurgere muros Euangelii, cum irrisione dicunt, Hoc facilè posse destrui calliditate sermonum, & per astutas fallacias.* Voetius in Desper. Causa pag. 368. Solidè refellit Iansenii Responsionem, ad quæstionem propositam in Philonio, de Papæ per Simoniam aut alias malas artes intruso, & postea tamen pro legitimo agnito. Facere non potuit Fromondus, quin in hoc nodo dissecando etiam ingenium suum fatigaret, & vel cum dispendio veritatis, ac famæ, aliquid saltem tentaret. Novam ergo cudit distinctionem, quam is olido hoc verborum embammate pag. 165. proponit: *Sed falleris,* inquit, *undique, & similitudo quâ Pontificem Simoniacè, vel per alias sordes intrantem, cum Luthero comparas, dissimillima est, & neutro talo rectâ consistit. Vitium enim ingressus Lutheri, & omnium deformatorum, non tantùm ex parte dantis, aut recipientis Ministerium, sed ex parte ipsius Ministerii se tenet, ut Philosophico more loquar, id est, afficit ipsum Ministerium,* &c. Resp. O subtilem Philosophum! Ergo valuisset vocatio Lutheri, Zuinglii & cæterorum, si ipsorum ministerium valuisset, hoc est si ipsorum doctrina fuisset sana. Atqui hoc prorsus nobis favet. Si tantum vitium est in doctrina, suâ sponte jam evanescit stulta Iansenii interrogatio, *Qui estis, & unde venistis.* Das nobis victus à veritate legitimos fuisse ministros primos Reformatores. Age, ergo despiciamus de ipsorum ministerio, & doctrina. Dico ego illorum doctrinam consentaneam esse verbo Dei: Papatum verò, à quo egressi sunt, nihil minus docere quàm purum Dei verbum, traditionibus, hæresibus, & erroribus omnia pene dogmata Christianæ religionis ab eo esse deformata. Si libet Dn. Doctor in arenam descendito, & de ministerio, ut loqueris, hoc est doctrina primorum Reformatorum, nobiscum disputato. Obibimus cum Deo vadimonium.

III. Fœcundus est error, vix est natus, aut pullum gignit. Ostendunt Fromondi σφάλματα. Vixdum enim Iansenium suum prodidit, & totam causam tradidit, aut nugas & quisquilias de Papa sine numero, sine mensura accumulat. Pag. 166. dicit. *Ministerium verò ad quod Pontifex, aut alius in Ecclesia Catholica Simoniacè, & per malas artes promovetur, verum, & à Christo institutum ministerium est; quia antiquum, & à majoribus traditum, quod non magis in Ecclesia intercidere, & deficere potest quam ipsa.*

ipsa. O cæcum Papicolam! Resp. 1. Si, Fromonde, unum locum in Novo Test. ostendere possis, ubi instituitur Ministerium Papæ, aut ullum vestigium in aliquo Patre, qui vixit intra trecentesimum à Christo nato annum, in quo dicitur Papæ Romani ministerium esse de essentia, & necessitate Ecclesiæ, tuus ero. Fidem dedi supra, iterum hic do. 2. Si stat hoc Fromondi effatum, sequitur necessariò Ecclesiam primitivam Apostolicam, non fuisse perfectam, imo ne quidem Ecclesiam, quia caruit Papâ. 3. Ignosco Fromondo asserenti præ ignorantia domesticæ Theologiæ, quòd Papæ ministerium sit à Christo institutum. Doctiores quique aliud semper statuere. Stapleton. de doctr. princ. lib. 13. cap. 15. *Patres Constantiensis Concilii putabant primatum Pontificis Romani non jure divino niti, sed tantùm positivis Ecclesiæ decretis.* Marcil. Patav. in Def. Pacis parte 2. cap. 6. *Mirandum est cur aliqui pertinaciter asserunt Romanum Pontificem ampliorem à Christo clavium potestatem accepisse, quàm reliquos, cùm id ex Scripturis convinci nequeat, sed oppositum magis.* Gregor. de Valent. Analys. lib. 7. cap. 12. *Dominicus de Soto existimat rationem successionis jure Ecclesiastico tantùm Romæ esse annexam: & proinde Episcopum Romanum non esse Petri successorem: quia cùm Christus Petrum universalem pastorem instituebat, nulli eum certæ sedi addixerat.* Hinc ipse Bellarminus post longam disputationem tandem lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 12. *Etiamsi,* inquit, *fortè non sit ex jure divino Romanum Pontificem, ut Romanum Pontificem Petro succedere.* Pergit ineptiæ pag. 166. *Pontificatus est ministerium legitimum à Christo institutum,* &c. *Si autem subjectum fuerit incapax considerandum est, An juris divini, an solius humani illa incapacitas sit. Si enim divini (qualis est femineus sexus) nullâ humanâ potestate emendari potest: si verò solo jure humano est inducta potest eodem etiam jure abstergi.* Resp. 1. Multum largiris Fromonde concedens fœmineum sexum esse incapacem Pontificatus. Sed quid facies Iohannæ VIII. quam cathedram tenuisse ex tot authoribus Iansenio tuo probavit Voetius in Desp. Causa pag. 542. Necesse est aut obloquaris tot testibus, aut fatearis successionem interruptam fuisse. 2. Das ultrò quod antè negasti. Dicis Pontificatum esse à Christo institutum, & dein vitium Pontificis humani juris humana potestate posse emendari. Quomodo hæc cohærent? Si quid in Pontifice est quod humanâ potestate debet emendari, sequitur talem Pontificem humano etiam jure tantum electum esse: & consequenter aliquis potest tenere cathedram secundum jus tantum humanum. Idem dicis ac si hoc diceres: Fingamus Annam & Caipham (qui etenim non fuere fœminæ) simul per Simoniam fuisse evectos à Romanis ad Pontificatum Maximum, alterum verò suâ sponte cedere alteri. Quis nisi, qui communi sensu caret, eum qui Pontificatum obtinet, dicet evectum esse jure divino? Si dicas saltem Pontificatum esse juris divini; Damus hoc de Israelitico, non de Romano. Nihilominus hoc saltem manet successionem fuisse interruptam. Nihil simul statuere velis non posse interrumpi successionem regnorum & principatuum, etiamsi tyranni per annos aliquot, ejectis legitimis successoribus, soli dominentur, & imperent. Tandem monstroso discursui monstrosum epilogum subnectit pag. 166. *In electoribus Lutheri, id est, populo VVittebergensi, & clero à Luthero antè deformato, non fuit ulla potestas eligendi impedita, quæ dimotis impedimentis postea valuerit confirmare Lutheri missionem; cùm nulla penitus in ipsis eligendi fuerit potestas.* Resp. ô miserum declamatorem! Non intelligit quæ differentia sit inter eligere ministrum, & inter confirmare, seu continuare eundem. Ante Reformationem (quam ille deformationem esse putat) Lutherus fuit electus: non verò post. Quin ipse antea concessit Lutherum habuisse missionem, ante Reformationem. 2. Si populus, & clerus VVittebergensis accedente consensu principis Electoris, & Magistratus non potuit saltem, confirmare vocationem Lutheri, sequitur necessariò sub tempora Apostolicæ Ecclesiæ nullos ex ordinariis ministris, & presbyteris habuisse legitimam vocationem, quia ordinati, & confirmati sunt à presbyteriis & Ecclesiis, quas antè aut ipsi, aut Apostoli, aut Euangelistæ Christo collegerant, hoc est, ut Fromondus censet, *deformaverant.* 3. Evanescit jam totum illud commentum de vocatione primorum

Reformatorum, & despiciendum est de eorum doctrina. Si enim ideo Lutherus non potuit continuari à clero & populo VVittebergensi, quia eum deformaverat, sequitur ante omnia & primò despiciendum esse, reformaverit ne, an deformaverit Lutherus Ecclesiam à qua confirmatus est. At quid fiet tum huic Iansenii interrogationi *Qui estis, & unde venistis?* In fumum abibit.

IV. Sub finem deliri capitis, movet quæstionem de Episcopis hæreticis Sacerdotes ordinantibus. Probavit Voetius pag. 192. & seqq. ex Scholasticis, Iesuitis, & nescio quibus non DD. talem ordinationem valere, & probæ notæ esse. Quia autem probatio valida & solida est, subtilis, & φιλόνεικος ille Fromondus confugere cogitur ad *Distinctiones, arma Scotistarum.* Ita enim profatur pag. 167. *Verum,* inquit, *supervacuo labore consumeris, & imperitissimè inter Sacramentalem Ordinationem, & collationem jurisdictionis nihil distinguis. Quemadmodum enim Episcopi hæretici verum baptismum extra Ecclesiam Catholicam, ita verum Sacramentum Ordinis conferre possunt, &c. Attamen per hanc sacram Ordinationem nulla confertur jurisdictio, aut potestas prædicandi hæresin, sed solùm character sacramentalis, seu potestas conficiendi Eucharistiam, & impertiendi pænitentibus absolutionem; aut insuper potestas alios ordinandi & confirmandi, si Episcopalis ordo sit, qui confertur.* Quis non putaret in verbis his, tam gravi, & composito vultu prolatis multum ponderis & energiæ inesse? Verum si quis ea libret, & ponderet, leviora pluma esse deprehendet. Omnia in iis falsa. 1. Ἀεροβατεῖ miserè, nec contra Voetii argumentum quicquam affert. Non enim de Sacerdotibus tantum probavit Voetius, eos legitimè ordinari, si ordinentur ab Episcopis hæreticis. Sed de ordinatis in genere, & omnibus. Idem ergo facit, ac si quis ex fratribus illius gloriaretur se probasse omnes plantas ratione esse præditas, quia divinum illud Helleborum rationem exacuit. 2. Vt probatum proponit, quod tamen falsissimum est: Sacerdotibus nempe non concedi in ordinatione ullam potestatem admonendi ἀτάκτους, & errantes in viam reducendi. 3. Præsupponit, quod tamen nunquam probabitur, Lutherum, Zuinglium, &c. tantum fuisse missificos sacerdotes. 4. Iterum tanquam concessum præsupponit Lutherum, Zuinglium, &c. hæreses disseminasse, & docuisse, quod nunquam vel ipse diabolus probabit, nisi hæretici fuerint Christus, Paulus, &c. Postea adhuc quædam garrit de Voetii vocatione, sed illa infrunita, stulta, inepta, ac responsione, imo lectione indignissima sunt.

CAPVT XXXII.

Appositè citavit Voetius Gersonem. Non aperit Voetius omnibus erroribus fenestram ad turbandas Ecclesias. Fromondus cum umbra sua luctatur. Nullibi dixit Voetius primos Reformatores extraordinariam habuisse vocationem.

I. Succedit caput trigesimum Crisseos, quo in lemmate pollicetur Censor se demonstraturum esse, *ne quidem prætextu charitatis, & necessitatis proximi ministerium potuisse arripere Reformatores.* Inter legendum aliquoties optavi mihi Diogenis lucernam, ut ex tot verbis quid eruere, & expiscari possem, quod faceret ad probationem theseos, miscet, confundit omnia, ac tam inepte garrit, ut jurares Horatianum Fabium præ Doctore Lovaniensi taciturnum fuisse. 1. Invadit Voetium pag. 169. quasi in Desp. Causa pag. 274. mala fide Gersonem citasset. Cùm tamen ex Gersone Serm. 2. facto in Conc. Rhem. adducat hæc verba: *Denique nonnunquam ex necessitatis lege; quando aliter non posset fieri, seu morum veritas inviolata servari.* (Fit nempe Reformatio.) *Vbi verum est illud, Pasce fame morientem, si non pavisti, occidisti.* Atqui hoc sufficit Voetii proposito, qui hoc tantum voluit probare ex superabundanti non applicando ad primos Reformatores, *in vocatione Ministrorum* secundum Gersonem *locum etiam concedi casibus necessitatis.* Quod Gerson loco citato quædam in Turrelipinos dicat, nihil ad rem facit, & libenter ei ignoscimus: si cum iis familiarius fuisset conversatus aliud sensisset, & docuisset. II. Voetius disputans de casu necessitatis, qui aliquando oboritur Ecclesiæ, obiter pag. 275. ex Theodoreto adduxit exemplum fidelium in Ecclesia Samosatensi,

ſatenſi, & quorundam in Antiochena, qui graſſantibus Arrianis, & expulſis Epiſcopis Orthodoxis ipſi munus paſtoris ſuſceperunt. Ne ſaveat, & patrocinetur nobis hæc praxis primitivæ Eccleſiæ mirificas turbas Cenſor pag. 170. excitat. *Catholicos*, inquit, *oppreſſos ab Antiſtitibus hæreticis vi intruſis, poſſe mutuâ cohortatione ſe ad veteris, & traditæ ab Apoſtolis fidei conſtantiam animare, firmareque, &c. nemo dubitat, &c. Sed intra limites iſtos veſtrorum reformatorum audacia non ſtetit. Nam veteres Paſtores, Sedibus, & Miniſteriis ſuis vi aut fraudibus depulerunt, ut cap.* IV. *tot exemplis demonſtravimus.* Quæſo, Lector, ingenuè dic an non inſanire hunc hominem judices, qui ad tuum uſque tædium, perpetuò eadem mendaciorum & calumniarum chordâ oberrat? Falſum eſt nos minus eſſe Catholicos quàm erant Samoſatenſes, & Antiochenſes cives. Ad hoc ſtrenuum, & flagitioſum eſt mendacium, *quòd primi Reformatores veteres paſtores ſedibus, & miniſteriis ſuis vi, aut fraudibus depulerint.* Deteximus ſupra cap. v. hanc calumniam, & Doctorem provocavimus, ut ſi qua ei ſuperſit conſcientia, in arenam deſcendat. Miror verò ejus plus quàm caninam impudentiam: quod gloriari auſit hoc à ſe cap. IV. *tot exemplis* demonſtratum eſſe. Quæſo, Lector quiſquis es, ipſe caput illud legito, & ſi aliud præter pueriles ineptias, & ineptos λόγους offendere poſſis, fatebor me cæcum eſſe. Pergit. *Hoc*, inquit, *ſi unicuique prætextu charitatis, & ſalutis proximi liceat, non ſolùm Lutherani, & Calviniſtæ, ſed Anabaptiſtæ, Antitrinitarii, ac omnes univerſim hæretici Miniſteria & Cathedras Catholicis, & ſibi invicem jure eripere poterunt, quia verum Scripturæ ſenſum, & fidem orthodoxam ſe tenere exiſtimant, &c.* In utrumvis oculum in antro tuo ſtertito, Dn. Doctor. Non eſt quod hoc Panico metu cerebrum tuum fatiges. Vides opinor, & ſentis, quomodo Loyolitas omnibus artibus Dominicanos, & hi viciſſim illos opprimere ſtudeant: nec ignarus eſſe potes, quas inſidias Loyolæ ſoboles tuæ Academiæ ſtruxerit, & quantâ moleſtiâ, ac labore ſteterit antequam Cornelius Lapideus Romam ablegatus ſit. Non manifeſti ſemper hoſtes inſidiantur Paſtoribus: in ſinu etiam ſunt, & foventur, qui ſemper πρωτεύειν affectant, invidiâ rumpuntur ſi ſoli cathedras aut non moderentur, aut ſaltem ornare putentur. Quis tamen dicat aut qui hæc agunt, aut patiuntur, miſſione carere? Eoque nihil obſtat hæc Fromondi difficultas. Simulac primi Eccleſiæ Reformatores exorti & à Deo excitati ſunt, diabolus etiam ſuſcitavit Anabaptiſtas, Libertinos, Svvenckfeldianos, & quos non, qui ſub prætextu Reformationis, lucem Euangelii offuſcare, & quantum in ſe veritatem opprimere ſtuduere. Sed è cælo adfuit Deus populo ſuo, & largâ benedictione erga Euangelium oſtendit quantum veritas mendacio, & lux tenebris præſtaret. Sed adhuc quid promit è theſauro ineptiarum quod minimè prætereundum eſt. *Deinde*, inquit, *longè diverſa eſt ratio, veteris, & à majoribus traditæ, quæque tot jam annos occupaverat fidei, & novitii veſtri dogmatis.* Puerilis & ridiculus Thraſoniſmus. Si tantam antiquitatis conſcientiam in Doctrina tua habes, oſtende ejus conſenſum in octo illis articulis, quos Voetius tibi propoſuit, aut ſaltem in uno ex eis. Reſponde ad quæſtiones, quas infra tibi proponam, & arcem hanc ego & Voetius trademus. Clamatis antiquitatem, antiquitatem, & ne in uno quidem dogmate merè papali, ejus conſenſum oſtendere poteſtis. Quàm ridiculi eſtis Aretalogi! Nos retinemus, & docemus, ea quæ à Chriſto, & Apoſtolis ejus relicta ſunt, & novitii audimus: contra pleraque veſtra dogmata merè papalia antè quadringenteſimum annum non ſic cognita & credita fuere, ut à DD. veſtris defenduntur, & penes vos tamen antiquitatem eſſe gloriamini? Non poſſum quin Ianſenii fulmen, tua ignorantiâ, & imprudentiâ ei excuſſum tollam, & cum Tertulliano ex omnibus vobis quæram: *Qui eſtis vos? unde? quando? De mitis olivæ nucleo ventoſa caprificus exurgit, ſed illa prior & dulcior, hæc poſterior & inſuavior.* Doce nos, Doctor, ex Scriptura, & Patribus qui primo, ſecundo, & tertio ſeculo vixere, ita docuiſſe Chriſtum & Apoſtolos, quemadmodum ſecundum Spiritum Papæ definivit, ac determinavit Conciliabulum Tridentinum, & credemus vobis. Sed facietis hoc quando os veritatis, Chriſtus nempe, factus erit mendax. Quare temperare mihi non poſſum, quin

cum

cum Hieron. in Ep. ad Ocean. & Pamm. in vos stomacher: *Cur post quadringentos annos docere nos nitimini, quod ante nescivimus.* III. Subjicit alios plures coccysmos, sed cui vacet eos aut legere, aut examinare. Stulta est comparatio, quam inter nos & Arrianos instituere studet pag. 171. Stultior adhuc probatio, quam ex Iansenii sui Spongia adfert, ut probet primos Reformatores turbones fuisse. Stultissimum verò omnium, quòd quia Voetius in Desp. Causa pag. 246. fecit mentionem Monachorum mendicantium, qui prædicant contradicente Episcopo, ideo velit aperiri fenestram omnibus erroribus, ut possint impunè cathedras occupare. Quemadmodum secundum mirabilem suam stultitiam Doctor subtilis philosophatur pag. 172.

II. Examinare incipit an Christus Reformatores miserit. Sed miserè aëra ferit. Statuimus enim eos qui prima fundamenta Reformationis moliti fuere, intrinsecam ad hoc habuisse vocationem: interea hoc addimus, Ecclesiam agnovisse hanc vocationem per missionem suam, & applicationem ad personas Reformatorum. Possemus ergo hic subsistere: quia nihil ad rem adfert. Sed lubet tamen animi gratiâ audire furibundum Orestem. *Ecclesia*, inquit pag. 172. *est instar causæ cujusdam universalis, quæ in missionem ordinariam mediatè solùm influit, interventu nempe Episcopi, aut alterius, particularis collatoris.* Necesse est statuat contradictionem in adjecto, & per Ecclesiam Catholicam intelligat quamlibet Ecclesiam particularem: ea enim quam in symbolo confitemur invisibilis est, quia eam credimus Hebr. 11. vers. 1. Quàm autem absurdum est, dicere Ecclesiam invisibilem mittere & vocare ministros. Limitato autem ita contra indolem, & naturam suam, vocabulo catholico, totum toto animo damus & concedimus. Pergit. *Attamen*, inquit, *sicut causa prima non est alligata causis secundis, ut Philosophi nostri dicunt, sed supra aut contra ordinem iis præscriptum miraculosè aliquid operari potest, &c. Ita Deus extra ordinem à se in Ecclesia constitutum potest immediatè aliquem novum Prophetam, aut Apostolum mittere. Sed ista missio jam non est ordinaria, &c. sed extraordinaria.* Nota quæso, Lector, illud *Nostri Philosophi. Nos poma natamus.* Mera hæc est vertigo, delirium, & ineptiæ. Non credo ebrium fuisse Criticum dum hæc scriberet: & tamen nihil à Bacchantium inconditis sermonibus hæc discrepant. Quis negat Deum extra ordinem ministros excitare, sed quis audebit inficias ire, multos ex iis fieri ordinarios. Extraordinaria est talis vocatio ratione initii, & originis quatenus Deus ex turba hominum, quos Spiritu suo excitat ad veritatis promulgationem, & eversionem erroris: sed quid vetat quo minus & illi ab Ecclesia vocentur, & ordinentur. Nisi Deus qui omnipotens est non possit tam movere cor totius ecclesiæ, quàm movit cor unius. Nec evertit Voetius, ut somniat Censor, ordinariam vocationem primorum Reformatorum, aut contradicit sibi ipsi, quando pag. 246. dicit de Reformatoribus: *Et ad id specialem atque explicitam habent commissionem à supremo mittente, & mandante Christo.* Quod enim non excludat ordinariam Ecclesiæ missionem, liquet ex sequentibus verbis, quæ Censor more suo flagitiosè omittit. Addit quippe: *Vt & ab Ecclesia, aut parte Ecclesiæ saniori.* Mens ejus hæc est Christum intrinsecâ vocatione movisse ad Reformationem Ministros, quæ propriissima & præcipua est vocatio: Ecclesiam verò, quæ audit supremum illum ovium pastorem, applicasse eis jus, quod solet in ordinarios, & legitimos ministros conferri. At ubi hic aut umbra contradictionis, aut absurditatis comparet? Fateor, nos cæci hic nihil videmus. At Fromondus οἶδε πέπνυται: & *est Noster ille Philosophus.* Aliud sanè est ipsum munus, & instructio ejus, ut vocant (V.G. Quæstoris, Scabini, Iudicis, &c.) & aliud applicatio muneris ad talem personam. Dico ergo: Munus ipsum pastoris & instructio V. G. Lutheri, &c. est à Christo, & jure divino: Vocatio autem ad illud manus, seu applicatio ad talem personã est ab eodem, sed per Ecclesiam V. G. VVittebergensem aut Tigurinam, &c. Fromonde si hoc non capis, discas ergo à tuis distinctionem illam qui docent ipsam Papæ potestatem non esse à Cardinalibus eligentibus, & consecrantibus, sed à Christo: ab illis verò esse applicationem ad hanc aut illam personam E. G. ad os Porci, aut Barbarinum, &c.

CAPVT XXXIII.

Insubidè Fromondus de arcta via ineptit. Rectè à Muncero miracula postulavit Lutherus, quæ tamen ab eo flagitari non possunt. Non fuit in Ambrosium, & Augustinum inclemens Lutherus. Defenduntur Professores Leidenses.

I. Vidisti, Lector, hactenus luctantem, & sudantem Fromondum; dein triumphantem in plaustro Loquentiæ, & Maledicentiæ conspicies. Quasi omnia, de quibus huc usque λόγȣς fudit, apodictiçe probasset, & nobis ringentibus clavam extorsisset: accedit ad Miracula (ipse revera miraculum ignorantiæ) eorumque necessitatem nullo modo posse declinare Ministros nostros, & primos Reformatores, suo judicio tam facilè probat, *quàm volpes pyrum comest.* Audi verò strepentem πτῦγα. *Quid igitur jam restat?* dicit pag. 173. *Longa profectò, & difficilis tibi via, quam cunctanter ingrederis, imo quàm potes longissimè fugis. Vt nempe miraculis, & divinis portentis missionem istam extraordinariam nobis probes.* Quis non putaret hominem hunc vincula rupisse, & recenter ex Anticyris Lovanium advolasse. Præsupponit, quod tamen (ut superiori capite ostendimus) falsissimum est: Voetium nempe, invitum, ac reluctantem fateri primos Reformatores extraordinariam habuisse vocationem. *Deinde* ad omnem extraordinariam missionem requiri miracula. *Tertiò* invictis argumentis (hoc est calumniis ac mendaciis) se supra probasse primos Reformatores fuisse distinctos nattas, homines libidinosos, carni, ac voluptatibus servientes. Et *quartò* hæreses, errores, & heterodoxias ab iis fuisse traditas, ac promulgatas. Quis ferat hæc? Et quis, non ferulis, ac virgis vanam hanc sophisticam esse objurgandam decernat? Sed multa sunt toleranda in stulto, quæ acriter forent castiganda in homine sobriæ mentis. Strepit, & garrit dein de *arcta, & lata via, & falsis prophetis* Math 7. Sed quid hæc ad rem? quasi verò nostra doctrina angustam illam viam, quæ ducit ad vitam dilatet, & expandat. Quicquid etenim Papæ, Cardinales, Satrapæ, Episcopi, Abbates, Canonici, Porci Antoniani, Monachi Guilelmitæ πήγαστροι illi, & tota hierarchia Papana, nec non Loyolæ soboles, cum tot ventricosis sacerdotibus de angusta via & porta (quam se tantum intrare opinantur) cornicentur, nunquam tamen probabunt, quod hominibus persuasum velint. Dum ἐθελοθρησκεία Deum colunt, ac secundum beneplacitum suum, & contra præscriptum verbi Dei, Christo servire student, quid aliud faciunt, quam ut viam arctis cancellis à Deo Opt. Max. definitam, cerebri sui commentis latiorem reddant: & dum ductum erroris, & superstitionis sequuntur, obliviscantur carnem crucifigere, & mundo valedicere. De pseudo-prophetis, non est quod respondeamus: norunt omnes, qui cor habent, eos consanguineos Monachorum, Loyolitarum, &c. esse, qui hypocriticâ sanctitatis specie incautis multis imponunt, & adulterinum plumbum pro auro vendunt. At quo tandem argumento probat miracula esse necessaria (quæ enim dein garrit pag. 174. meri coccysmi, & λῆροι sunt jam aliquoties supra à nobis explosi.) Hæc est ἀπόδειξις. *Lutherus à Muncero postulavit signa & miracula, Ergo in eum ipsum debet cudi hæc faba.* Divinè. Cave tibi, Voeti, à cornuto hoc cucumere. Lutherus à Muncero postulabat signa, ergo rectè postulantur ab eo ipso. Quæ hæc consequentia? Similis erat Muncerus Carolostadio, de quo respondit Voetius pag. 301. imò decuplo pejor eo. Qui motum internum Spiritus Sancti jactat, & se novum Prophetam & Euangelistam esse gloriatur, an non jure & meritò ab eo postulantur miracula? Muncerus secundum dictamen Spiritus, Enthusiastici, quem jactabat, nova proponebat dogmata ignota Apostolis, imo contraria iis, ad arma concitabat agrestes, abrogare magistratus, miscere & confundere omnia studebat, an non ergo rectè à tali pseudo-propheta signa requirere potuit Lutherus? At probetur ejusdem commatis Lutheri doctrinam fuisse. Non novi quid annunciavit, sed quòd Apostoli, & qui ante omnes Christus est, prædicaverant, Enthusiasticos nullos lactavit, sed omnia sua ad amussim solius verbi Dei examinari voluit. Miracula ab illis facta, erant etiam sigilla doctrinę ab eo annunciatæ. Rectè

& prorsus ad mentem nostram Stella Comm. in 11. cap. Lucæ: *Crede Euangelio, quod fuit miraculis confirmatum: sed dices, nonne rationi consentaneum est, ut nunc quoque fides confirmetur miraculis? Non, nam nunc quoque damnum potius afferrent, quam commodum; etiamsi in principio nascentis Euangelii fuerint necessaria. Puer enim cùm ambulare nequit, adjuvatur vehiculo, quod homini adulto est impedimento.* Sed quid ad suffragia cito Stellam, ipse Fromondus Luthero patrocinatur. Ita enim capite sequenti pag. 178. dicit: *Nec SS. Patres, neque nos novis miraculorum sigillis indigemus; cùm diploma missionis nostræ antiquum sit, & vetera miraculorum Christi, & Apostolorum sigilla adhuc ex eo dependeant. Hoc enim diploma sigillatum SS. Patres acceperunt, & ad nos deinde per subsequentium seculorum manus trajecerunt.* Rectè, & omnino ad mentem nostram. Illud ipsum diploma, de quo tu in gratiam factionis tuæ insubidè gloriaris, amplectitur Lutherus, & se habere non conjicit tantùm, sed certò credit. Quid ergo superest, nisi ut omissa vanâ quæstione de miraculis, despiciamus utri habeant diplomatis hujus authenticum exemplar, nosne qui nefas esse ducimus jota etiam ei aut addere, aut detrahere, an vero Papani tui, Fromonde, qui sexcentis traditionibus illud interpolarunt, corruperunt, & induxerunt. Si qua tibi conscientia, proba omnia dogmata factionis tuæ consentanea esse authentico diplomati, & credam Lutherum fuisse factiosum quem Muncerum, & quòd nulla sontica de causa in vos, & Papam vestrum insurrexerit. Scio garries de Ecclesia, Ecclesia Diplomatis hujus interprete, sed quàm stultum hoc? In foro judiciali, non secundum advocatorum glossas, sed secundum ipsam mentem testamentorum, diplomatum, aliorumque instrumentorum sententiæ pronunciantur. Quando verò, quod desidero, facies mi Scripturarum lucifuga. Progrederer: sed manum injicit ipse Lutherus. Dicit enim, ut citat Fromondus in Resp. ad Reg. Angliæ. *Non ego quæro quid Ambrosius, Augustinus, Concilia, & usus seculorum dicant, nec fuit opus mihi Henrico Rege Magistro, qui me hoc doceret; quæ adeo pulchrè ea noveram, ut etiam impugnaverim.* Ad hæc verba nescio quot non nugarum pelves evacuet Censor. Vide ipse quæso, Lector, profusionem hanc pag. 175. Quid verò proficit? ne hilum. Qui dicit se quædam in Ambrosio, Augustino, &c. ut malè sana rejicere, an ille etiam rejicit ipsum diploma, quod à Christo & ejus Apostolis nobis relictum est, quæ hæc bestialis est consequentia? Non quid Patres dixerint, sed quid, qui ante eos fuere Christus cum Apostolis docuerit, videndum est. Monent, & docent hoc nos ipsi Patres, væ verò nobis ni etiam observemus. Aug. ep. 19. *Ipse mihi pro his omnibus, & supra hos omnes* (Episcopos nempe) *Apostolus Paulus occurrit, ad ipsum confugio, ad ipsum, ab omnibus, qui aliter sentiunt literarum tractatoribus provoco.* Idem l. 2. contra Crescen. cap. 32. *Literas Cypriani, non ut Canonicas habeo. Sed eas ex canonicis considero, & quod in eis divinarum Scripturarum authoritati congruit, cum laude ejus accipio: quod autem non congruit, cum pace ejus respuo.* Nec quicquam inclementius in Augustinum & Ambrosium dixit Lutherus, quàm dicere solent in eos, reliquosque Patres ipsi Papani DD. cum eorum authoritate constringuntur. Lyra in 1. cap. Math. *Nam dicta*, inquit, *Sanctorum Patrum, non sunt tantæ authoritatis, quin liceat contrarium tenere in iis, quæ per Scripturas non determinantur.* Cajet. Comm. in Genes. *Si quando occurrerit novus sensus textui consonus, quamvis à torrente sanctorum alienus, æquum se præbeat Lector Censorem.* Sixtus Senens. in Præf. l. 5. Bibl. *Prisci illi Ecclesiarum magistri, nonnihil interdum à proposito veritatis scopo aberraverunt.* Greg. de Valent. lib. de Transsubst. cap. 7. *Minimè mirum est, si unus, aut alter, aut etiam aliqui ex veteribus, minùs considerate, & rectè de hac re scripserint, & senserint.* Postea accumulat liras, & λήρους ad nauseam, & tædium usque instar cuculi eandem perpetuò cantilenam canens. Nunc ordinariam, nunc extraordinariam vocationem habuisse Reformatores contendit, & quando se expedire non potest suppetias Iansenium suum advocat. Rideamus frigidam hanc diligentiam, & aliquando taceamus. Nihil adfert, totâ pag. 176. quod non supra aliquoties refutavimus.

II. Augurabatur bonus Censor non satis

honorificum sibi fore, si de solo pauperculo Voetio triumpharet: alios præter eum adversarios quæsivit, & quos quærebat, dicto ocyus invenit. Occurrerunt ei, sed inauspicatò quatuor Clariss. Professores Leydenses quorum auspiciis prodiit Synopsis purioris Theologiæ. In hos ita debacchatur. *Nec quatuor*, inquit pag. 177. *illi Disputatores Leidenses acutiores profectò quàm tu fuerunt, dum missionem, sive vocationem extraordinariam cum ordinaria copulant, & pronunciant, Vocationem quorundam primorum Pastorum partim ordinariam partim extraordinariam fuisse.* Næ tu, Fromonde, ubique tui similis es. Viri celeberrimi & doctissimi, pietate ac zelo venerabiles, tibi tantùm *Disputatores*, sunt. Vtinam ita in disputatoria palæstra exercitatus fores! non tam miserè Iansenium, ac totam causam traderes, teque Logicæ etiam tyronibus deridendum prostitueres. Sed quid tandem contra hæc oracula comminisceris! Dicis pag. ead. *Nam ordinaria fuit impertinens ad officium vestræ reformationis, ut tot ante argumentis probavimus, & extraordinaria ei conjuncta non minùs miraculis asseri debuit, quàm si sola fuisset, & extra cœtum alterius.* Hactenus tuis lumbis pepercimus, Asine: ita verò nostram longanimitatem jam accendis, ut si ad manum foret scytica, eâ te miserè excoriaremus. Dicit mulus se *tot ante argumentis probasse ordinariam Reformatorum vocationem fuisse impertinentem.* Obtestor vos, Lectores, ut dicatis mihi an ullum argumentum quatuor totis præcedentibus capitibus videre potueritis. Dicite ingenuè. Scio, aut saltem spero vos nosse, quantum nuda, inepta & otiosa verba, à solidis & ponderosis argumentis distent. Si garrire, & ineptire idem est quod disputare, vicerit etenim Fromondus, judicibus omnibus graculis, & picis. Dicit *extraordinariam vocationem junctam ordinariæ miraculis debere asseri.* Non competit sanè hoc extraordinariæ vocationi, de qua Clar. Profess. loquuntur, dicunt enim postea eodem loco hoc est Disp. 42. Thes. 41. *Extraordinaria fuit vocatio, quatenus ut malo extraordinario remedium extraordinarium adferrent, extraordinariis ad illam functionem dotibus instructi fuerunt.* Si stat hoc effatum Fromondi, necessariò sequetur, quòd Patres, aut Martyres plerique miraculis etiamnum vivi coruscare debuerint, ut plurimum enim extraordinariis donis Spiritus sancti fuere prædicti. Quid fiet tum S. Ignatio, qui tam extraordinarii quid moliebatur contra omnes principes, respub. Monachos, Academias & inter eas præcipuè Lovaniensem, & Parisiensem, teste Ribadeneira enim l. 5. cap. 13. in vita nullum miraculum edidit. Quid fiet etiam Carolo Borromæo, qui miserum D. Ambrosium Mediolano expulit aliisque plurimis? Quis negare ex Papicolis audebit, eorum dotes fuisse extraordinarias, sine ullis etiam miraculis? Scio Doct. Fromondus dicit, eos fuisse Catholicos, Reformatores verò Hæreticos, sed quid hoc aliud est, quàm principium petere, & identidem canere

Montibus, inquit, erant, & erant in montibus illis.

Mitto jam, quod vocationem extraordinariam V. C. Iohannis Baptistæ, non semper comitentur miracula. Sed subjicit Politico-Iuridicam similitudinem vir scilicet πολιτικώτατος. *Legatus*, inquit, *ordinarius, si quem actum exercere, aut negotium tractare velit, quod legationis suæ ordinariæ limites excedit, peculiarem ad id commissionem ostendere debet.* At quid hoc ad rem? Si Cl. DD. Professores de gradu dejicere voluisset, probare debuisset, legatum quando extraordinariâ, & insolitâ fide, ac diligentiâ negotia Principis, aut Reipubl. suæ curare incipit, nova commissione indigere, ut ei credatur. Sed quis præter Fromondum hoc somniet?

CAPVT XXXIV.

Voetius non in dubium vocat vera miracula. Fromondus suspecta facit omnia Papana miracula. Xaverius non claruit miraculis. Ioannes Baptista nulla quoque edidit miracula.

I. PErgit Dominus Doctor ineptire, & nos oblectare: quem enim juvaret uno tantùm capite, aut tribus quatorve paginis ridiculum se præbere? Principio ridet Voetium, quòd Antichristi satellites *Miriones, & Miripetos* vocaverit. Ostendit etenim quàm in Latina Linguâ, & Patrum Lectione sit versatus. Miriones dixit

dixit Tertull. lib. In Præf. adv. Hæref. cujus caput non possum annotare, quia liber qui ad manum est per capita non est distributus. Dicit autem: *Solent quidem isti miriones etiam de quibusdam personis ab hæresi captis, ædificari in ruinam.* Miripetos verò dixit Voetius eâdem licentiâ, quâ Auguft. tract. 13. in Iohann. Mirabiliarios. Quid peccatum?

------ licuit, semperque licebit

Signatum præsente notâ procudere nomen.

Sanè, si Iesuitæ possunt dici hæredipetæ cum bona venia Latinitatis Lovaniensis, omnes Papani etiam dici possunt miripeti. *Secundò* quia Voetius in Desp. Causa p. 286. Risit & explosit suppofititia, & sublesta miracula *Dominicanorum Bernensium, Franciscanorum Aurelianensium, Mariæ de Cruz,* &c. Ita ille obstrepit more suo subtilissimè; *Sed homo*, inquit pag. 177. *circumspecte, non vides omnibus pæne Christi, & Apostolorum veris miraculis te hoc argumento parem calumniam inferre, & si te audivissent, oportuisse eos à patrando abstinere.* Si ex aliis non audivissem Fromondum aliquando in Lilio philosophiam professum esse, jurarem eum τρόπον παιδείας Logicam, nunquam in pariete pictam vidisse. Quàm portentosa est hæc consequentia? Voetius ridet falsa, & fraudulenta Papanorum mira, ergo etiam contemnit vera Christi, & Apostolorum miracula. Quasi verò qui abusum insectatur, tollat usum. Secundum hanc regulam licebit mihi ita inferre. Fromondus odit vappam, vinum dilutum, & acidum, imprimis Landonium; Ergo contemnit & nihili facit vinum Cos. Vel ita: Iansenius contemnit, & inter res rejiculas collocat monetam plumbeam, aut aliam quamlibet adulterinam; Ergo pili non facit nummos aureos, & argenteos. Vos Logici pueri explodite Doctorem. Nihilominus tamen plaudit sibi homo in hoc sophismate, & studet adducere Voetium tanquam contradicentem sibi, quod dixerit alicubi, citatio enim Paginæ non convenit, *Miraculum esse motivum, ut homines ad ipsam veritatis causam, ex principiis suis penitus cognoscendam adducerentur.* Et ut quisque certò credat eum in eodem prædicamento cum Maniacis esse, addit hoc ἐπιφώνημα; πῶς τὰς φρένας ἐκπεπτώκασιν; *quando hæc scripsisti?* Respondere nolo, quia jam certò novi cum stulto mihi rem esse. Interea pergo analysin instituere in ejus μωρολογίαν. *Tertiò.* Volens nolens pag. 178. fateri compellitur, inter miracula esse multa suppofititia, & falsa. Quod nobis sufficit. Dicit dein de iisdem: *Quædam tamen omnium confessione sunt solius divinæ potestatis; ut mortuos excitare, cæcos à nativitate illuminare, futura contingentia certò prædicere,* &c. Miseret etenim me hominis, quomodo satisfaciet Inquisitoribus. Quæ miracula enumerat, ut ipse fatetur, sunt solius divinæ potestatis: qualia tamen præ cæteris edidit Christus & Apostoli. Quid ergo fiet tot simulacris miraculorum quæ ostentantur per totum Papatum? quid fiet candelæ Atrebatensi? quid exorcistis diabolos ejicientibus? quid Mariæ Aspericollensi, Sichemensi, Lauretanæ, &c.? Quid sanguini Boxellensi? quid S. Iacobo Compostellano Hispanorum Deo, & præsidi? Quid denique fiet omnibus illis miraculis, quæ quotidie dicuntur edi ad sepulchrum hujus, aut illius novi sancti, aut pseudo-martyris? Omnia illa incerta, ridicula, & suspecta sunt, secundum novam Fromondi Theologiam. Neque enim sunt ejusdem notæ cum miraculis Christi, & Apostolorum: neque certò constat sintne miracula pseudo-prophetarum an sanctorum divinâ potestate præditorum. Nemo enim audivit hoc seculo à mirabiliariis excitatos esse mortuos, sanatos esse cæcos, aut claudos, qui tales fuerant ab utero matris, &c. Nihilominus tamen certatim undiquaque jactantur miracula. Et nihil aliud proponitur idiotis, quàm hujus aut illius sancti, sepulchri, aut idoli miraculum. Bellarm. lib. 4. de Eccles. Milit. cap. 14. *Nunc*, inquit, *nostram Ecclesiam demonstrabimus esse veram Dei Ecclesiam ex miraculis, quæ singulis ætatibus plurima, & testatissima fuerunt, usque ad hoc nostrum seculum.* Bone Carnalis, unde constat tibi ea esse probæ notæ? neque enim sunt mortui excitati, aut cæci, aut claudi, &c. à nativitate usque, sanati. Si alicubi hoc fuerit factum locum indicasses? Nec solus Bellarminus adeo suffenus est; præter eum, multi alii. Costerus Apolog. part. 3. cap. 9. *Hæc est perpetua nota Ecclesiæ, nullum seculum, nulla ætas hominum miraculis caruit.* Possevinus quoque in lib. de

Notis verbis Dei pag. m. 31. *In Ecclesia Catholica semper fuerunt miracula.* Scio objicies mihi Fromonde patrem Xaverium, de quo narrat Bellarm. l. d. *quòd surdos, mutos, cæcos, curaverit, imo mortuum quoque ad vitam revocaverit.* Sed unde hoc constat? Bellarminus citat quidem literas ex Indiis datas. Verum ipsius Xaverii epistolæ extant ad varios ex Societate datæ, in quibus ne verbo quidem talium miraculorum facit mentionem. Quis verò, nisi extremè demens, credat eum hominem divinis miraculis claruisse, qui de semetipso testatur, quòd cum molestia magna addisceret linguam Iaponicam. Ita enim ipse fatetur lib. 3. ep. 5. ad Societatem Goam. *Si nos linguam calleremus Iaponicam, non dubito, quin plurimi fierent Christiani: faxit Deus, ut eam brevi addiscamus: tum demum aliquam Christianæ rei navabimus operam, nam nunc quidem inter eos, tanquam mutæ statuæ versamur: multa enim illi de nobis dicunt, & mussitant, ad quæ nos scilicet obmutescimus, patrii ipsorum sermonis ignari: in præsentia in linguæ hujus percipiendis elementis repuerascimus.* Quid proderunt tibi ergo, mi homo, Xaveriana portenta? Ego etenim vel tuo nomine vellem, ne tam loquax fuisses. Redit dein ad familiarem sibi circulum, & pene omnia quæ præcedenti capite nobis narravit, repetit pag. 178. & 179. Quid? an sequemur eum? Minimè. Non sumus ex natione cuculorum, neque κοκκύζειν in Scholis nos docuere præceptores.

II. Respondet dein ad Voetii replicam quam pag. 282. Iansenii exceptioni opposuit, dicentis Iohannem Baptist., Eliam, Esdram, quia ordinarii erant Reformatores, nulla edidisse miracula. Liberalem Iansenii concessionem ambabus ulnis amplexus est Voetius, quod putaret totam causam traditam esse ab eo. Dolet hoc Fromondi oculis, eòque redit ad vulgatam fabellam de extraordinaria Reformatorum vocatione, & quasi nemine reclamante, in superioribus capitibus eam evicisset, non erubescit dicere pag. 179. *nos verò, eos, aut nullam aut extraordinariam habuisse* vocationem *evidenter, aut cæcus sum, probavimus.* Quid homini huic faciemus: cui curando tres Anticyræ parum sunt? Dein, nam reliqua nullius momenti sunt, quædam de Iohanne Baptista friguttit. Quod Iansenius concessit, non adimit. Fatetur enim eum *ex sacerdotio Aaronico ordinariam habuisse vocationem.* Admittimus hoc, quia per omnia favet causæ nostræ: (quamvis certò credamus eum extraordinariam habuisse vocationem) & ita argumentamur; Si potest quis esse extraordinariò missus, & nulla tamen edere miracula: certum est ea nec requiri necessariò ad ordinariam vocationem reformandi. Sed admiremur hominis perspicaciam? cum Iansenio suo circa Ioannem Baptistam miracula invenit: *Sufficit*, inquit pag. 180. *circa ipsum à Deo ista* (miracula) *esse patrata ad significandam pueri istius excellentiam, & dignitatem,* &c. *Nec postea necesse fuit, super Iordanem ad singulas conciones nova patrare miracula,* &c. Resp. Nihil hoc facit ad probationem doctrinæ Iohannis, quod miraculosa ejus fuerit nativitas. Aut fateri debes, Fromonde, ad vocationem extraordinariam, vel ut tu vis ordinariam reformandi, non semper requiri miracula, aut Iohannem Baptistam (absit blasphemia) arripuisse munus, quod sigillis miraculorum confirmare non poterat. Quàm hoc absurdum est! *Nativitas Iohannis fuit miraculosa: Ergo, doctrinam quoque suam miraculis confirmavit.* Quasi vero universus populus Iudaicus, qui Ioannem prædicantem audiebat, miracula illa cognoverit: & ea quæ ante conceptionem illius acciderint, ei tribuenda sint. Miracula dicunt Sophistæ debere esse nota & clara. Sed quàm obscura fuere miracula, quæ illustrarunt conceptionem Baptistæ, & quàm pauci ea cognoverant? Iohannis cap. 10. v. 41. dicitur: *Multi veniebant ad Iesum, & dicebant, Iohannes quidem signum nullum edidit.* Ad quem locum non malè παραφράζει Maldonatus Iesuita: *Videtur*, inquit, *in hoc verbo duplex argumentum implicatum esse, alterum est, Iohannes nullum unquam miraculum fecit, & illi credimus: multò ergo magis huic credere debemus.* Item Toletus. *Hoc*, inquit, *quod Iohannes nullum signum fecerat, maximè Iudæos illos impellebat, ut ad Christum venirent: Iohannes enim cùm tantus erat, nullum fecit miraculum: hic autem multa, & magna edidit. Certè igitur hic major est Iohanne.* Quæ postea de Luthero, ex Erasmo

garrit

garrit frivola, & ne putri quidem pyro digna sunt. Falsum est, quod Lutherus se universalem Ecclesiæ reformatorem fuerit professus. Signum tantùm sustulit in Ecclesia VVittebergensi: quod Deo cooperante, excitavit vicinos Ecclesiæ antistites, & Doctores: qui errore detecto ex parte, & pro virili eum amplius cognoscere, & Antichristum manifestare, ac populo indicare studuere. *Secundò* nunquam etiam dixit Lutherus, se *Euangelium mille quingentis annis sepultum in lucem revocaturum esse. Tertiò* falsum est quod dicit Censor pag. 181. *Ioannem Baptistam non totam Synagogam, sed Pharisæos, & Sadducæos, & similis farinæ paucos quosdam, in nonnullis fidei articulis hæreticos erroris arguisse.* Expresse dicitur Math. 3. v. 5, 6. *Exivisse ad eum Hierosolyma, & tota Iudæa, totaque regio circumjacens Iordani, & baptizata ab eo fuisse in Iordane.* Præterea ipse Iohannes Baptista Ioh. 1. v. 23. applicat sibi illud Esaiæ cap. 48. vers. 3. *Ego sum vox clamantis in deserto,* &c. ex quo clarè liquet eum æquè, universalis reformationis fundamenta jecisse, ac Christus eam doctrinâ, & morte sua consummavit. Nisi velimus dicere Christum quoque non nisi ad ἀπίκτους aliquos arguendos, corrigendos, & salvandos venisse. Quòd non potest non sequi, si admittatur erronea Censoris exceptio.

CAPVT XXXV.

Lutheri vaticinia vindicantur à sarcasmis Fromondi. Papanorum miracula pleraque ridicula & mendacia sunt. Vindicantur Professores Leydenses. Ipsi Papani DD. fatentur ægrè agnosci posse diaboli miracula.

I. PEr aliquot præcedentia capita disputantem, aut verius σοφιζόμενον vidimus Censorem: facere non potuit quin tædium spinosæ disputationis fabellâ dilueret, & lectoris sui nauseam joco, & acroamate detergeret. Immiscet ergo XXXIII. caput, non quidem ad ostentandam eruditionem, sed oblectandum Lectorem: & ex narratione Lutheri prophetiarum & miraculorum, tantam sibi hominis elegantis & lepidi concitat opinionem, quantam antea inepti. Pag. 181. *Iacobus Verheiden,* inquit, *inter Lutheri elogia, binas ejus prophetias mundo nuper publicavit.* Næ clarè demonstrat, se de facie non nosse præstantissimos quosque scriptores, scilicet: Staphylum, Cochlæum, Thyræum, &c. Eos si ad manum habuisset, messem invenisset calumniarum, nec in Iacobum Verheiden agello necesse habuisset spicilegia quærere. Sed video: Vir bonus videri voluit, & solidus disputator. Studuit nos propriis armis convincere, & calculo Iacobi Verheiden deridendos propinare. Sed quæ tandem hæc prophetia, tam ridicula, tam insulsa? Scripsit inter alia Lutherus ad Schnepfium: *Post obitum meum ex istis nostris theologis pauci permanebunt constantes, & quod Turca, & Papa non faciet, à nostratibus expectabimus.* Hoc ita ridet pag. 181. *Sed non opus fuit Prophetico Spiritu, mi Verheiden, ut conjecturam suam in rem tam propinquam mitteret. Non enim res ista tam futura quàm præsens jam erat,* &c. Resp. 1. Prophetam se nunquam venditavit Lutherus, nec extraordinarium prophetandi, hoc est secundum Spiritum sanctum futura infallibiliter prædicendi, donum jactavit. Nec illud etiam Iacobus Verheiden dicit. Hoc tantummodo vult innuere, Lutherum ut virum catum, prudentem, & solertem ex non vanis indiciis quædam conjectasse, & prædixisse, quæ postea ita ferè accidere atque prædixerat. At quotusquisque mortalium non erit propheta, si in hoc consistat tota prophetiæ essentia? 2. Quod ridet Fromondus, ipsâ luce clarius, & veritate verius est. Post Lutheri excessum contendere inter se cæpere ejus discipuli: ad quos tantùm, non verò alios cum quibus jam ipse altercabatur, in præcedentibus verbis respexit. Post ejus obitum exortæ contentiones & vitilitigationes Flaccianæ, Osiandrianæ, Majoristicæ, Vbiquitariæ, & quæ non sunt? quæ tamen non magis destruunt gloriam Ecclesiarum nostrarum, quàm contentiones Dominicanorum cum Loyolitis, & Capucinis, aut Sorbonistarum cum Romanis curialibus, labefactant fundamenta Papanæ sectæ. Progreditur pag. ead. *Altera,* inquit, *Lutheri Prophetia Carolum V. Cæsarem, & Belgium nostrum tangit. Si Imp. noster Carolus, ait ad eundem Schepsium Lutherus, aliquid*

ſuneſti contra Euangelium tentaverit, certiſsimum eſt, amittet univerſum ſuum regnum in Belgio. Vbi Prophetæ commentator ; A quo, inquit, non ita aberravit. Attamen, mi homo, aberravit, & hactenus, Deo laus, falſus propheta fuit. O lepidum nugatorem ? Probare deberes aut ex Lutheri ſcriptis, aut ex vita ejus à I. Verheiden d ſc pta, illum prophetam voluiſſe haberi. Quàm multa, regum, ac principum, conſiliarii, aliique viri prudentes non præſagiunt de rebus futuris V. G. bello, fœdere, & pace. Quis tamen inde concludat eos velle prophetas haberi ? Scribit quidem bipedum mendaciſſimus Cochlæus, Lutherum habitum fuiſſe Germanicum Prophetam, & Heliam. Sed quis, niſi ſtudio partium planè fuerit excæcatus, hoc credat ? Deinde non prorſus hic etiam cæcutiit Lutheri ſagacitas : Vt omnes norunt, qui ex Belgis ſe homines eſſe ſciunt. Fromondum, Ianſenium ſimileſque ſtipites nihil moramur, eoſque jam diu contemnere didicimus. Nec pluris facimus ſuppoſititium, & fictum Alexandrum Patricium, Martis Gallici authorem, modò is non ſit ipſiſſimus Corn. Ianſenius. Mendaciorum, & calumniarum farraginem in ſacro illo libro, incauto Lectori proponit, & contra pleroſque hiſtoricos, millenoſque teſtes etiamnum vivos, ridiculum ſe mangonem, & abſurdum tyrannidis, & injuſtitiæ patronum eſſe arguit. Si quid verò, bone Cenſor, de Lutheri prophetia narrare voluiſſes, adire debuiſſes vitam ejus ſummâ fide à Melanthone deſcriptam. Ex ea didiciſſes, fervidiſſimum heroa ſecundum ſingularem prudentiã ſubinde quid ſuboleviſſe. Cum enim eſſent comitia Auguſtæ Vindelicorum, & iis intereſſet Carolus Imperator, Lutherus domi remanſit & in precibus aſſiduus fuit. Tandem verò ſubitò è cubiculo prorupit lætus, & clarâ voce aliquoties proclamavit; *Vicimus, Vicimus.* Cognitum verò eſt, eâdem horâ decretum exiiſſe à Cæſare, quo ſancitum eſt, ne quis propter doctrinæ Lutheranæ profeſſionem, damni aliquid pateretur. Si quam ergo ex Lutheri prophetiis vellicare voluiſſes, Fromonde, in hanc potius ungues acuere debuiſſes, ſed impetrare non potuiſti ab ignorantia & ſycophantia tua, ut hujus indicium faceres Catholicis tuis caudatis.

II. Sed libet animi gratia explodere hunc mimum, prolatiſque ridiculis, ac abſurdis aliquot miraculis ex Papanorum refertiſſima apotheca, Lectori, riſum, & lacrymas commovere. Ab antiquioribus autem incipiamus. Gregorius Magnus Dialogo 2. meminit vitreæ ampullæ per crucis ſignum fractæ, & alterius quæ ſaxis illiſa non tamen rumpebatur. Et Dialogo 3. apud eundem narratur de Ioanne Papa, quod profecturus ad Imperatorem, in itinere mutuo ſumpſerit nobilis cujuſdam equum, quo manſuetiſſimo & gradario uti ſolebat ejus uxor. Poſtquam verò equus conſcenſus eſt à Pontifice, cornua cæpit tollere, & amplius mulierem portare recuſavit : eoque ad Papam, tanquam ſolius illius ſanctitate dignus eſſet, remittitur. Magnum etenim prodigium, & verè papale! Narrat Ioannes in lib. de Sanctis Britannicis, In S. Aido : Eum aliquando miſertum fuiſſe octo famelicorum luporum iiſque octo bidentes didiſſe quos deinde oratione ſua ex ventribus luporum integros recepit. Idem narrat in vita S. Bernaci: Vaccam, poſtquam jam fures eam occidiſſent, in fruſta ſecuiſſent, & in lebetem impoſuiſſent, ad vocem ejus auditam, mugitum è lebete edidiſſe. Idem in vita S. Dunſtani refert, diabolum ab eo miſerè vapulaſſe, & ſanctum iſtum virum virgam in tergo diaboli fregiſſe, nec non naſo eum apprehendiſſe. Idem quoque refert Heliam monachum ab angelo fuiſſe caſtratum. S. Brendanum verò, omnes cujuſdam loci pulices interfeciſſe, & cum puer eſſet, in cymba quadam in paradiſum fuiſſe delatum. Bedæ coram lapidibus concionanti, lapides, ſi credendum eſt Durando in Rationali lib. 7. reſpondere; Amen, venerabilis Pater. Ita aliquando etiam S. Franciſcus concionatus eſt avibus ut refertur in lib. Conform. pag. 114. Aliàs etiam piſcibus concionatus eſt frater Antonius, ut refertur in dicto lib. Conformit. pag. 66. & ut quiſque cognoſcat magnum miraculum: Omnes piſces ad concionem audiendam caput è mari levarunt, & grandiores quidem in locis profundioribus, minores verò in vadoſis conſtitere. Finitâ verò concione omnes mirabilem harmoniam edidere. Quæ autem miracula ipſius Seraphici Franciſci, ſecun-

di Chri-

di Christi fuerint, videat quisque dicto libro, Pag. 149. refertur, quod capilli ejus impositi fissuræ parietis eundem renovaverint. Quòd clavi illius fugerit omnes tentationes. Quòd lusciniæ totum diem cum eo cecinerint. Quod cicada quædam octiduum cum eo in templo B. Mariæ hæserit, ad ejus nutum in caput volaverit, & non nisi impetratâ veniâ discesserit. pag. 147. tanquam insigne prodigium narratur, quòd ovem balare, & genua flectere ante altare B. Mariæ docuerit: quòdque aliquando asino (NB.) quem nemo retinere poterat, dixerit: *Subsiste, frater asine, & permitte me populo concionari*. Dictum factum verò. pœnitens asinus, præ verecundia, caput inter genua occultavit. Sexcenta ejus generis portenta ibi referuntur. lege quæso, Lector, ipse ea; specimen enim tibi tantùm exhibere cupio. Aliud autem longè admirandum adhuc ex Speculo Exempl. distinct. 8. exemplo 77. & Thoma Cantiprat. lib. 2. de Apib. cap. 29. de Thoma Cantuariensi accipe: ei cum tristis aliquando, & anxius in choro sederet, quòd femoralia haud satis commodè reficere posset, extemplo apparuit virgo Maria, & veste de manibus ejus acceptâ, eam convenientissimè reparavit. Qualia & quàm portentosa quoque mendacia de Dominico non narrant? Antoninus Archiep. part. 3. titulo 23. cap. 1. §. 3. totus in eo est, ut probet eum plura & majora miracula quàm Christum edidisse. *Resuscitavit*, inquit, *Dominus tres mortuos, tres Dominicus in urbe Romana, quid enim illos quadraginta peregrinos, qui in flumine magno juxta Tolosam navigio ferebantur, cum nave subversa sub aquis diu stetissent, factâ oratione à B. Dominico, ex aquis exierunt sospites, nisi vitæ redditos existimemus*, &c. Et dein ibid. *Christus immortalis effectus bis januis clausis ad discipulos intravit. Dominicus verò adhuc mortalis (quod mirabilius est) in Ecclesiam clausam noctu ingressus est, ne fratres excitaret.* Quis dissonis his portentis fidem adhibeat? Libri scribi possent, de talibus commentis. Quid enim aliud omnes legendæ sanctorum sunt, quàm ut Voetius ex Cano, Espencæo aliisque authoribus Papanis probavit pag. 286. rhapsodiæ fabularum, & nugarum? Exemplum unum, atque alterum tantùm volo subjicere miraculorum ad statuas, aut reliquias editorum. Dicitur imago quædam Crucifixi, ad quam vehementius orabat Neapoli Thomas Aquinas, ei dixisse: *Bene scripsisti de me Thoma; quam ergo mercedem accipies?* Quis verò de hoc miraculo dubitare ausit? *Religiosissimus, optimusque vir* (ita refertur in vita Thomæ præfixa tom. 1. op. ejus.) *Dominicus Casertanus, quum se de industria ibi abdidisset* (fortè enim prævidit testem quem requisitum iri ad probationem miraculi) *interfuit rei gestæ, juravitque ipsam retulisse: & nobilis illa effigies adhuc durat, certissimum rei monumentum.* In vita S. Hyacinti conscripta à Severino lib. 2. cap. 7. refertur; quòd ancilla quædam cujus vitula infortunio exspiraverat, ad Hyacinthi sepulchrum cucurrerit, eique supplicaverit, ut restitueretur sibi viva vitula: cùm autem domum rediens reperisset lanium excoriantem vitulam, tunc vitula, ô prodigium! cœpit movere excoriatum pedem, & elevato capite sana surrexit. Quis risu non rumpatur, si legat, aut audiat hos apologos? & tamen iis personant ubique pulpita. De iis conscripta sunt volumina. Adi quæso, Lector, quando te oblectare cupis, Cæsarium, Lipomanum, Thomam Cantipratanum, Surium, Canisium, &c. qui vitas, & miracula Sanctorum (quorum plerique sunt suppostitii) collegere. Et fastidies posthac Boccatii, Poggii, Rableesii, Bebelii, & Frislini, similiumque facetias, & nugas. Finio, in raro & inaudito miraculo, quod quamvis ex parte spurcum sit, referre tamen debeo, quia non spero Lectores meos jejunos fore. Occurrit autem in lib. Conformit. Francisci fol. 51. *Diabolus tentavit Ruffinum, dicens: Tu es damnatus, & ipse Franciscus est damnatus, & quicunque eum sequitur, decipitur. Quòd cùm Ruffinus Francisco dixit: respondit Franciscus, Si iterum apparuerit, & iterum aliquid dixerit, dicas ei, scilicet diabolo, Aperi os tuum, & ego stercorisabo in illud. Postea Ruffinus cùm oraret, iterum apparuit ei diabolus in specie Christi, dicens: Frater Ruffine, nonne dixi tibi, quod non crederes filio Petri Bernardonis? cur te affligis? Et statim frater Ruffinus sibi dixit, Aperi os tuum, & ego in ipsum stercorisabo. Tunc diabolus indignatus cum furia, & tempestate ab eo recessit.* O magnam stercoris vim! Ejus dotes, & laudes decanta

Fromonde, & S. Stercutio te commendabimus.

III. A Luthero omissis tot aliis heroibus in Voetium transilit. Is quia in Desp. Causa pag. 135. dixit: *Reformatorum nostrorum ministerium fuisse ordinarium, extraordinariam verò & stupendam tot myriadum conversionem*,&c. Pelves aliquot verborum in eum exonerat pag. 182. & 183. Summa huc redit, *Quod Lutherus, Zuinglius, alii* doctrinâ suâ fibulam *carni & voluptatibus laxaverint, quia docuere contra cælibatum, & vitam monasticam*. Resp. 1. Falsissima est hæc consequentia. Ea si admittatur, ipse Paulus (absit dicto blasphemia!) erit doctor ἀσωτίας, & carnis. 2. Fatetur ultro Fromondus, plerisque qui in monasteriis vivunt, displicere cælibatum, & dolere, quòd unquam se temerario voto obstrinxerint. Præterquam enim quod hoc ex ejus responsione necessariò sequatur, clarissimè etiam colligitur ex ipsius verbis. Pag. 183. dicit, egregiè prostituens sanctitatem cleri, *Maximè mirum est, in moribus tunc cænobiorum, & cleri, omniumque passim Christianorum tam resolutis, & ad majorem licentiam paratis, non effusiorem fuisse ad Lutherum, & deformatores vestros fugam?* Si hæc Cl. vir Theodorus Simon dixisset Lovanii, an non Iansenius in carcerem eum abripi curasset? Loveri, censor lippe, ubi tui oculi fuere, quòd hæc portenta probaveris? Nos ea educare volumus. Si cœnobia integra ad Lutherum ruere potuissent, & accesserunt etiam. Alterutrum sequitur. Aut in cœnobiis plurimi vivunt, qui agnoscunt se donum continentiæ non habere, & quos seriò pænitet stulti, & temerarii voti. Aut plurimi ex iis malè fundati sunt in principiis Papanæ superstitionis, & simul ac tantùm offertur occasio, parati sunt transire ad eos, qui Papanæ factioni se opponunt. Elige Dn. Doctor utrum velis. Nobis est perinde. Postea pag. 183. iterum bilem, & ignorantiam suam in Voetium exonerat, quòd dixerit in Desp. Causa p. 725. In Papana factione *multos esse laicos miserè seductos, & coactos, quos tamen magno numero, ut captivos Zion, ilicò claustris modò per nostros reseratis erumpere videas*. Addit dein: *Exempla habet Iansenius in civitatibus illis nuper in nostrorum potestatem redactis*. Ferre hoc nullâ ratione potest Doctor, eòque ita furit; *Non ignoras, opinor, quàm falsum sit, & Sylvæ-ducis, & Mosæ-Trajecti paucissimos fuisse, qui ante Catholici, ad vos defecerint*. Velles hoc quidem, bone vir, sed contra vota tua res succedunt. Plures, Deo gratias, quotidie per verbum lucrifiunt, quàm tibi, aut Iansenio volupe est. Si dubites excurrito aut Trajectum, aut Sylvam-Ducis. Nec mirum est? Quicunque ex Sylvæ-ducensibus ramentam adhuc judicii habent, vident facilè in quam abyssum desperationis tu, & Iansenius tuus Papanam factionem conjeceritis. Norunt quoque Trajectenses quàm infeliciter cum Cl. Mareesio congressus fuerit quidam ex vestris Lectoribus Theologiæ, qui tamen ante conflictum Hercules quis Sophistarum, & inexpugnabilis larva habebatur. Si tibi ulla eruditionis, & loquentiæ conscientia, Fromonde, causam ab eo turpissimâ fugâ, & silentio desertam, suscipito. Vivit etiamnum Mareesius, qui te ex asino, brevissimo tempore equum faciet, & imposito fræno garrulæ linguæ, inequitabit ignorantiæ tuæ. Iactat dein multa adhuc alia, sed ea omnia responsione indigna sunt. Illud prætereundum non videtur, quod dicit pag. 183. *Itaque vobis de illa discipulorum multitudine gloriantibus, dicimus quod olim S. Hieronymus Ioviniano*. Et dein integrum locum adscribit. Resp. 1. Falsissimum est, aut Voetium, aut quem alium ex nostris DD. in amplitudine Ecclesiæ, & multitudine discipulorum gloriari. Quia ipsi Papani inter notas factionis suæ amplitudinem referunt, compelluntur nostri Theologi volentes nolentes, ex superabundanti delineare pomæria Reformatarum Ecclesiarum, quæ laus Deo, longe latius patent, quàm vellet filius perditionis. 2. Vide Doctor quomodo in gratiam redeas cum DD. tuis, qui in Reformatis Ecclesiis paucitatem, & obscuritatem insectantur. Quę dein de incontinentia primorum Reformatorum, & eorum doctrina ad eam viam muniente pag. 184. mentitur, ea abundè ante detecta, & refutata sunt.

IV. Iterum in Disputatores, ut vocat, Leidenses pag. 184. debacchatur. Scribunt illi sic in Synopsi Disp. 42. thesi 46. *Multi*, inquiunt, *Pseudo-prophetæ miracula edituri dicuntur: in quorum numero, ne veri Prophetæ nostri seculi à*

cæco populo collocarentur, Deus eos alijs potius donis adversus hostes suæ veritatis, quàm dono miraculorum armare voluit. Invictæ enim fortitudinis suæ constantiâ Ecclesias ab Antichristi tyrannide, ac veritatem doctrinæ Euangelicæ ab illius erroribus asseruerunt, innumerasque oves ab Antichristi emissariis seductas ad Christi ovile aggregarunt. Hæc ita arrodit Fromondus pag. cit. post fanaticam exclamationem: *Quasi verò,* inquit, *non omnes hæretici, Athei, & perditissimi mortalium jactare nequeant, parem aut obstinationem in malis, & sceleribus suis fortitudinis imaginem,* &c. Resp. 1. Nullos ex atheis dabit Doctor, qui ob causam Christi martyrium sufferre velint, ut multi ex nostris in Gallia, Anglia, Belgio, &c. 2. Domini Professores non nudam constantiam, aut fortitudinem, sed pro doctrina Apostolorum, & veritate Christi, intelligunt. Si dederit aliquos Fromondus ex perditissimis mortalium qui pro simili causa, simili constantiâ fuere præditi, statuam idem esse virtutem, & vitium. 3. Præsupponit perpetuò ut certissimum, quod tamen æternùm non probabitur, sceleribus, & vitiis fuisse obsitos primos Reformatores. 4. Idem facit accensendo primos Reformatores perditissimis quibusque, ac si Apostolos, & Prophetas, quorum doctrinam constantissimè & ad sanguinem usque defenderunt, accenseret furibus, & latronibus, quorum multi constantissimè sæpe tormenta perferunt, metu patibuli. Pergit ineptire pag. 185. *Miracula,* inquit, *vera postulamus, qualia Christus & Apostoli patrando, ne in numero Pseudo-prophetarum à cæco populo collocarentur, veriti non sunt. Multa quippe verorum, & falsorum miraculorum discrimina, & satis evidentia discernula sunt.* Resp. 1. Dic tu nobis, magne Doctor, & eris nobis Lovaniensis Pythagoras, quæ sint infallibilia κριτήρια & notæ, quæ falsa & fallacia miracula à veris, & genuinis distinguunt. Putabam eorum discrimen esse obscurissimum. Dicit Servator noster Math. 24. vers. 24 *Surgent enim pseudo-Christi, & Pseudo-prophetæ, & edent signa magna & miracula, ut seducant (si fieri possit) etiam electos.* quibus si ea addantur quæ Voetius collegit in Desp. Causa pag. 288. clarum evadet, difficillimè posse miracula pseudo-prophetarum à divinis & veris distingui, quòd ipse diabolus se transformare possit in angelum lucis 2 Cor. 11. vers. 14. Quod & ipsi Papani DD. fateri coguntur; docentes à pseudo-prophetis etiam vera miracula edi posse; aut saltem veris simillima, quos tamen ipse sequi nolim. Acosta Loyolita lib. de tempore Novissimo c. 19 *Tempore Antichristi difficile erit discernere vera signa à falsis; ubi multa & magna erunt veris simillima.* Perer. Comment. in Daniel. lib. 4. *Duo sunt miraculorum genera; quædam hujusmodi, ut non nisi per omnipotentiam Dei fiant, hujusmodi non faciet Antichristus: Alia quæ fieri possint potentiâ naturalium causarum, operante Dæmone, hominibus ignota: quæ modo invisibili adhibebuntur, & quasi miracula existimabuntur: hæc signa vera sunt, sicut illa Magorum vera fuisse arbitratur Augustinus, nihilominus mendacia, quia qui faciet, se ea facere miraculosè virtute divinâ falsò prophetabitur.* Item Toletus Comm. in cap. 3. Iohannis annot. 2. dicit *Dæmones multa posse facere supra humanas vires, quæ miracula videantur, & aliquando sint.* Eandem etiam sententiam multis probat Maldonat. Comm. in cap. 7. Math. vers. 22. nec non Iansen. in Concord. Euangel. cap. 123. Sed hæc omnia pili non facies, ut scio, Fromonde, nova enim tua Theologia æque pugnat cum Theologia doctiorum ex Iesuitis, ac cum nostra. Age ergo sequenti vice indica nobis hæc *evidentia discernula;* & te plus quam Fromondum, ac quendam sophum esse credemus. 2. Demus facilè discerni posse mendacia & diabolica mendacia à divinis. Stat tamen thesis Cl. Professorum. Sufficit miracula etiam edi posse à falsis prophetis: nec ea arguere sanctitatem, & integritatem doctrinæ.

CAPVT XXXVI.

Ridiculè & absurdè probat Fromondus Ecclesiis nostris non competere successionem doctrinæ. Ipsi Papani DD. fatentur successionem non esse propriam Ecclesiæ notam.

I. HActenus Dn. Doctor secundum stupendam suam sapientiam & loquentiam exercuit Voetium, & me, circa dogma de vocatione

primorum Reformatorum: nec ut ipse judicat, tantùm exercuit, sed etiam insigniter delassavit, imo prope evertit. Quis enim ita maccus est, ut cum Fromondo non statuat, eum templum aut ædes funditus subruere qui audet loco suo movere aut tegulam in tecto, aut tessellam in pavimento? Dextro Mercurio dein progreditur, parique felicitate mollicello suo cerebro incurrit in cornuta Voetii argumenta pro successione Ecclesiæ, & doctrinæ nostræ adducta. *Primò* pag. 186. asserere aggreditur Iansenium suum. Qui ita vaticinatus est in Spongia cap. 54. *Dicimus successionem personarum esse notam veræ Ecclesiæ subjecto suo latiùs patentem: ex quâ invictè concludimus negativè, sicut ab omni genere ad speciem, Vos caretis successione, ergo & verâ Ecclesiâ.* Hunc Achillem cornuti Iansenii, exarmavit undecim responsionibus Voetius in Desp. Caus. pag. 411. & seqq. ex quibus secundam tantùm allambit Censor. Quia Resp. 2. dixit Voetius: *Omnis demonstratio debet esse ex οἰκείοις & propriis principiis: atqui successio localis & personalis Iansenii est commune quid, quod Ecclesiæ malignantium, cathedræ pestilentiæ, regno diaboli convenit.* Sic ipse cornicatur pag. 186. præmissis ante familiaris sibi maniæ cincinnis. *An à magis communi per negationem distributo non licet invictâ consequentiâ ad minus commune procedere,*&c. *Non enim colligit affirmativè Iansenius ex sola successione personali, Ecclesiam Rom. esse veram Christi Ecclesiam,&c. sed negativè,*&c. Resp. Petit principium Censor. Quod est in quæstione præsupponit, perquàm pueriliter, esse probatum. Si evicerit successionem esse genus Ecclesiæ, procedet Iansenii argumentum. Sed est tantùm accidens commune. Quare si valeat hæc responsio, valebit etiam hæc consequentia: *Æthiops non est albus, ergo non est homo. Quidam equus non est niger, Ergo non est equus.* Nolo verò repetere, quæ fusè probata, & illustrata sunt à Voetio. Vide sis, Lector, ipse ea loco laudato. Pergit. *Vera*, inquit, *Ecclesia sursum per secula præterita redeundo, debet aliquem fidelium cœtum, aliquos sacrorum Antistites ostendere, per quos tanquam canales, fides & doctrina Apostolica ad nos usque defluxerit.* Resp. 1. Coccysmus est. Negavit hoc Voetius Iansenio, iterum ego tibi nego Fromonde. Vel ex uno Scripturæ, aut Patris loco oraculum hoc tuum confirma, & credemus non esse cuculum. 2. Aliquos sacrorum antistites, per quos ab Apostolis usque ad Lutherum defluxit fides & doctrina nostra ostendimus jam olim, & in Desp. Caus. post omnes accuratissimè ostendit Voetius. 3. Ne ipse quidem Iansenius aut Fromondus vel in uno ex octo articulis à Voetio propositis successionem ostendere audet. Garrit dein adhuc alia quædam de constantia & perpetuitate veræ Ecclesiæ pag. 186. & 187. sed quis ea negat? Probetur factionem Romanam, prout se patefecit & detexit in conciliabulo Tridentino, esse veram Ecclesiam & totum dabimus. Sed quando hoc fiet? Interea instar furis alicujus metu patibuli, de honestate, & justitia nescio quæ non Censor noster deblaterat. At quid hæc ad rem? pag. 187. dicit: *Successio personarum excipientium doctrinam à prioribus, & trajicientium in posteros, non est signum infallibile Ecclesiæ Christi, sed negatio successionis est infallibilis nota Synagogæ Antichristi.* Subtiliter. Ergo falsissimè sic infertur: *In Romana Ecclesia est successio, Ergo ea est vera Ecclesia:* Stultique sunt Iesuitæ, quando inter notas Ecclesiæ suæ Successionem collocant. Sed quæso dic mihi, Fromonde, per quam regulam Logices à successione negativè tantùm, non etiam affirmativè argumentari licet. Successio aut est accidens commune, aut proprium. Si proprium est, & affirmativè, & negativè ab eâ progredi licet. At hoc negas. Si verò commune est jam 1. Non est proprietas Ecclesiæ. 2. Non potest esse nota Ecclesiæ. 3. Ab ea ne quidem negativè licet progredi. Aliàs hoc etiam sequetur: *Quidam paries non est albus, Ergo non est paries.* Sed quis adeo vesanus est ut ita argumentetur? Mirare verò, Lector, vertiginem Papanorum Sophistarum. Non solus Fromondus ita ineptè & pueriliter de successione est philosophatus, sed alii quoque longè eo doctiores. Et quòd miretur quis ipse Bellarminus. Dicit enim lib. 4. de Eccl. Milit. cap. 8. *Notandum est, hoc argumentum, à legitima successione ductum, non necessariò probare, ibi esse Ecclesiam, ubi est successio: Sed præcipuè ad probandum, ibi non esse Ecclesiam, ubi non*

est

est successio. Quis puer unquam æque ridiculè est philosophatus?

II. Et his quidem strophis evertit undecim Voetii responsiones Fromondus. Quid præstiterit, ipse, humanissime Lector, judica. Dein tanto scilicet successu factus audacior, aggredi audet unum ex Voetii argumentis. In Desp. Caus. pag. 596. pro successione Ecclesiæ nostræ ita ille argumentatur: *Vera & genuina Christi Ecclesia fuit, & debuit esse successivè à temporibus Apostolorum, ante & usque ad tempora Lutheri. Sed nostra Protestantium Ecclesia, jam dicta Reformata est vera, Ergo.* Quia sophista noster verebatur minorem propositionem (quæ sola dubia est) aggredi: ne ad Controversias de Doctrina traheretur, argumento argumentum opponit. Et ita pag. 188. argutatur: *Vera Christi Ecclesia fuit successivè à temporibus Apostolorum, usque ad tempora Lutheri. Sed Ecclesia Protestantium sive Reformata Sacramentariorum non fuit successivè à temporibus Apostolorum usque ad tempora Lutheri. Ergo Ecclesia Protestantium, sive Reformata Sacramentariorum non est vera Christi Ecclesia.* Resp. 1. Certissimum indicium desperatissimæ causæ. Quæ logica docet ita solvenda esse opposita argumenta. Vah quàm turpe est tantum Doctorem non audere directè ad syllogismum respondere. Idem vero hoc argumentum oppositum, cum sequenti est. Si quis argumentaretur; *Quicunque est homo, debet esse ortus successive ab Adamo, Atqui Sempronius est homo, Ergo.* Et ego hunc syllogismum opponerem: *Quicunque est homo debet successive esse ortus ab Adamo. Atqui Sempronius non est successivè ortus ab Adamo, Ergo.* Quàm certum enim est Sempronium esse hominem, tam certum est nostram Ecclesiam esse veram Ecclesiam, quia ut probavit Voetius pag. 596. (quod tamen subdolè dissimulat Fromondus:) Ei conveniunt omnes notæ, & proprietates veræ Ecclesiæ. 2. Non licet ex lege consequentiæ ita progredi, quemadmodum procedit Censor. Vt enim antè vidimus, ipse fatetur: successionem non esse proprietatem, aut notam necessariam Ecclesiæ. 3. Si valet hoc argumentum, ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis, contra nos valebit etiam Voetii argumentum contra Papanam successionem, quia oppositum est ex diametro huic. 4. Procedit inverso modo Fromondus, more Sophistarum. Quia enim Ecclesia est vera, ideo etiam ei annexa est perpetua successio. Non verò reciprocè, quia perpetua successio ei est annexa, ideo est vera. Aliàs hoc argumentum esset verum: Quicunque non habet dentes ille non est homo: Hic non habet, &c. Quod tamen nemo sanus, etiam ἄμυσος dabit. 5. Minorem, quamvis non foret necesse, ex superabundanti tamen probamus. Neque Voetius aut quisquam nostrum, ut cornicatur ridiculus Censor pag. 188. & seq. assumit illud quod est in quæstione. Non dicimus tantùm nostram Ecclesiam esse veram. Sed etiam probamus. Et probavit quoque Voetius, hoc syllogismo. *Quæcunque Ecclesia conservat veritatem & illibata Christi præcepta, illa est vera: Atqui hoc nostra facit. Ergo.* Aggredere aliquando, Fromonde hunc aheneum murum. Defendemus eum cum bono Deo. Sed non eris, opinor, tam vesanus, ut velis Θεομαχεῖν. Quæ dein affert ex Tertulliano lib. de Præscript. Hæret. cap. 32. pro successione, ex qua ex superabundanti & secundum hominem nonnunquam Patres Ecclesiam probare solent, ea indigna responsione sunt. Nec opus multis illis inhærere post accuratam Voetii responsionem. Quem vide, Lector, in Desp. Causa lib. 3. sect. 1. cap. 3. pag. 423.

CAPVT XXXVII.

In Conciliis legitimis primas obtinet Scriptura. Fromondus Concilium Papæ præfert. Ecclesia Apostolica non est similis arbori primo vere turgidæ. Papismus non fuit implicitè notus tribus primis seculis. Papana templa & altaria non habuerunt aut noverunt primitivæ Ecclesiæ. Nullus ex antiquis martyribus supplicium sustinuit pro uno etiam dogmate Papano.

I. Capite trigesimo quinto, quòd jam ordine à nobis examinandum est, promittit in lemmate Censor se examinaturum esse Voetii argumenta, quibus solidissimè probat Papismum non fuisse in rerum natura sex pri-

mis ſeculis. Putabam primò ſeverum Ariſtarchum examinaturum etiam eſſe octo articulos, in quibus ſucceſſionem, & Catholiciſmum oſtendi ſibi cupit Voetius. Sed dum ipſum textum lego, video plus in rubro, quàm in albo eſſe: Et bonum Doctorem more ſolito, Lectori fumos vendere. *Primò:* Invadit Voetii argumentum, quod tale eſſe fingit pag. 190. *Eccleſia primorum* 300. *annorum non eſt profeſſa Papiſmum, ergo quoad fidei, & Chriſtianiſmi eſſentiam tota fuit noſtra.* Reſp. Mera hæc eſt Chimæra, quam ipſe in cerebro ſuo fingit, & comminiſcitur. Non tam ſtultus eſt, per Dei gratiam, Voetius ut ita argumentetur. Audi quæſo Lector, ejus argumenta, & judica de mala fide Fromondi. In Deſp. Cauſa pag. 602. ita argumentatur: *Eccleſia quæ neque tota, neque cujus aliqua pars maxima, major, minima, ne familia quidem, imo cujus ne unus domeſticus ſive Doctor, ſive Confeſſor, ſive Martyr Papiſmum profeſſus eſt, illa non eſt profeſſa Papiſmum. Sed Eccleſia Catholica ſive orbis, ſive Imperii Romani, quæ extitit tribus prioribus ſeculis, neque tota, neque ex parte, &c. Papiſmum profeſſa eſt. Ergo.* Dein pag. ſeq. ſive 603. Poſtquam ordine laudaſſet omnes DD. qui vixere tribus primis ſeculis. Ita tandem loquitur: *Sequitur & Eccleſiam illam, quòd ad fidei, & Chriſtianiſmi eſſentiam, totam fuiſſe noſtram, non Papiſticam. Putavit enim eâdem fide articulis Chriſtianiſmi comprehensâ ſalvari ſe, quâ nos,* &c. Vides opinor, Lector, verſutiam, & malitiam Fromondi. Duo Voetii argumenta conflavit, ut eô ſecurius garrire ac ineptire poſſet. Sponte autem jam evaneſcunt omnes ejus argutæ, & ſtultæ ineptiæ. *Secundò* infringere ſtudet pag. 191. Voetii aſſertionem, qui ex variis ἀγράφοις traditionibus, quibus Doctrinam Apoſtolicam & primorum Patrum gravavit Papana factio, pag. 602. apodictico argumento probat Papiſmum non fuiſſe in rerum natura tribus primis ſeculis. Arrige, quæſo mentem Lector, hic enim demum ſubtilem ſe præbet Doctor. 1. Ita è ſuo caputio, & tubulo profatur pag. 191. *Vt omnia in ventos ſparſiſſe te intelligas, dic tu nobis, an in quatuor primis conciliis generalibus, quorum decreta vos recipere dicitis, &c. nihil ſtatutum, & ſtabilitum ſit, quod antea inter aliquos trecentorum annorum Patres in ambiguo fuerat, an nihil explicatiùs definitum, quàm in ſacra Scriptura expreſſum erat?* Reſp. Bullatæ nugæ ſunt. In primis quatuor Oecumenicis Conciliis nihil ſtatutum aut decretum eſt ab Orthodoxis Patribus contra Scripturam, aut præter Scripturæ mentem: neque etiam Scripturæ aliud affictum eſt, quàm ab eâ, & in ea clarè proponebatur. Omnia ex Scriptura, per Scripturam, & ſecundum Scripturam explicata ſunt: nec quiſquam auſus fuit, ſuas gloſſas, ſomnia, & deliria, ut hodie Papani, ei aſſuere. Scriptura judex, Scriptura interpres, & omnia fuit. Exularunt inde Traditiones, & humanæ doctrinæ. Si mihi non credas, Fromonde, crede ipſis Patribus. Conſtantinus Imp. Patres Concilii Nicæni, apud Theod. lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 7. ita alloquitur; *Euangelici & Apoſtolici libri, nec non antiqua Prophetarum oracula perſpicuè vos inſtruunt de iis, quæ de Deo ſentire oportet. Proinde omni hoſtili poſitâ diſcordiâ ſumamus ex dictis divini Spiritus, explicationes quæſtionum.* Imo tantùm abeſt, ut Patres decreta Conciliorum Scripturæ præjudicare voluerint, nunquam non proteſtantur, & clamant, Scripturam Conciliis etiam univerſalibus præferendam eſſe. Auguſt. l. 3. contra Maxim. Arrian. cap. 14. in notiſſimo illo loco. *Sed nunc,* inquit, *nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe tanquam præjudicaturus proferre Concilium. Nec ego hujus authoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum authoritatibus, non quorumcunque propriis, ſed utriſque communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione concertet.* Vides, Fromonde, quàm vanæ, & pueriles tuæ minæ ſint? Oſtende in quatuor Oecumenicis Conciliis aut Traditiones, aut Papæ authoritatem quicquam valuiſſe, & fundamentum tuis nugis jacies. Dicit dein: *Quis uſus nuperæ Synodi veſtræ Dordracenæ quaſi-generalis, ſi reformati Gomariſtæ adverſus Cadmæos ſuos fratres, Arminianos, nihil reformatius ſtatuere, nihil diſertius explicare poſſint, quàm Biblia eorum Reformata primâ fronte oſtentant?* Reſp. Nec cælum, nec terram hæc tangunt. Oſtende quicquam contra Scripturam in Synodo Nationali Dordracena fuiſſe decretum, ſi propriis telis nos lædere velis? Non ibi Papa, non ἄγραφος traditio, ſed

Scriptura,

Scriptura, eaque sola dominata est: illa interpres, illa judex controversiarum fuit. Si probare possis omnia tam legitimè, & solemniter in Conciliabulo Tridentino fuisse gesta, ac ibi, concedemus illud fuisse legitimum. Pergit: *Et nonne*, inquit, *Apostoli ipsi & seniores convenerunt videre de verbo hoc, & magnâ conquisitione factâ, tandem decreverunt, nihil ultra imponere oneris quàm hæc necessaria. Vt abstinerent ab immolatis simulachrorum, à sanguine, & suffocato, & fornicatione.* En lepidum Sophistam! quàm libenter nobis persuaderet Conciliabulum Tridentinum, quia fuit postremum, esse perfectissimum interpretem, & judicem controversiarum? Eo enim fine hæc omnia præmittit. Sed quæ quæso consequentia est ab Apostolica Synodo, ad conciliabulum Antichristi? Quæ communio Christi cum diabolo? 1. Apostoli non soli, sed cum iis etiam seniores de controversiis, innuente ipso Fromondo, judicarunt. In conventiculo autem Tridentino soli mitrati Episcopi, devoti illi & jurati Papæ clientes, ignari sæpe ipsius status controversiæ, judicis partes sustinuerunt. 2. In Apostolico Concilio omnia accuratè examinata & excussa sunt. Contra quoties non præcipitatæ sunt in Tridentino Conciliabulo sententiæ, & circumventi dissentientes. 3. In Hierosolymitano Concilio præsidebat Spiritus Sanctus, in Tridentino verò Spiritus Papæ. 4. Apostoli & Seniores in consilium advocarunt Scripturas Propheticas, quas neglexere Patres Tridentini, ab initio Traditiones suas æquiparantes verbo Scripto: hoc enim nimis apertè errores arguebat. 5. Simul ac decretum esset factum in Concilio Hierosolymitano, ratum fuit. Tridentinum autem Conciliabulum nullam habuit vim ante approbationem Papæ, cui sophistæ potestatem faciunt abrogandi, & corrigendi decreta conciliorum per omnia alias legitima & orthodoxa. Quàm hæc dissimilia sunt? non tamen veretur noster Doctor Concilium Apostolicum adducere, ut authoritatem conciliet Conventiculo Tridentino. At tempus est, ut audiamus consectaria, quæ ex præmissis his elicit: Pag. 192. dicit: *Si igitur fatemur, quod nobiscum debetis, multa sequentibus Ecclesiæ temporibus ad trium primorum seculorum mores & disciplinam accessisse, plurima Conciliis generalibus, & Provincialibus magis enucleata, quæ antea sub sacræ Scripturæ cortice, mortuis jam præsertim Apostolis, eorum interpretibus delitescebant*, &c. Abyssus errorum, & ineptiarum. Resp. 1. Apertè se hæreticum esse prodit Fromondus: præterito enim Domino Deo Papa conciliis, etiam provincialibus potestatem facit interpretandi Scripturas, & ex cortice earum novos doctrinæ flores eliciendi. At quid dicit Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 17. *Pontifex est absolutè supra Concilium generale, & nullum in terris supra se judicium agnoscit: contraria sententia non est toleranda.* Item Greg. de Valent. lib. 8. Analys. cap. 7. *Qui dicunt Concilium esse supra Papam, pugnant illi revera cum primatu Pontificis Romani.* Addit Staplet. de Princ. Doctr. Controv. 3. quæst. 7. *Ius confirmandi, aut infirmandi Concilia tam Oecumenica, quàm Particularia est penes Pontificem Romanum.* 2. Falsissimum est ea dogmata, quæ inter nos & Papanos sunt controversa, quæque nos ut doctrinas hæreticorum, & errantium hominum execramur tantùm respicere mores, & disciplinam. Nullus præter Fromondum unquam, ita ineptiit, ut hoc dicere ausus fuerit. Si hoc probare possit, *de cultu imaginum, adoratione Sanctorum, Meritis bonorum operum, Traditionibus, Transubstantiatione, Incertitudine salutis, purgatorio, indulgentiis, Sacrificio Missæ, statu perfectionis*, &c. eum sophistarum Dictatorem salutabo. 3. Falsum est ut postea dicit, & hic præsupponit, Ecclesiam Apostolicam & primorum 300. annorum fuisse similem *arbori primo vere turgidæ, & parturienti.* Si hoc ita est, sequetur necessariò Ecclesiam Apostolicam non tantùm fuisse imperfectam, & sine fructibus, sed etiam errasse graviter Paulum quando præcipiebat Timotheo, 1 Timoth. 6. vers. 20. *ut servaret depositum, & aversaretur profanos de rebus inanibus clamores, & oppositiones falsò nominatæ scientiæ.* Secundum Fromondum debuisset potiùs eum monere ut instar gallinæ incubaret deposito sibi commisso, ut paulatim novos fœtus ex eo educere posset. 4. Si Scriptura instar corticis est, certissimâ consequentiâ sequitur nihil usque ad conciliabulum Tridentinum solidè à quoquam fuisse probatum. Nam,

ut

ut libenter nobis per ambages persuaderet *μωρόσοφον* hoc caput, ad illud usque corticibus, circumvoluta fuit Scriptura, & velut parturiit. 5. Si stet hoc delirium, major, præstantior, & dignior erit præsens Ecclesia, quàm fuit Apostolica: hæc enim ornata, pexa & compta est: Et quantum arbor comata, & florida præstat turgidæ, tantum præstabit quoque præsens Ecclesia Romana Apostolicæ. Quis unquam adeo blasphemus est inventus, ut hoc etiam cogitare fuerit ausus. Longè sane verecundius Gerson de vita Spirit. lect. 2. corol. 7. *Major est*, inquit, *Ecclesiæ priscæ authoritas, quoad prædicta, quàm nunc est: non est enim in potestate Papæ, aut Concilii mutare Traditiones ab Euangelistis datas, ut quidam delirant.* Item Durand. lib. 3. Sent. Distinct. 24. qu. 1. *Qui negat hoc quod dictum est de approbatione Scripturarum per Ecclesiam, intelligi solùm de tempore Ecclesiæ primitivæ, hæreticus est censendus, cujuscunque sit status, aut conditionis.* Pergit delirare, pag. 194. *Simillimo prorsus modo*, inquit, *fidei fundamentalis articuli, iidem prorsus jam & olim primis 300. Ecclesiæ annis fuerunt; nisi quòd aliqua implicitè tantùm à prioribus crederentur, quæ explicitè & in propria forma, ut Dialectici loquuntur, adhuc in lite erant, & disputabantur: sed quæ postea adversus ebullientes Arrianos, &c. ac novissimè Hussitas, Lutheranos, Calvinistas, per Concilia generalia, aut Provincialia ab Ecclesia universali recepta, sic disertè explicata sunt, ut nefas sit amplius dubitare.* Hic totum panditur mysterium. Conciliabulum Tridentinum, quia postremum est, perfectissimus erit statuendus Scripturarum interpres. Quot non in præcedentibus verbis occurrunt mendacia, & absurda? 1. Si iidem fuere fundamentales articuli primis 300. annis, qui hodiè, doceatur ex consensu antiquitatis receptum tum fuisse, vel unum ex illis octo articulis, quos Voetius Iansenio proposuit. 2. Si tum tantum implicitè erant noti articuli illi, ut vult hic Fromondus, cur inani labore se excruciant, & macerant DD. ut eos ex Scriptura, & Patribus ejus seculi probent. 3. Si tantum implicitè fuere noti, sequitur necessariò eos esse novos, explicitè saltem. Atqui hoc nobis sufficit. 4. Sequitur, tantùm hoc in quæstione esse, an fuerint implicitè noti illi similesque articuli. Quod non autem fuerint probo hoc argumento: *Qui articuli pugnant ex diametro cum doctrina, & principiis Theologiæ Apostolorum, & Patrum primorum 300. annorum, illi non fuere illis implicitè noti. Atqui octo illi articuli à Voetio propositi* (alios, plus quàm triginta, studio omitto) *pugnant ex diametro cum doctrina, & principiis Theologiæ Apostolorum & Patrum primorum 300. annorum.* Ergo. Necesse est ut Minorem neget Fromondus. Quod nobis sufficit. Ita enim erit occasio disputandi de ipsa doctrina. 5. Si implicitè tantum illos articulos novere Apostoli & Patres, sequitur ex doctrina, & praxi Papali, & Conciliabuli Tridentini, eos eorumque libros anathemate esse feriendos. Omnia enim Papana decreta anathemate sanciuntur. Illa autem non implicita, sed explicita sunt. 6. Æquè nos possumus dici implicitè recipere articulos mere Papales, ac Apostoli, & Patres primitivæ Ecclesiæ. Illi quibusdam contradixere, ut coguntur doctissimi quique in Papatu fateri, quosdam non novere, in quibusdam veritatem erroribus defecatam tenuere. Atqui hoc nos etiam facimus. Quid ergo reliquum est, nisi ut Fromondus nos implicitè etiam Papanos esse statuat. Dicit dein p. 195. *Et abhinc quoque vanescit tua, tuorumque toties jactata calumnia, Quòd Papa & Ecclesia Romana novos fidei articulos cudant. Hoc enim verum est, si tu novam monetam cudas, quando ex crumena tua aureum unum, antea ibi clausum, & latentem in lucem profers.* Resp. 1. Si non cudat novos articulos Papa, cur tribuunt Gnatones ei jus dispensandi contra jus divinum. Johannes Sylva tract. de Benef. part. 3. q. 8. *Licet jus divinum disponat, quòd in ore duorum, vel trium testium, stet omne verbum, tamen Papa statuit contra illud.* Sic in jure Canon. Decret. l. 1. tit. 7. can. Proposuit in gloss. habetur de eodem: *Nam contra Apostolum dispensat, contra Canones Apostoli, contra vetus Testamentum, in decimis non dandis. Item in voto, item in juramento.* 2. Si probare possis, Fromonde, ea quæ determinantur à Papa, contra Scripturam, similia esse nummo occultato in crumena, repente tuus ero. Rimare, scrutare, evolve Scripturam, & Patres. 3. Nummus qui in marsupio

est

est, jam est signatus, & habet formam, nec implicitè amplius, & potentiâ ut aliqua massa argenti, aut auri, est nummus: sed explicitè. Atqui modò dicebas implicitè duntaxat Papales articulos in Scripturis & Patribus inveniri, quomodo hæc consentiunt? 4. Manifestissimum est Papam, ut alios jam omittam, saltem cudisse octo illos articulos, quos proposuit Voetius. Quia non tantum adversantur Scripturis, & Patribus pæne omnibus, sed etiam confessione multorum DD. antiquitus neque Apostolicæ Ecclesiæ, aut illi, quæ eam proximè insecuta est, noti fuere. 5. Quod hic dicit, eâdem paginâ negat. Ita enim ait: *Si igitur per Papismum intelligere tibi placet, &c. farraginem illam posteriorum legum Ecclesiæ Romanæ una cum articulis illis de primatu Rom. sedis, de Transsubstantiatione, Indulgentiis, &c. disertius quàm antè per Concilia posteriora explicatis, nemo sanus contendat, talem Papismum olim, imò ante nuperam Tridentinam Synodum in mundo fuisse; cùm vel unica nova lex, cumulo præcedentium addita, aut detracta, numerum variet, & mutet congeriem. Sed eâdem subtilitate dices, mare Batavicum non esse idem hodie, quod heri fuit, si vel unicâ guttâ recentis aquæ in ipsum depluente tantillum incrementum rapuerit.* Quid apertius, & magis ad mentem nostram dici posset? Præcepit Deus, & docuere Apostoli nihil addendum esse verbo divino. Si ergo vel unicam guttulam fluvio illi affunderet Pontifex, jure sacrilegus haberetur. Satis autem mirari non possum altam, & profundam hominis hujus oblivionem & stupiditatem, qui unâ eademque paginâ tam apertè sibi contradicit: & quod paulò ante statuit, paucis lineis post evertit. Dein sigillatim quædam de Transsubstantiatione dicit, ex re enim est eam incolumem esse. *Fuit ergo*, inquit pag. 195. *tribus illis primis seculis Transsubstantiatio, sed sicut ante Arrium ὁμοουσία, &c. id est, res ipsa, non nomen; quod postea solum ad rem enucleatiùs explicandam inventum fuit.* Resp. 1. Ostende, Dn. Doctor, vel unum apicem in Scriptura aut Patribus primorum 300. annorum pro hoc monstro, & tibi credemus. 2 Egregia fenestra aperitur Socinianis. Illi contendunt doctrinam περὶ ὁμοουσίας non fuisse notam ante Concilium Nicænum. Quod & Fromondus calculo suo probat. 3. Si res & substantia Transsubstantiationis Apostolis, & qui proximè eos insecuti sunt, Patribus fuit nota, cur doctissimi quique fateri coguntur eam à sola Ecclesia definitam, item Patres obscuriùs & simpliciùs de ea locutos esse? Si enim rem habuere, non potuere non rem nosse, & ita loqui ne in hæresin inciderent: ut enim Bellarminus docet lib. 3. de Euchar. cap. 8. *Transsubstantiationem negare, grandis est hæresis.* Cajetan. in 3. part. Thomæ quæst. 75. art. 1. *Cùm verba*, inquit, *sacræ Scripturæ exponantur dupliciter, vel propriè, vel metaphoricè: primus error circa hoc fuit, interpretantium hæc Domini verba [Hoc est corpus meum] metaphoricè, quem Magister Sententiar. lib. 4. dist. 10. tractat: qui & in hoc articulo reprobatur. Et consistit vis reprobationis in hoc, quòd verba Domini intellecta sunt ab Ecclesia propriè. Dico autem ab Ecclesia: quoniam non apparet ex Euangelio coactivum aliquod ad intelligendum hæc verba propriè.* Et Gregor. de Valent. lib. 1. de Præs. Christi in Euchar. cap. 10. loquens de Transsubstantiatione: *Patres*, inquit, *de hac quæstione obscuriùs loquuti sunt, atque simplicius, quia putabant se non nisi Catholicè à Catholicis posse intelligi, & ne mysterium irridendum infidelibus exponerent, si in sermonibus popularibus sententiam suam explicassent.* Quàm ridiculè hoc dictum? Ergo Patres veritatem detinuere in injustitia. Absit autem hoc vel cogitare. 4. Apertè & ex diametro Patres monstrosæ Transsubstantiationi contradicunt. Vt ex omnibus ferè ostendit Cl. & Nobilissimus Dn. de Plessis lib. 4. de Sacrif. Missæ cap. 4. Scivit hoc etiam Scotus, ita enim dicit in 4. Sent. dist. 11. q. 3. *In primitiva Ecclesiâ de substantia fidei erat corpus Christi sub speciebus contineri, tamen non erat de fide, substantiam panis in corpus Christi converti.*

II. Et ita quidem Catholicismum Papatus sui prostituit Fromondus. Immiscet autem logis suis nugas quasdam de templis & altaribus, quas quamvis tutò præterire possemus, attingere tamen debemus, ne inter pueros clamitet, nos non fuisse ausos. De templis dicit Voetius in Desp. Causa pag. 611. agens de quarto, quinto, & sexto Ecclesiæ seculo: *Templa*

erant, ſed non papalia, nec quoad formam externam, nec quoad internam ſeu finem, &c. His ita obſtrepit Fromondus p. 192. *Quaſi verò forma externa templorum, aut conſecratio qualis in Pontificali præſcribitur, Notæ Muſicorum, aut ſtrepitus Organorum, &c. magis eſſentiam religionis faciant, quàm cucullus, aut cappa Monachorum.* Omnia quæ de templis dici poſſent, in medium adferre nolo. Videantur Hoſpinianus, Chamierus, D. Rivetus, nec non Cl. Vedelius in Exercit. ad 2. Epiſtol. Ignatii cap. 4. Ingens diſtantia intercedit inter templa primitivæ Eccleſiæ, & hodierna in Papatu. 1. Papani extruunt templa hodie in honorem Angelorum, Sanctorum & Martyrum, quod olim grande nefas, & piaculum habebatur. Auguſt. contra Maxim. Arrian. lib. 1. tit. 11. *Nonne*, inquit, *ſi templum alicui ſancto Angelo excellentiſſimo de lignis & lapidibus faceremus, anathematizaremur à veritate Chriſti, & ab Eccleſia Dei, quoniam creaturæ exhiberemus eam ſervitutem, quæ uni tantùm debetur Deo?* Idem de vera Religione cap. 55. *Quare honoramus eos* [Martyres] *charitate, non ſervitute, nec iis templa conſtruimus.* 2. In Papatu templa dedicantur à ſolis Epiſcopis, nec aliis illud jus eſt conceſſum, putant enim miſeri, ut Thomas dicit part. 3. qu. 83. art. 3. ea *ex ſpirituali conſecratione adipiſci quandam ſpiritualem virtutem.* Ignorarunt autem omnes antiqui Patres hos ritus. Si quando apud eos dedicationis fit mentio (cujus tamen nullibi extat veſtigium ante ſeculum tertium) accipiendum hoc eſt, de dedicatione quæ peragebatur oratione, & precibus. Alieniſſimi enim erant à Gentiliſmo, à quo pleraque hæc κειμήλια commodato ſunt accepta, ut ingenuè fatetur Baron. tom. 1. Ann. ad annum 44. ſect. 88. 3. Papani templa ſua, quàm ſumptuoſiſſimè ornant. Contra deteſtati fuere Patres otioſum illum, & ſupervacuum ornatum. Chryſoſtomus, aut quiſquis eſt author operis imperfecti in Math. hom. 45. *Non gaudent Martyres, quando ex illis pecuniis honorantur, pro quibus pauperes plorant.* Et poſt. *Vis domum Dei ædificare, da fidelibus pauperibus unde vivant, & ædificaſti rationabilem domum Deo.* Hieron. ad Nepotian. cap. 12. *Multi ædificant parietes, & columnas Eccleſiæ ſubſtruunt, auro ſplendent laquearia, gemmis altare diſtinguitur, & miniſtrorum Chriſti nulla electio eſt. Neque verò mihi aliquis opponat dives in Iudæa templum, menſam, lucernas, thuribula, patellas, ſcyphos, mortariola, & cætera ex auro fabrefacta. Tunc hæc probabantur à Domino, quando Sacerdotes hoſtias immolabant, & ſanguis pecudum erat redemptio peccatorum &c. Nunc verò cùm paupertatem domus ſuæ, pauper Dominus dedicarit: cogitemus crucem ejus, & divitias lutum putabimus.* 4. Encæniorum, quibus quotannis colitur memoria primæ miſſæ alicujus fani, aut ſacelli, altum ubique apud Patres eſt ſilentium. Ea autem idololatriam, & Paganiſmum redolent. 5. Pontificiorum templa imaginibus, & idolis ſunt referta, quibus tamen caruêre Eccleſiæ antiquæ. Concil. Elibertinum cap. 36. *Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne id quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur.* Vides Fromonde, non in paucis tantùm ritibus dedicationes Templorum primitivæ Eccleſiæ, à veſtris diſcrepare, ſed in uſu ipſo, fine, & forma. Niſi fortè idololatriam, & ritus idololatricos quodlibeticos, eſſe putes, & haud magis variare religionem, quàm cucullus eſſentiam Monachi. De Altaribus dein pag. 193. friguttit quædam. Dicit Voetius loco laudato, de primis ſex ſeculis: *Altaria erant, ſed non ad abolitionem panis, & vini, & oblationem Chriſti ſuper iis, ſub ſpeciebus panis, & vini, in propitiationem.* Hæc ita explodit ſublimis Doctor: *Dic in qua natione & ævo altaria non ſint erecta ad ſacrificium? Si ergo altaria tunc erant, ſacrificium in iis peractum fuiſſe oportet.* Itane tu cenſes mi Profeſſor? Sed ſecundum quam regulam Logicæ procedit hoc argumentum: *Patres mentionem faciunt altarium, ergo in altaribus miſſificabant.* Idem eſt ac ſi dicam: *Athenis erat Academia, Ergo etiam erat Rector Magnificus.* Quia hodie ita uſu venire ſolet, ut ubicunque eſt Academia, etiam Rector ſit. Fateor, nec diffitetur quoque Voetius, apud Patres frequenter mentionem fieri Altarium: ſed ubique Altare aut myſticam habet ſignificationem, aut ſumitur pro Menſa, ad quam diſtribuebatur Cæna Dominica. Vt fuſè probavit Cl. Pleſſæus lib. 2. de Euchariſt. cap. 1. Cl. Molinæus ad Epiſtolam Nyſſeni, & denique

Cl. Ve-

Cl. Vedelius in Exerc. ad 6. Epiſtol. Ignatii cap. 1. Et quamvis circa quartum ſeculum paſſim cæperint erigi, non tamen ſunt erecta ad Sacrificium, ſed ad honorem, & in memoriam Martyrum. Vt liquet ex 5. Concil. Carthag. c. 14. Non valet ergo conſequentia Fromondi ab Altaribus ad miſſam. Multo minus hæc, quam nectit pag. 194. *Non magis eſſe poſſunt veri ſacerdotes ſine proprio ſacrificio, quàm Profeſſor Vltrajectinus ſine Profeſſione.* Omnes ergo Chriſtiani verè fideles quotquot ſunt, offerre & ſacrificare debebunt verum, ac reale ſacrificium vocantur enim Sacerdotes 1 Petr. 2. verſ. 5. Apoc. 1. verſ. 6. Sed longè ſaniùs, & verecundiùs de hoc Sacerdotio, & Sacerdotibus ſenſere antiqui Patres. Cyprian. Serm. de Chriſmate: *Participes*, inquit, *Chriſti quotquot ſunt, conſortes ſunt tam unctionis, quàm nominis, & dicuntur à Chriſto Chriſtiani, ut ſint ſui, Chriſto duce, rectores & duces, & offerant Deo quotidianum ſacrificium, ordinati à Deo ſanctimoniæ ſacerdotes.* Origenes ſeu Cyrillus hom. 9. in Levitic. *Omnes ſancto unguento delibuti Sacerdotes facti ſunt. An ignoras tibi quoque, id eſt, omni Eccleſiæ Dei, & credentium populo Sacerdotium datum? Audi quomodo Petrus dicit de fidelibus: Genus, inquit, electum, regale ſacerdotium*, &c. Macarius hom. 17. *Veri Chriſtiani unguntur in corde, & ſecundum hominem Spiritualem, oleo Spirituali, & cæleſti quo ſanctificantur, & lætificantur, & regni incorruptibilis ſignum accipiunt.*

III. Dixit Voetius pag. 607. in Deſp. Cauſa *nullum martyrem, aut Confeſſorem apud quem probatum ſcriptorem poſſe inveniri, qui Papiſmum tenuerit, & dogmatizarit juxta verum Chriſtianiſmum.* Ferre hoc non poteſt Fromondus, eòque ita ineptit pag. 196. *Tibi enim*, inquit, *non unum, ut poſtulas, ſed omnes univerſos ſex primorum Eccleſiæ ſeculorum Patres Martyres partim, & confeſſores proferemus, qui eoſdem nobiſcum fidei articulos, & totam Papiſmi eſſentiam, juxta verum Apoſtolorum Chriſtianiſmum profeſſi ſunt, licet diſcrepaverint in accidentibus quibuſdam poſtea natis.* Reſp. 1. Oppidò fallitur bonus Doctor. Quia Religio hodiernæ Eccleſiæ Romanæ, in cujus ſinu cubat Papiſmus, in ſe quid adhuc de Chriſtianiſmo continet ideo cenſet quicquid in illo invenitur, etiam ad hunc pertinere. In corpore ulceribus obſito & gangrænâ laborante fortè particulæ & membra quædam adhuc ſana ſunt, nemo tamen, niſi Fromondus forte, dicet, gangrænam, & ulcera pertinere ad naturam corporis, & eſſe de eſſentia illius. Martyres in primitiva Eccleſia paſſi ſunt, quòd nollent colere idola, ſacrificare aut ſimile quid facere: nec non quòd colerent unum Deum per Chriſtum. Sed quis inde concludat, propterea etiam eos ſupplicio fuiſſe affectos, quod non crederent Tranſſubſtantiationem, Purgatorium, merita bonorum operum, Indulgentias, adorationem imaginum, ſupremam monarchiam Papæ, in ſpiritualibus & temporalibus, ablationem calicis, &c. 2. Si, Fromonde, vel unum dare poſſis, qui ob jam dicta dogmata merè Antichriſtiana ſponte ſua conſtanter mortem pertulerit, aut mori paratus fuerit, totum dabimus. Evolve omnes hiſtorias, & martyrologia: evolve per viginti annos, & nullum tamen invenies. Decii apud Romanos, ut eſt in hiſtoriis pro ſalute Romanæ libertatis ſe devovere. Sed quis non riſiſſet C. Cæſarem, ſi inter triumphi ſui fercula, eos pro imperio & Dictatura ſua ſe devoventes, oſtentaſſet? Papa per tyrannidem occupavit Eccleſiarum jura: omnes intolerabili traditionum jugo oneravit, & tamen teſtes, & vindices ſuorum ſcelerum jactare audet Martyres, qui neque eum, neque ejus dogmata agnovere, aut profeſſi ſunt. 3. Oſtendit inſigniter ignorantiam ſuam Fromondus, accidentia doctrinæ vocans, ea Papæ dogmata, quæ anathemate ſancivit conciliabulum Tridentinum, & per quæ Papiſmus vivit ac ſpirat. Si tantum accidentia ſunt, citra diſpendium ſalutis quoque ignorari poſſunt. Sed quis hoc ex Papanis DD. de Tranſſubſtantiatione, Sacrificio Miſſę, Indulgentiis, Purgatorio, Papæ ſuprema & infallibili poteſtate, &c. concedat? Panigarola lect. 12. part. 2. dicit: *Si purgatorium non eſt, neque Deus eſt.* Negare quoque Tranſſubſtantionem ut ſupra ex Bellarmino oſtendimus *Grandis eſt hæreſis, & à multis Pontificibus publicè damnata.* Vide autem mi homo, ut in tempore diſtinctiunculâ quâ cruda tua verba condias, ne aliquando tedæ vicem præſtes.

CAPVT XXXVIII.

Per calumniam Fromondus nos hæresium insimulat. Patres sæpe præcipites & nimis vehementes fuere. Injuriâ accensemur Simoni Mago, Eunomianis, Marcionitis, Manichæis, Ioviniano, & Aërianis.

I. ACcessimus ad quintam essentiam totius Criseos, caput XXXVI. eo rem maximam scilicet præstat Censor. Probat quippe nos esse hæreticos, quia quædam dogmata defendimus, quæ antiqui Patres inter hæreses retulere. Quis non obstupescat ad titulum etiam hujus Philippicæ? Sed nos qui integra conscientia, recto pede, & aperto pectore per viridantia prata sacrarum literarum ambulamus, metuere non possumus. Haud magis hæretici sumus, quàm Christus cum suis Apostolis. Eum enim fidei nostræ ducem, & consummatorem habemus. Hebr. 12. At quorsum proloquio utimur? Palmarium Fromondi argumentum excutiamus. Pag. 198. ita argumentatur. *Apostoli & SS. Patres sex primorum seculorum non fuerunt in Ecclesia illa, quæ pertinaciter sequebatur errores, quos ipsi oppugnabant, & tanquam hæreticos detestabantur: Igitur in vestra Ecclesia non fuerunt.* Admiranda consequentia, gemina prorsus huic. *Dominicani oppugnant hodie Iesuitas & Academiæ Lovaniensis Theologos, utrosque autem si non hæreticos saltem quasi hæreticos, detestantur.* Conclude inde, *Ergo non sunt in eadem non illis Ecclesia.* 1. Patres præ calore & fervore disputationis, multos ut hæreticos sunt insectati, qui tamen in eadem cum illis erant Ecclesia, & per omnia orthodoxi Quam vehemens non fuit Hieronymus in Origenem, & qua inclementia non invectus fuit in Ruffinum qui libros ejus ab hæreticis vitiatos esse, probare nitebatur? In Apolog. quoque contra Ruffinum, non obscurè ipsum Ambrosium, ut qui multùm discreparet ab Origenis erroribus, traducit. Imo Ep. ad Minerium & Alexand. scribere audet *Omnes pene ejus libros Origenis sermonibus plenos esse.* Quis propterea tamen Ambrosium & Origenem in Ecclesia fuisse neget? Adhoc, teste Hieronymo in vita Clementis: *Veteres epistolam Clementis reprobarunt*; Quis tamen inde contendat Clementem hæresibus favisse? Quàm non sinistrè Patres de se invicem judicant? quid non de Papia & Irenæo censet Eusebius? de Eustathio Ecclesiæ Sebastiæ in Armenia præfecto Sozomenus? Quis tamen inde concludat quod Fromondus? Quàm acriter quoque iidem inter se non contendêre? Quis ita hospes est in eorum lectione, qui ignorat Hieronymum cum Augustino vehementissimè rixatum fuisse usque ad exprobrationes hæresium de cessatione legalium, lapsu Petri, & reprehensione Pauli in Petrum? Hieronymus & Gregorius volunt Salomonem esse damnatum, contrà Augustinus & Ambrosius servatum esse clamant. Quâ acrimoniâ etiam non contendit Epiphanius cum Augustino de quartæ & prosabbathi jejunio. Cyprianus & Aphricani Episcopi, cum Romanis Episcopis de rebaptizandis ab hæreticis baptizatis, nec non Ecclesiæ Orientales cum Occidentalibus de Paschate? Quis tamen in his omnibus humanam infirmitatem non deplorat, alienumque à ratione & equitate esse putat hodie aliquem anathematis illis gravare, quibus inter contendendum modò dicti Patres, & Ecclesiæ, olim se invicem ferierunt? 2. Nihil est deferendum Patribus, privatâ authoritate quem inter hæreticos censentibus. Homines fuere, qui non tantùm cadere potuere, sed etiam graviter cecidere, ut & ipsi quoque fatentur. Ignat. Epist. ad Trall. *Licet hæc cognoscam*, inquit, loquitur autem de cælestibus, & angelicis ordinibus, *non jam omnino perfectus sum, aut discipulus qualis Petrus, aut Paulus. multa mihi desunt.* August. ep. 112. *Nolo autoritatem meam sequaris, ut ideo putes aliquid necesse esse credere, quoniam à me dicitur.* Item ep. 119. *Tantum*, inquit, *absum ab eo quod putasti me nihil latere, ut nihil in epistola tua legerim tristius, quia & apertissimè falsum est · & miror quod hoc te latet, quod non solùm in aliis innumerabilibus rebus multa me latent sed etiam in ipsis sanctis Scripturis multo nesciam plura, quàm sciam.* Idem de se fatetur Basilius ep. 77. & Hieronymus ep. ad Heliodor. nec non Irenæus lib. 4. cap. 43. Quis igitur tantùm Patribus deferat, ut illos velit pro hæreticis habere, qui ab iis hæresios

hæresios insimulati sunt. 3. Ipsi Papani ut supra vidimus omnes pene Patres arguunt, & reprehendunt, nullâque conscientiâ, eorum calculo nos hæresium peragere possunt, nisi eos, quos ipsi errasse clamant, simul etiam infallibiliter à Spiritu sancto in omnem veritatem ductos esse somnient. 4. Retorquemus hoc enthymema: Si factio Papistica non potest esse in Ecclesia eorum, qui errarunt, & quos ipsa erroris insimulat, non potest quoque esse in Ecclesia Patrum. Plerosque enim eorum, aut hæresium, aut gravissimorum errorum insimulat.

II. Poteramus hic subsistere, & ad sequens caput progredi; quæ enim dein affert Fromondus, faciunt solummodo ad probandam minorem propositionem præcedentis syllogismi. Eversâ autem majoris consequentia quid opus est disquirere de minori? Progredimur tamen: ut eo manifestius lectori appareat quantus ipse calumniator, ac nugator sit. *Primò*, Probare laborat pag. 198. 199. & 200. nos esse asseclas Simonis Magi, Valentinianos, & Eunomianos, de quibus Patres, Augustinus, Irenæus, & Tertullianus testantur, quòd fuerint hostes bonorum operum, & docuerint ea non esse necessaria fidelibus. Quæ verò calumnia est, si hæc non est? Quoties ab ea nos non purgavimus? & tamen audire non cupiunt surdæ illæ Papanæ aspides. Vtinam verò Deus hoc nunquam iis imputet! Nosne sumus hostes bonorum operum, qui quotidie in concionibus ad ravim usque ea urgemus, & tot editis libris eorum necessitatē probare, & persuadere laboramus? Si tu, Fromonde, vel unum ex omnibus nostris Theologis ostendere possis, qui suaserit fidelibus carnalem securitatem, & docuerit nihil referre quacunque etiam ratione justificatus vitam suam instituat, eum Simone Mago deteriorem esse statuam; Ecclesiam verò, quæ tale monstrum tolerat, plus quàm hæreticam. Quicquid ergo de Simone Mago, Valentinianis, & Eunomio blaterat Doctor, nihil ad nos pertinet, neque nos ferit. Quid quod ipsi Papani DD. à Simonianorum, & Eunomianorum secta nos vindicent. Bellarm. lib. 1. de Iustif. cap. 12. *Protestantes*, inquit, *dicunt oportere nos justificari tantùm per gratiam Dei in Iesu Christo, quam per fidem tantùm apprehendimus.* Simon verò ut ex Irenæo pag. 199. fatetur Fromondus, nec non Bellarminus quoque lib. 4. de Notis Eccles. cap. 9. docebat hominem salvari secundum suam, hoc est, Simonis Magi gratiam. At quàm longè hæc distant? Cum Eunomio nihil etiam commercii nobis intercedit, ut ingenuè fatetur Tolet. Iesuita Comm. in 13. cap. Iohannis: *Affirmavit*, inquit, *Eunomius fidem sufficere ad salutem, quamvis mala opera adessent; Protestantes dicunt quidem fidem ad salutem sufficere, negant tamen fidem illam sine operibus esse posse. Secundò* pag. 200. & 201. inter Marcionitas, & Manichæos heroas nostros Lutherum, Zuinglium & Calvinum censet, quasi cum iis liberum arbitrium negarent. Verum calumnia est similis præcedenti. 1. Falsum est aut Calvinum aut Lutherum, aut etiam Zuinglium, liberum arbitrium naturale tollere; simul enim deberent voluntatem animæ eripere: quæ non potest esse voluntas, nisi etiam libera sit. Si ostendere possis vel unum locum, Fromonde, ex eorum scriptis, eos non tantùm infra hæreticos, sed homines quoque collocabo. 2. Magna inter nostros DD. & Manichæos intercedit differentia, fatentibus ipsis Papanis Theologis. Maldonat. Loyolita Comment. in 7. cap. Math. *Manichæi*, inquit, *arbitrium in utramque partem liberum tollunt, Calvinistæ liberum tantùm in bonum, non in malum.* Item Vega paulò adhuc candidior priore lib. 2. de Imbecill. Naturæ cap. 12. dicit: *Concedunt quidem Protestantes libertatem ad justitiam philosophicam, atque civilem, sed non ad spiritualem, atque divinam, hoc est, quoad opera legis externa, non interna.* 3. Non magis rei sumus Manichaismi, quam multi ex doctissimis Papanis Theologis, fatente ipso Bellarmino lib. 4. de lib. arbitr. cap. 10. *Adversus*, inquit, *Protestantes, & quosdam etiam Catholicos liberum arbitrium defendemus.*

III. *Tertiò* Ioviniano, in quem supra modum debacchatus fuit Hieronymus accensemur, à serenissimo Fromondo pag. 201. quia docemus virginitatem, & cælibatum non esse majoris meriti quàm legitimas nuptias. Ridiculum, quàm multa de Ioviniano & impuritate scilicet nostrorum Theologorum, exprom-

ptuario calumniarum, & mendaciorum converrat? Lege, quæso ea Lector, & te oblecta. Sed an nulla rima est, per quam possimus effugere? aut saltem expellere Iovinianum? Non quærimus latebras, aut angulos: bene nobis conscii sumus. Quàm ab odio, & præconcepta opinione sæpe abreptus fuerit Hieronymus, cuivis jam constare credo, ex iis, quæ in vestibuló hujus capitis diximus. Qui non pepercit Origeni, Tertulliano, Ambrosio, Ruffino, & Augustino, quomodo ille immodestiæ suæ habenas non laxaret, contra Iovinianum? Tumebat presbyter, aliàs devotus, sensu & opinione cælibatus: & quia summa cum difficultate, inter severissimas afflictiones carnem vixdum domare poterat, existimabat aliquantulum gloriæ præ conjugatis sibi deberi. Percipere hoc non poterat Iovinianus, ideo tam acriter, & vehementer eum excepit Hieronymus. At quæ hæc consequentia: Iovinianus Hieronymi calculo, est hęreticus. Ergo non solùm ille, sed & omnes qui eum sequuntur pro hæreticis sunt habendi ab Orthodoxis. Eadem consequentiâ contra Ruffinum Ambrosium, & Augustinum utaris licet: quia nec iis pepercit ἰδιογνώμων Hieronymus. Hieronymi vehementiam in insectando Ioviniano multi etiam ex Papanis DD. improbant, ut supra vidimus. Iniquissimum verò ex alienis vitiis invidiam conflare Orthodoxis. De cælibatu & virginitate idem statuimus, & docemus quod Paulus 1 Cor. 7. & tamen ut hæretici, calculo Hieronymi traducimur, quòd à divina veritate recedere nolimus. Quàm hoc injustum! Ferimus verò libenter. Vtinam Deus in illustri illo die non imputet adversariis verbi sui! *Quartò* Ioviniano & Aërio simul nos accenset pag. 203. tum quòd discrimen ciborum non doceamus, tum etiam, quòd quadragesimam non observemus. Ingenuè fatemur neutrum à nobis observari, aut doceri, sed propterea non sumus hæretici. Si erramus, errat nobiscum ipse Deus: cujus verbo & voluntati humiliter obsequimur. Quod ad Iovinianismum, ab eo nos absolvit ipse Bellarminus lib. 2. de bon. operib. cap. 11. *Iovinianus*, inquit, *dicebat nihil prodesse ad salutem jejunia. Calvinus, Brentius, & alii Protestantes docent quidem Iejunium utile esse ad carnis petulantiam coërcendam, ad orationis auxilium, ad signum humilitatis, & pœnitentiæ.* Sed non observamus stata jejunia? & nominatim nullam rationem quadragesimæ? Quid tum? negligimus tantùm humanam traditionem, aut ut de ea dicit Irenæus apud Euseb. lib. 5. cap. 26. συνήθειαν καθ' ἁπλότητα καὶ ἰδιοτισμόν. Christus, nec Apostoli ejus ullas jejunii leges, aut tempora indixêre, quid peccamus tantopere, si nolimus esse servi hominũ, & superstitionum laqueis liberas cervices nostras constringere? Quod verò nullum statum Iejunii tempus Christus discipulis suis præscripserit, fateri cogitur ipse Toletus, ita enim Comment. in Luc. 5. Annot. 70. loquitur: *Advertendum est olim in veteri Ecclesia Iudæorum, frequentissimum fuisse usum jejunandi, ut ex tota Scriptura constat, nullum tamen tempus jejunii indictum illis fuit, sed jejunia aut sponte in pœnitentiam peccatorum, aut in carnis mortificationem, aut maximè in temporibus angustiæ, & tribulationis, aut aliis de causis à majoribus Iudæorum injungebantur. Nec Christus suo tempore discipulis suis jejunia indixerat.* *Quintò* iterum Aërianis nos accenset pag. 205. quia pro mortuis orare nolumus. Grande etenim piaculum. Ostendatur unus apex in sacra Scriptura pro superstitiosa hac invocatione, & errare nos fatebimur: *Quisque onus suum portabit* Gal. 6. vers. 5. *Et quod quisquis bonum, aut malum in corpore suo fecit, hoc referet.* 2 Cor. 5. vers. 10. dicit S. Paulus. Quid nos moramur si homines occæcati superstitiosis deliriis secus docere, & facere præsumpserint? Scimus certò nos non errare, quia pro nobis militat sacræ Scripturæ authoritas. Nec ideo lædimur, quod idem senserit Aërius, homo Arrianus, ut ait Epiph. hæres. 75. Olitor etiam aliquando oportuna loquitur, & consulit: non mirum si in articulo aliquo orthodoxus etiam sit hæreticus. Dabimus, quanquam non sit necesse, hæresin esse non supplicare pro mortuis, si nobis ostendi possit ullum ex antiquis Conciliis Oecumenicis, in quo hoc anathemate notatum sit, aut in quo decretum sit; *Supplicandum esse pro mortuis.* Aërium inter hæreticos referunt Epiphanius, & qui eum secutus est, Augustinus. Quid tum vero? Nec Theodoretus in lib. de fabulis Iudæorum, nec

Historia Ecclesiastica eum inter eos collocat. Iniquissimum est quem ad arbitrium duorum DD. hæresios crimine gravare. Occasione autem Aërianorum in Calvinum invehitur, quod exploserit deliria Monicæ, Augustini matris, quæ volebat sui mentionem fieri ad altare: latratibus, & sarcasmis solidas Calvini rationes obruere quidem studet, sed dum totus in eo est obliviscitur sui. Ejus verba per duas paginas distracta, non examino, nihil enim ponderis, nihil rationis in iis conspicio, ut nec in omnibus vellicationibus illis, quibus ea quæ à Voetio solidè probata sunt, labefactare studet pag. 207. lege quæso Lector ipse, si tanti ea putes, & excludo oculum, si non juraturus sis, te nunquam ineptiorem nugatorem vidisse. Et hæ sunt abominandæ illæ hæreses, scilicet, quibus Religionem nostram gravidam esse somniat Fromondus. Quæ quales, & quantæ illæ sint, Lector, judica ipse. Quia verò ipse diffidebat numero quinario, ut exiguo, nos ablegat ad 59. caput Spongiæ Iansen. pag. 208. in quo totum hoc caput conscribillavit, ut ex eo, scilicet, alias & plures hæreses injuriâ summâ nobis exprobrari discamus. Iansenii calumnias examinabimus infra, nolumus enim Fromondi sordes, Ianseniano stercore fœdare. Possem autem jam paria facere, & Augiæ stabulum in Papanam sectam exonerare. Non ea tantùm hæretica, aut hæresium fautrix est, sed sentina, in quam omnes sordes, omnes hæreses, superstitiones, & errores, se exonerant: ut prolixè ostendere possem. At nolo rem actam agere. Videantur VVitakerus, Chamierus, Cl. Rivetus, aliique. Fusissimè illi hoc probarunt. Vide sis eos, quisquis abominationes Papatus nosse cupis. Præter eos etiam consule Viretum in lib. de Sacram. & authorem anonymum Turco-Papismi. ille Gentilismi, hic Turcismi ream non egit, sed peregit Romanam Synagogam.

CAPVT XXXIX.

Papismus non fuit notus seculo septimo, octavo & nono. Probatur contrà nota fuisse iis nostra doctrina. Vindicantur, & deteguntur plurimæ Fromondi ineptiæ, & calumniæ. Quales Gothescalcus, Ioannes Erigena, & Bertramus fuerint.

I. SVpererat superiori capite ampla adhuc messis. Ad Indulgentiarum, Purgatorii, Missæ, &c. abominanda sacra diverti potuissem, invitante tam procaciter, & insulsè Fromondo. Nolui tamen. Non quòd metuam camarinam illam movere (nihil enim lubentius facio!) sed quòd anhelantem, & jam diu ohe clamantem Lectorem diutius morari nolim. Progredior ergo ad examen capitis XXXVII. in quo post solitam jactantiam, insolentiam, & rabiem magno cum apparatu septimum, octavum, & nonum seculum lustrat Doctor noster. Quæ pag. 209 & 210. ex præcedenti capite de hæresibus ad obscurandum Voetii argumentum propositum in Desp. Causa pag. 614. adfert, studio omitto. Semet illa evertunt. Accedimus ergo ad seculum septimum. Notare autem velim Lectorem, Censorem nostrum more suo quæcunque à Voetio allata sunt, dissimulare, & hinc inde tantum quid, quod ad garriendum, & ineptiendum invitabat, arripere. *In initio*, inquit pag. 210. loquens de seculo septimo, *ejus seculi Cyriacus Constantinopolitanus Patriarcha cum aliquibus suæ factionis Græculis, adversus Bonifacium III. Romanum Pontificem murmuravit, quòd Phocas Imp. malè usurpatum Oecumenici nomen ei ademisset, & Bonifacio tribuisset, in quem jure competebat. Sed quid hoc iterum ad te? An fortè Græci illi Gomaristæ, Calvinistæ, aut Lutherani fuerunt?* Egregium etenim disputatorem! Cucurbitas operosè erigit, ut postea eas evertat. Vbi Voetius ad probandam successionem adduxit hoc exemplum Ecclesiæ Orientalis? Non necesse est, quamvis ex superabundanti aliquando & incidenter factum sit à Voetio, in Orientem trajicere, & ibi successionem quærere. In ipsa Occidente eam invenimus. Tum in iis, qui mansere quidem in

Papatu, à Papatu tamen non ſunt inquinati, quod immobili fundamento Chriſtianiſmi, & Scripturarum pertinaciter inſiſterent: tum etiam in illis qui palam ſeceſſionem à Papana factione fecere, ejuſque erroribus fortiter, & conſtanter oblocuti ſunt. Quod non fecere tantùm particulares aliqui DD. ſed integræ Eccleſiæ V. G. Gallica, Germanica, Anglica, &c. quæ Papæ, ejuſque graſſanti tyrannidi aliquoties ſe oppoſuere: Vt oſtenſum eſt fusè à Voetio pag. 615. quod tamen profunde diſſimulat Cenſor. Sed quorſum, bonus vir, adduxit Cyriacum Patriarcham, quem parricida Phocas primogenitus Paparum Pater, implacabili odio eſt proſecutus, quòd per eum in Mauritii Imp. viduam & liberos, pro arbitrio ferro graſſari non poſſet. Etenim delirare eum putarem, ſi quis ex noſtris in Cyriaco, quaſi is inſigniter reſtitiſſet Papæ, ſucceſſionem probare vellet. Verum quidem eſt quòd Phocas, præterito eo, Bonifacio III. parricidii & ſcelerum omnium fautori, titulum *Vniverſalis* Epiſcopi detulit: non tamen magnopere commotus eſt Cyriacus, nec ullibi legitur quod propterea ſeceſſionem fecerit, aut Synodum convocaverit contra tyrannidem Bonifacii. Platina tantùm dicit, *Bonifacium à Phoca Imp. obtinuiſſe magna cum contentione, ut ſedes Beati Petri Apoſtoli, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum, ita, & diceretur, & haberetur ab omnibus.* Nullam mentionem facit contentionis motæ, & excitatæ à Cyriaco. Quorſum ergo hoc adducit & comminiſcitur Fromondus? ut pueris perſuadeat ſe in hiſtoriis ſenium contraxiſſe, & Cyriacum Patriarcham noſſe. Sed demus Cyriacum ſe oppoſuiſſe fortiter Bonifacio, & ab eo jus ſuum repetiiſſe? Ceſſabit ridicula Fromondi interrogatio? *An fortè illi Græci Gomariſtæ,* &c. Non fuere etiam Papiſtæ? Papam enim non agnoſcebant, nec papalia dogmata. Tantò autem propiores nobis erant, quantò eccleſia ejus ſeculi firmius adhærebat Scripturis, & defecatior erat à Traditionibus ſuperſtitioſis, & idololatricis, quæ poſtea reluctantibus conſcientiis, per vim, & tyrannidem ſunt impoſitæ. Pergit: *Quod, inquit, Tranſſubſtantiationem eo ſeculo notam fuiſſe negas, antiquæ tuæ, tuorumque næniæ ſunt: nomen enim fortaſſis Tranſſubſtantiationis nondum in officina, & incudibus Grammaticorum formatum, res tamen ipſa, id eſt, converſio ſubſtantiæ panis & vini in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Dn. N. Ieſu Chriſti, notiſſima erat, & publicâ Eccleſiæ fide continebatur, &c.* Reſp. 1. Quæ fuerit fides de Tranſſubſtantiatione ſeculo ſeptimo diſcere eſt ex Scriptoribus & Conciliis συγχρόνοις. Heſychius epiſcopus Hieroſolymitanus comm. in Levit. lib. 1. cap. 2. *Si non fuiſſet crucifixus, ſacrificium corporis ejus minimè comederemus. Comedimus autem nunc cibum, ſumentes ejus memoriam paſſionis.* Quantum autem memoria diſtat à Tranſſubſtantiatione? Nec ignoravit tantùm Heſychius Tranſſubſtantiationem, ſed etiam, quòd miretur quis, ipſe Gregorius Magnus. Certè enim ſolos fideles participes fieri myſterii corporis Chriſti dicit, nec impiis ullam partem relinquit. In Iob. lib. 13. cap. 8. *Redemptoris,* inquit, *noſtri ſanguinem, quem perſecutores ſævientes fuderant, poſtmodum credentes biberunt, eumque eſſe Dei filium prædicarunt.* Item in 1 Reg. l. 2 cap. 1. *Non ſaturantur niſi famelici, qui à vitiis perfectè jejunantes, divina ſacramenta percipiunt in plenitudine virtutis.* Et in Dialog. l. 4. cap. 58. *Quis fidelium,* ait, *habere dubium poſſit, in ipſa immolationis hora, ad ſacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Ieſu Chriſti myſterio, Angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrena cæleſtibus jungi?* Rectè, & prorſus ad mentem noſtram. Ad hoc eo ſeculo, in uſu erat, ut quæ in Eccleſia contigerat manere inconſumpta, igni traderentur, quemadmodum docet nos Heſych. lib. 2. in Levit. cap. 8. Quis autem putet tam crudeliter flammis voluiſſe ſævire Patres in conſecratam hoſtiam, ſi credidiſſent, eam in ſubſtantiam Chriſti corporis fuiſſe tranſſubſtantiatam. 2. Apertè mentitur, quando dicit doctrinam de Tranſſubſtantiatione jam ſeculo ſeptimo publicâ Eccleſiæ fide fuiſſe contentam. Novam eam eſſe agnovere doctiſſimi quique Eraſm. Annot. in 1 Cor. 7. *In Synaxi,* inquit, *tranſſubſtantiationem ſerò admodum definivit Eccleſia.* Item Caſſander in Conſult. art. 117. *Tranſſubſtantiatio tum nomine, tum effectu nova eſt.* Verè novam vocat, ante Lateranenſe enim Conventiculum, hoc eſt, 1215. non fuit definita, & enixa. Vt ſupra ex confeſſione Scoti probabamus.

babamus. Ex re verò est, ex Bellarmino ostendere, quæ fuerit Scoti opinio de hac novitate. Ita Cardinalis loquitur l. 3. de Eucharist. c. 23. *Scotus*, inquit, *& Cameracensis docent non extare locum in Scripturis tam expressum, ut sine Ecclesiæ determinatione evidenter cogat Transsubstantiationem admittere, atq; id non est omnino improbabile. Nam etiamsi Scriptura adeo clara est, ut cogere possit hominem non protervum. Tamen an ita sit meritò dubitari possit, cùm homines doctissimi, & acutissimi, qualis imprimis Scotus fuit, contrarium sentiant. Vnum addit Scotus, ante Concilium Lateranense non fuisse dogma Transsubstantiationis.* Pergit ineptire Fromondus. *Septimo etiam hoc seculo*, inquit pag. 211. *exeunte Episcopi illi Græci in Palatii Constantinopolitani Trullo congregati, famosam illam appendicem Sextæ Synodo assuerunt, Canonesque Trullanos, è quibus hunc in favorem vestrum vertere conamini*, &c. (& dein citat Can. 13.) *Vbi Presbyteros & Diaconos uxoratos, à concubitu & consuetudine uxorum separandos negant, quod etiam hodieque servant Græci. Sed quia ne iterum, in errore uno isto vobiscum consentiunt, ideo inter Lutheranos, Calvinistas, Gomaristas deputari possunt?* Resp. 1. Iterum extra oleas vagatur Censor. Non quærit successionem in solâ Oriente Voetius, nec citavit quoque pro se sextam hanc Synodum Oecumenicam. Ostentandæ tantùm vanitatis gratiâ, & ut chartas impleat, nec cogatur ad ea quæ Voetius adduxit, respondere hæc sibi ipsi oppugnanda proponit. 2. Sequimur tamen, cum lubentissimo animo, & Synodi Trullanæ canonem 13. libenter nostrum facimus. Radicitus ille evertit diabolicam Papanorum doctrinam de cælibatu clericorum, ut quisquis judicabit si attentè ruminetur verba ipsius canonis, non ut à Fromondo mutilata citantur, sed ut occurrunt apud Balsamonem. Facere autem non possumus, quin ipsum Canonem asscribamus: *Quoniam*, ajunt Patres, *Romanæ Ecclesiæ pro Canone traditum esse cognovimus, ut Diaconi, vel Presbyteri, qui digni qui ordinentur, existimandi sunt, profiteantur quòd non amplius contingent uxores suas. Nos antiquum canonem Apostolicæ perfectionis, ordinisque servantes, hominum qui sunt in sacris, conjugia ex hoc deinceps temporis momento firma & stabilia esse volumus: nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem dissolventes: vel eos, mutuâ tempore convenienti consuetudine privantes. Quamobrem si quis dignus inventus fuerit, qui Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, is ad talem gradum assumi nequaquam prohibeatur, si cum legitima uxore cohabitet. Sed neque ordinationis tempore ab eo postuletur, ut profiteatur se à legitima cum uxore consuetudine abstenturum, ne ex eo, à Deo constitutas, & suâ præsentiâ benedictas nuptias injuriâ, afficere cogamur, evangelicâ voce exclamante: Quæ Deus conjunxit, homo ne separet: & Apostolo docente, Honorabiles nuptias, & torum immaculatum: Et, Alligatus es uxori, ne quære dissolutionem.* Sed enervare conatur canonem hunc Fromondus. Ita enim pag. 211. dicit: *Nonne etiam Trullani Episcopum uxoratum excipiunt, voluntque ab uxore perpetuò secubare, & habitatione dividi, ne status Ecclesiasticus ullo probro afficiatur?* Resp. Fateor illud de Episcopis statutum esse can. 12. ut contentionibus obviam iretur, & satisfieret iis, qui pro cœlibatu stabant. Nihilominus Synodus mentem suam clarè satis patefecit. Inter alia enim d. can. etiam hæc verba occurrunt: *Non ad ea abolenda, & evertenda, quæ Apostolicè antea constituta sunt, sed populorum salutis, & ad meliora progressionis curam gerentes.* In quibus ingenuè Patres fatentur, cælibatum non esse Episcopis, ab Apostolis injunctum. Vt vidit quoque Balsamon Patriarcha, ita enim ad præcedentia verba annotat. *Non*, inquit, *divinis Apostolis adversantes hæc decernunt, sed statum Ecclesiasticum in pulchriorem ordinem provehi volentes.* Vsque ad Trullanam autem synodum, æque Episcopis, ac Presbyteris, qui contra stylum Sp. Sancti ab his vulgò distinguuntur, uxores habere licebat, ut docet nos idem Balsamon Annot. in 5. Canon. Apost. *Ante sextam*, inquit, *Synodum, quæ fuit in Trullo Palatii, licebat Episcopis habere uxores, etiam post dignitatem Episcopalem, quemadmodum & qui post matrimonium ordinantur Sacerdotes, & Diaconi.* Pergit, & sic dein contra 13. Canonem Trullani Concilii excipit, ne quid prorsus patrocinii in iis pro nuptiis suis inveniant ministri nostri. *Nec de Presbyteris*, inquit, *& Diaconis etiam vestris, ne nescias, Trullani loquuntur; sed de ritè, & legiti-*

mè, per collationem Sacramenti Ordinis ab Epiſcopo ordinatis: vos autem à ſecularibus Magiſtratibus, aut non Epiſcopis ad miniſterium veſtrum deſtinati, non plus ſani & veri preſbyteratus, vel Diaconatus, quàm uxores veſtræ habetis. Reſp. 1. Falſiſſimum eſt in toto canone, vel ſemel ordinationis Epiſcopalis & Papalis mentionem fieri: tantùm dicitur; *Diaconi qui ordinentur,* Epiſcopi nulla fit mentio. 2. Nondum inter ipſos quidem DD. convenit, aut à Papa definitum eſt, an Diaconatus, & Subdiaconatus conſtituant ſpecies ordinis. 3. Falſiſſimum eſt miniſtros noſtros vocari, & ordinari à magiſtratu. 4. Neceſſariò & ſecundum jus divinum diaconos & preſbyteros ab epiſcopo aliquo debere ordinari nunquam probabitur. 5. Nihil ergo ad rem facit hæc limitatio. Progrederer, ſed vetat Cenſoris futilitas. Inter cætera, quæ de Concilio Trullano garrit, dicit etiam pag. 211. *Nonne in Euchariſtia, cæteriſque Eccleſiæ Catholicæ ſacramentis, libero arbitrio, bonorum operum neceſsitate, ac aliis id genus fidei articulis, in Latinorum, Romanorumque ſenſu, non in hæreſi veſtra, fuerunt?* Reſp. Verba tantùm ſunt. De libero arbitrio; & bonis operibus Fromondus aliquid nobis affingit, quod nunquam aut probavimus, aut docuimus: ut ſuperiori capite oſtendimus. Quod ad Euchariſtiam autem, in ea faventem habemus Synodum Trullanam. Probavit illa Synodum Carthaginenſem, eôque can. 32. ſic etiam ſanxit: *Sancti Patres Carthagine congregati, ita eorum quæ dicta ſunt ῥητῶν, meminere, ut in ſacris nihil amplius offeratur, quam corpus & ſanguis Domini, ſicut & ipſe Dominus tradidit. hoc eſt nihil amplius, quàm panis & vinum aquâ mixtum.* Expreſſi autem verbo tenus bona fide hæc verba ex canone Græco, qui occurrit apud Balſamonem Patriarcham Antiochenum, quod in Latinis Conciliorum Tomis omnia à falſariis, miſerè detorta & perturbata ſint, ut annotavit quoque Cl. Molinæus in *Nouveauté du Papiſme* pag. 2. cap. 10. Quid autem innuere per oblationem hanc voluerint Patres, annotat dictus Balſamon in annot. ad can. 40. Synodi Carthag. *Trigeſimus ſecundus,* inquit, *canon Synodi Trullanæ latius ordinat eſſe incruentum ſacrificium, cum pane, & vino mixto aquæ, ut panis quidem typum gerat corporis Domini, vinum verò typum ſanguinis.* Quid apertius pro noſtra ſententia decerni poſſet? Nec tantùm in dogmate de Euchariſtia favet nobis Concilium Trullanum, ſed & in enumeratione librorum Canonicorum, ita enim ſanxit can. 2. *Obſignamus reliquos Canones omnes, qui à ſanctis, & divinis Patribus noſtris beatis expoſiti ſunt. Atque iis in Laodicæa Phrygiæ, Athanaſii Alexandriæ, Gregorii Theologi, Amphilochii Iconii, Cyrilli Alexandriæ.* Quis autem ignorat Concilium Laodicenum, eos ipſos libros rejicere ut Canonicos, quos Papani, quia paululum ſuperſtitioni favere videntur, pro canonicis exoſculantur. Nihil verò ad rem facit, quòd Trullana Synodus probaverit etiam Concilium Carthaginenſe. Cui ſit veriſimile Synodum voluiſſe pugnantia decernere, & errores Carthaginenſium Patrum ſuos facere? præſertim cum declaret ſe non tantùm Laodiceni Concilii ſententiam, ſed aliorum etiam Patrum Orthodoxorum, qui alieniſſimi fuere ab erroribus Carthaginenſis Synodi, probare.

II. Dixit Voetius conjunctim de ſeculo ſeptimo, octavo, & nono pag. 614. *Eccleſia cujus aliqua & melior pars Papiſmo, & quidem publicè ſe oppoſuit, illa noſtra eſt, aut in illa noſtram invenimus, & à ſeductoribus, ac ſeductis, à factione malignantium facilè diſcernimus.* Admodum ridiculè & ſtultè more ſuo hæc exagitat Cenſor. *Næ tu,* inquit pag. 211. *acutos, & emiſsitios oculos habes, qui etiam in ſcirpo nodum, & Athenis cornicem invenire & videre potes.* Non opus hic aquilino viſu, vos eo indigetis, ut in Patribus Papiſmum aut inveniatis, aut fingatis. Quid clariùs eſſe poteſt: Eccleſia ſeptimi, octavi, & noni ſeculi, retinebat Chriſtianiſmum, & ſtrenuè ſe opponebat Idololatriæ, nec non tyrannidi, & erroribus Antichriſti. Ergo Orthodoxa, & noſtra erat. Nos enim nihil aliud egimus, quàm Eccleſias noſtras aſſeruimus ab omni etiam Idololatriæ ſpecie, & erroribus, ac tyrannide Papæ. Nec refert, quod nævis quibuſdam Eccleſia illa fuerit inquinata, & quid aut de purgatorio, aut ſanctis demortuis, &c. heterodoxi amplexa fuerit. Sufficit eam non fuiſſe idololatricam, nec abnegaſſe indirectè & per conſequentiam merita, & ſa-

tisfactionem

tisfactionem Christi, ac pro eo coluisse Papam, & adorasse propria bona opera. Pergit. *Discerne ergo*, inquit, *& indica nobis, si potes, vel unum Episcopum, unum clericum, aut Laicum, &c. qui septimo illo seculo fide, & dogmatibus, quibus à nobis dividimini, Gomarista fuerit.* Libentissimè: non tantùm Episcopum, sed ut vultis, Episcopum Episcoporum Gregorium Magnum, qui vixit sub initium seculi septimi, ut nostrum ostentamus. Quàm faverit is Transsubstantiationi paulò antè ostendimus. In præsens tantùm ex scriptis ejus probabimus, non fuisse illum Papistam in præcipuis articulis, de quibus cum Papana factione contendimus. 1. Docuit Scripturam sufficientem esse ad salutem. Ita enim loquitur lib. 1. in Ezech. hom. 9. *In hoc volumine omnia quæ erudiunt, cuncta quæ ædificant, scripta continentur.* 2. Docuit omnia peccata esse mortalia. In Ezech. lib. 1. hom. 2. *Omne peccatum grave, quia non permittit animam ad sublimia elevari.* 3. Libros Machabæos inter non Canonicos reposuit. In Iob. l. 19. cap. 13. vel in al. Ed. 17. *De qua re non inordinatè agimus si ex libris, licet non Canonicis, sed tamen ad ædificationem Ecclesiarum editis, testimonium proferamus.* Et dein citat 1 Machab. cap. 6. 4. Scripturam non esse per se obscurissimam, sed intelligi etiam posse à parvulis docet in Præf. in Iob. ad Leandrum cap. 4. *Divinus*, inquit, *sermo, sicut mysteriis prudentes exercet, sic plerumque superficie simplices refovet, habet in publico unde parvulos nutriat, servat in secreto unde mentes sublimium in admiratione suspendat. Quasi quidam quippe est fluvius (ut ita dixerim) planus & altus: in quo & agnus ambulet, & Elephas natet.* 5. Ignoravit merita bonorũ operum. l. 5. Moral. c. 7. *Ipsa justitia nostra ad examen divinæ justitiæ deducta, injustitia est; & sordet in districtione judicis, quod in æstimatione fulget operantis.* Et lib. 9. cap. 14. *Ad vitam non ex meritis, sed ex venia convalesco.* Et in Ezech. hom. 7. prope calcem: *Non in fletibus, non in actibus nostris, sed in advocati nostri allegatione confidamus.* Item in 1 Psalm. pœnitent. *Non de meis meritis confidens, ut me salvum facias supplico, sed de sola misericordia tua præsumens impetrare, quod non de meritis meis spero.* 6. Agnoscit certitudinem fidei, & salutis, quæ est anchora spiritualis, & salutaris securitatis. Dialog. 1. cap. 1. *Mens quæ divino Spiritu impletur, habet evidentissima signa sua, virtutes scilicet, & humilitatem: quæ si utraque perfectè in una mente conveniant, liquet quòd de præsentia Spiritus Sancti testimonium ferant.* Et lib. 6. Registri cap. 187. *Deum sitiens anima prius timore compungitur, post amore. At verò quum longa mæroris anxietate fuerit formido consumpta, quædam jam de præsumptione veniæ, nascitur securitas.* 7. Ipse quamvis Pontifex tamen supremæ Paparum potestati infestus fuit. lib. 4. ep. 36. *Si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarchæ nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc, absit à Christiana mente, id sibi velle quenquam arripere, unde fratrum suorum honorem imminuere ex quantulacunque parte videatur.* Similia habet eod. l. ep. 38. & 82. item lib. 6. ep. 24. & 30. 8. Hostis fuit privatæ missæ. In Capitul. cap. 7. apud Cassandrum liturg. 33. *Sacerdos missam solus nequaquam celebret.* 9. Statuit calicem esse communicandum laicis, ut clarè colligi potest. De Consecrat. Dist. 2. Quid sit sanguis. Habes, Fromonde testem, classicum puto, & omni exceptione majorem. possent alii, ut Hesychius, Isidorus Hispalensis similesque addi, ni unus Gregorius instar omnium esset. Sed clamabis auguror: Gregorium in aliquibus saltem fuisse Papistam, *In invocatione sanctorum*, nempe, *cælibatu clericorum, cultu crucis, & V. Mariæ, nec non Imaginibus, Reliquiis, Purgatorio*, &c. Sed quid hoc nobis obstat? Ipsi Papani fateri coguntur usque ad concilium Lateranense neminem ex omnibus Patribus, aut Theologis inveniri qui per omnia Papista sit. Sufficit Gregorium in præcipuis, & fundamentalibus dogmatis, quæ nos & Papistas præ cæteris dividunt, orthodoxum, hoc est, nostrum fuisse. Quod autem ad Sanctos eorum amore, & veneratione excæcatus fuit bonus vir: quare non mirum si iis cultum detulerit, & deferri voluerit. De cælibatu indicto clericis, pœnitentiam eum egisse supra docuimus. Crucem quidem admiratus est, vim tamen orationi, & precibus detulit: ut videre est lib. 1. Dialog. cap. 1. Imaginibus quamvis faverit, non tamen eas adoravit. Imo expressè sic cavet lib. 9. ep. 9. *Adorationem omnibus modis devita.*

De purgatorio videtur esse difficilior controversia. Sanè negare non possumus bonum virum circumventum fuisse à mendacibus spectris, & monachorum somniis; ut liquet ex libris Dialogorum. Quamvis mihi persuadere non possim, eum ipsum esse authorem Dialogi: nec credit quoque Canus Episcopus Canariensis lib. 11. loc. comm. cap. 6. Solidissimè autem probavit noster Cocus in Censura Patrum. Quis est etiam qui ex somniculoso & barbaro dialogo concludat Gregorium credidisse purgatorium, cùm funditus illud in genuinis suis scriptis evertat. Quid enim appositè magis ad subruenda ejus fundamenta dici potest, quàm quod apud eum occurrit lib. 13. in Iob. cap. 20. *Quia*, inquit, *authoris nostri gratiâ redempti sumus, hoc jam cælestis muneris habemus, ut quum à carnis nostræ inhabitatione subtrahimur, mox ad cœlestia præmia ducamur: quia dum conditor, & redemptor noster claustra inferni penetrans, electorum exinde animas eduxit, nos illò ire non patitur, unde jam alios descendendo liberavit.* Itaque dici potest, quod olim in re non dissimili dixit Epiphanius hæres. 51. *Quomodo Cerinthi erunt, quæ contra Cerinthum dicunt.* Quomodo Gregorii erunt, quæ contra Gregorium dicunt. Sed ad Crisin revertamur, à quâ mentione Gregorii paululum divertimus. Postremò ergo contra Voetii argumentum ita ineptit Fromondus pag. 212. *Imo Anabaptistæ longè majori quàm vos, verisimilitudine doctrinæ suæ jactare possunt*, &c. Resp. Iam Dn. Doctor in nostram sententiam laberis, id ipsum quod tu sarcasticè exagitas, toto animo amplectimur. Quia diabolus, adversarius Christi ab initio Euangelii varias, & graves hæreses excitavit, quæ per multa annorum secula (V. G. Arrianismus, Pelagianismus, &c.) usque ad hanc ætatem continuatâ successione, sunt traductæ, inde concludimus nec successionem personalem, nec doctrinæ esse certam & infallibilem Ecclesiæ notam. Eam tamen ex superabundanti, ultro & sponte, nulla necessitate cogente, ex certissimis tabulis ostendimus.

III. Accedit dein ad seculum octavum, de quo ita pag. 213. loquitur; *Nec aliis*, inquit, *argumentis seculum octavum tibi vindicas, nisi quod in Leone Isauro, Constantino Copronymo, & tota ista nebulonum iconoclastarum colluvie, evidentiores Ecclesiæ tuæ notas reperias.* Resp. 1. Quorsum, mi catelle, hæc linguæ petulantia? Omnes ut audio, secundum tuam modestiam, nebulones sunt, qui in aliquo dogmate dissentiunt à sede Romana. 2. Cur, mi homo, nebulonem etiam non vocas Carolum Magnum, præsedit enim Synodo Francofurtensi anno 794. in qua abrogata sunt decreta Synodi Nicænæ II. quę anno 786. comprobaverat adorationem imaginum. Plat. in Adriano I. P. Æmil. lib. 2. Regino ad annum 794. *Pseudo-synodus*, inquit, *Græcorum quam pro adorandis imaginibus fecerant, à Pontificibus rejecta est.* Dices fortè, Concilium Francofurtense non statuisse amovendas, aut frangendas esse imagines, sed tantùm prohibuisse adorationem? Quid tum vero? Sufficit idololatras ab eo fuisse anathematizatos: & nomine Caroli M. ab Albino, quatuor libris ex Sacra Scriptura, Patribus, & sanæ rationis commentationibus solidissimè esse probatum abominandum, & execrandum esse cultum imaginum. Nec est quòd quis libros hos, aut ut vocantur capitulare suspectæ, & sublestæ fidei esse arbitretur, authoritatem, & authorem illius asserit Mathæus VVestmonasteriensis historicus celebris, lib. 6. de Florib. histor. ubi hunc in modum scribit: *Anno gratiæ 793. Constantinus Romanum adeptus imperium septem annis imperavit. Eodem anno Carolus Rex Francorum misit librum Synodalem ad Britanniam, in quo veræ fidei multa intexta sunt obviantia, & eo maximè, quòd pene omnium Orientalium Doctorum unanimi assertione est diffinitum, imagines adorari debere, quòd omninò Ecclesia Catholica execratur. Contrà quod Albinus scripsit Epistolam, ex authoritate divinarum Scripturarum mirabiliter dictatam, illamque cum eodem Synodali libro, in persona Episcoporum, ac Principum idem Albinus attulit ad regem VVallicanum.* Et iisdem pene verbis Hovedenus in continuatione Bedæ ad annum 792. *Carolus*, inquit, *rex Francorum misit Synodalem librum ad Britanniam, sibi à Constantinopoli directum; in quo libro, heu, proh dolor! multa inconvenientia, & veræ fidei contraria reperiuntur, maximè, quòd pene omnium Orientalium Doctorum non minùs quàm 300. vel eô amplius Episcoporum*

rum unanimi assertione confirmatum sit, Imagines adorari debere. Quod omnino Ecclesia Dei execratur. Contra quod, scripsit Albinus epistolam ex authoritate divinarum scripturarum mirabiliter confirmatam, illamque cum eodem libro ex persona Episcoporum, ac principum nostrorum, regi Francorum attulit. 3. Non ob solas imagines damnatas, amplectimur concilium Constantinopolitanum III. & IV. celebratum sub Leone, & Constantino Copronymo. Sed ob alia etiam. In utroque nihil Papale decretum est: utrumque verò illustre documentum præbet ὀρθοδοξίας tum in substantia adhuc integræ. Quid quod in Conc. Constantinopolitano IV. (quod est Concilium Oecumenicum VII.) trecenti triginta octo Episcopi simul conspiraverint ad impediendam conceptionem monstrosæ transsubstantiationis. Quod tam clarum est ut ipse etiam Fromondus fateri cogatur: unde cum videret illustrissimum orthodoxæ veritatis testimonium planè obliterari non posse, saltem male olentibus garrulę linguæ excrementis offuscare laboravit. Eòque ita etiam cornicatur pag. 213. *Nec est quod existimes Iconomachos in Pseudo-synodo illa Constantinopolitana sub Constantino Copronymo anno 754. coacta, sacramentarios fuisse, & vobiscum negasse veram præsentiam corporis Dominici in Eucharistia, &c. Nam licet panem Eucharisticum, imaginem carnis Christi appellent; non tamen veritate realis præsentiæ corporis Christi vacuam. Vnde unicam veram, & electam imaginem esse dicebant, quam solam liceret adorare; cùm cæteras reali prototyporum suorum præsentiâ inanes, vobiscum spernerent, frangerentque.* Resp. Bene fecit quod integrum canonem non asscripserit: prostituisset miserè famam & existimationem suam. quod eum verò puduit, nos non pudet. Ita verò sonant verba decreti, ut liquet ex concilii Nicæni II. Actio. 6. *Exultent & lætentur, & libertate linguæ fruantur, quicunque veram Christi imaginem syncerissimâ mente facientes, desiderant, & venerantur, & ad salutem animæ, corporisque adferunt; quam ipse Dominus noster Deus summus sacerdos, ex nobis integrè massam assumens, circa passionis tempus, in typum & recordationem efficacissimam suis sacerdotibus, & mystis tradidit. Nam cùm se sponte morti objiceret gloriosæ, inquam illi & vivificanti, sumens panem benedixit, postquam gratias egisset, & fregit, tradensque discipulis dixit: Accipite, manducate in remissionem peccatorum, hoc est corpus meum. Similiter & calicem tradens, dixit: Hic meus est sanguis, hoc facite in mei memoriam. Veluti ne esset ulla alia species electa ab illo, aut quasi non posset ullo alio typo eorum quæ sub cælo sunt, incarnatio illius repræsentari.* Quid clarius, & magis ad mentem nostram dici posset. Vbique *Imaginem, figuram, recordationem* dicunt Patres. 2. Dicit Fromondus: *Nam licet panem Eucharisticum, imaginem carnis Christi appellent; non tamen veritate realis præsentiæ corporis Christi vacuam.* Rectè. Hic Guesius, & hæreticus est Censor. Nos dicimus Christum realiter præsentem esse verè fidelibus, quibus panis & vinum est imago non tantum carnis, & sanguinis Christi, sed etiam σφραγὶς & sigillum, obsignans iis Christum specialiter mactatum, & mortuum pro se. Sed quæ consequentia ab reali præsentia, ad non rationabilem & stultam transsubstantiationem? Quod verò addit de *adoratione*, quasi eam præceperit dicta Synodus, falsissimum, & intolerandum est mendacium. Adoratio demum instituta est anno 1220. ab Innocentio tertio. 3. Ad infringendum dictum canonem adducit confessionem Ieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani editam anno, ut vult 1576. Quàm pueriliter verò, & ridiculè. Patriarcha Ieremias ann. 1576. credidit transsubstantiationem, ergo ea publica fides Græcorum fuit seculo octavo. Adhoc nos retorquere possumus, hodie Cyrillus Patriarcha non credit, Ergo. Si valet hæc consequentia, fateor sanè nos non posse hiscere contra falsam antiquitatem factionis Papanæ. Sed tamen sic concurremus, & pares erimus. Æquè enim nova Fromondi dialectica nobis, ac Papę conducit. 4. Eidem Canoni opponit Concilium Nicænum II. pag. 214. Resp. Si rejiceremus totum hoc concilium erroneum & Papale, quod contra Scripturam & rationem decrevit adorationem imaginum, nihil insolens aut iniquum faceremus. Rejecit enim ipse Carolus Magnus cum Synodo Francofurtensi, ut modò ostendimus: nec aliud faceremus, quàm Bellarm. lib. 1. de Concil. cap. 8. ubi

Concilium Constantinopolitanum quintum, & sextum ideo tantùm rejicit, quod nec ipse *Papa Romanus, nec per legatos suos ei interfuerit.* An non eodem jure rejici posset à nobis Nicænum II. concilium, quia ad arbitrium Papæ illegitimè convocatum est à Constantino, & Irene ejus matre? Sed nolumus quærere latebras cum Lojolytis, & malè sanis Papæ patronis. Negamus quicquam de Transsubstantiatione, aut adoratione hostiæ decrevisse Synodum Nicænam II. Reprehendit tantùm Concilium Constantinopolitanum, quod usum fuerit voce *Imaginis.* Et quid si cum Lateranensi conciliabulo sanxisset monstrosam Transsubstantiationem, verum tamen maneret triginta & uno annis ante trecentos, & triginta octo Episcopos orthodoxos fuisse, & eandem cum nostra doctrinam sancivisse, quod nobis sufficit. 5. Ita dicit pag. 214. *Consentanea & eadem propemodum omnia S. Iohannes Damascenus, eo seculo in bello Iconomachico inter primos duces, sacras imagines propugnans. Nec panis, & vinum, inquit, Christi figura sunt (absit hoc) sed ipsummet Domini corpus, divinitate affectum.* Resp. Fateor Damascenum periculosè & contra mentem antiquorum Patrum de pane & vino Eucharistico esse locutum, & cultum imaginum propugnasse. Nego tamen eum docuisse transsubstantiationem, & idem sensisse de ea cum præsenti factione Romana. Vnde nec sine ratione ipse Bellarminus eundem Damascenum redarguit lib. 2. de Eucharist. cap. 16. Transmutationem tantùm noverat Damascenus, tam procul verò ea à Transsubstantiatione distat quàm accidens à substantia. Quæ dein garrit de Patribus à suis ad Papanum sensum exponi solitis, ridicula & inepta sunt.

IV. Pergit in exagitando seculo octavo. pag. 215. dicit: *Cæteras quoque vestras hæreses, de fide sola justificante, de arbitrii necessitate, de Deo malorum impulsore, & quorundam hominum ad æternam mortem prædestinatore, &c. non solum Ecclesia Catholica ejus seculi, sed Iconomachi ipsi, quos majorum vestrorum numero dignamini, detestati sunt.* Resp. Falsa & putida est calumnia, ut supra aliquoties ostendimus; quòd negemus voluntati libertatem, quodque ex doctrina nostra sequatur Deum malorum, & peccatorum authorem esse. Quid de fide justificante censeamus etiam apertè & dilucidè satis declaravimus. Non negamus necessitatem bonorum operum, sed quotidie urgemus: viam, medium, & caussam esse dicimus: non quidem justificationis, absit hoc: aut juris ad vitam æternam, sed actualis possessionis. Libenter apud nostros usurpamus Eucherii verba lib. 3. in Genes. *A fide incipiant, & bonis moribus nitantur eò pervenire, quò tendunt.* Quod verò ad doctrinam de reprobatione; non sanè ea, seculo octavo, & nono ignota fuit. Venerabilis Beda lib. I. in Isaiam cap. I. *Derelictis iis, quos suos non esse cognoscit, ad illorum corda visitanda, & illustranda convertitur, quos ad vitam prædestinavit æternam.* Item Albinus Alcuinus ejus discipulus in cap. 8. Ecclesiastis: *Quum,* inquit, *quæstiones hujusmodi in medium venerint, quare ille Deo deserente excæcetur, ille Deo adjuvante illuminetur, non nobis judicium de judicio tanti Judicis usurpemus, sed contremiscentes exclamemus cum Apostolo, ô altitudo!* Item Angelomus monachus Gallus, qui secundum Bellarminum floruit sub Lothario Imper. hoc est circa annum 850. ita scribit in lib. 2. Regum cap. 8. *Christus per occultam dispensationem ex populo infideli, alios gratuitâ miseratione vivificans ad æternam libertatem prædestinavit; alios verò occulto judicio in suâ impietate derelinquendo in perpetua morte damnavit.* Nec mirum eos constantes perstitisse in hac doctrina, qui proximè eos præcesserant, Gregorius Magnus, & Isidorus Hispalensis, veritatem à Sancto Paulo traditam, nec non sententiam Augustini de hoc dogmate, dilucidè & solidè docuerant, & defenderant. Ita autem Gregorius exposit. in Iobum cap. 37. *Nemo perscrutari appetat, cur cùm alius repellitur, alius eligatur, &c. quia inscrutabilia sunt ejus judicia, & viæ impervestigabiles.* Isidorus verò lib. 2. de summo bono cap. 5. & 6. ita loquitur. *Gemina est prædestinatio sive electorum ad requiem, sive reproborum ad mortem: utraque divino agitur judicio, ut semper electos superna, & interiora sequi faciat, semperque reprobos ut infimis, & exterioribus delectentur, eos deserendo permittat.* Quid orthodoxè magis dici posset? Sed oppugnat constantem hanc orthodoxorum Patrum sententiam de Prædestinatione

natione ineptiis suis Censor, ita philosophans pag. 215. *Et novissimus ille de Prædestinatione error, sequenti seculo, à Gotheschalco Monacho Rhemensi vulgatus, in Concilio Moguntino, præsidente Rabano Mauro, ejus urbis Archiepiscopo, damnatus est.* Resp. Quanquam Isennacense Chronicon de hoc Gotheschalco testatur, quod docuerit Patrem plus esse quàm filium, non tamen cognoscere potui eum ullas alias hæreses docuisse, aut defendisse. Vt enim liquet ex epistola Hincmari ad Hincmarum Laudunensem, in qua nulla, vel levissima Arrianismi ab eo dispersi, fit mentio, nihil aliud docuit fatente etiam Serario in reb. Moguntiacis lib. 1. cap. 33. Sed quàm 1. homines post lapsum destitui libero arbitrio in rebus spiritualibus, & bonis, 2. quosdam secundum immotum decretum divinum, prædestinatos esse ad vitam, quosdam verò ad mortem, aut ut loquitur Aventinus lib. 4. Bojor. *Homines quosvis inevitabili lege & necessitate providentiæ divinæ, sive inferis, sive superis destinatos esse.* 3. Electos excidere non posse gratiâ. 4. Christum non pro omnibus, sed pro fidelibus, & electis tantùm mortuum esse, aut ut ineptè & erroneè loquitur Trithemius in Hirsgav. Chronico; *De sanguine Christi malè sensit.* Si nihil aliud docuit, non video cur adversus eum Moguntiam Episcopi, & Theologi convenire debuerint. Articuli enim præcedentes examussim conveniunt doctrinæ Spiritus Sancti, Theologiæ Augustini, & doctiorum quorumque ejusdem seculi, ut paulò ante docui. Præ cæteris verò articulus postremus, pro cujus veritate aliquam multa variorum testimonia proferri possent. Angelomus comm. in 2 Reg. 7. *Quæ est gens in terra alia, præter populum electum, propter quem venire dignatus est Deus, Dei filius in hunc mundum velut in Ægyptum, ut assumptâ servi formâ, commercio sanguinis sui redimeret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum.* Item Beda hom. in vigil. Pasch. *Dominus ac redemptor noster Electis, quos in carne positos suos esse cognovit: nec non & nobis, quos in se credituros in fine temporum prævidit, remedium salutis morte suâ, ac redemptione procuravit.* Nihil ergo officit nobis Moguntina, provincialis tantùm Synodus; & si adversariis impunè licet rejicere, & condemnare concilia Oecumenica quòd non faveant idolomaniæ, aut non directa sint fallaci Papæ spiritu, nobis sane vitio verti non debet, quòd non recipiamus Synodum quæ contra verbum Dei, & Doctiores ejus interpretes, errores pro veritate amplexa est. Quamvis incertum sit, quæ decreta facta sint in dicta Synodo Moguntina; ut ut aliàs diligens est, ea tamen è tenebris eruere non potuit Card. Baronius? Ego mihi ita persuadeo Gotheschalcum non tam castigatum fuisse à Rabano, & Synodo, quòd heterodoxias & hæreses doceret, & foveret, quàm quòd saluberrimâ doctrinâ de prædestinatione, & perseverantiâ ad securitatem carnis abuteretur. Vt ita credam, movet pæne ipse Rabanus ita ad Everhardum Comitem de eo scribens; *Divulgatum est*, inquit, *quendam sciolum apud vos manere, qui dogmatizet quòd prædestinatio Dei omnem hominem ita constringat, ut etiam si quis velit salvus fieri, & pro hac fide recta, atque bonis operibus certet, ut ad vitam æternam per Dei gratiam veniat, frustra & incassum laboret, si non est prædestinatus ad vitam: quasi Deus prædestinatione sua cogat hominem interire, qui author est salutis nostræ, non perditionis. Et jam hinc multos in desperationem suimet hæc secta perduxit, ita ut dicant: quid mihi necesse est pro salute mea, & vita æterna laborare? quia si bonum fecero, & prædestinatus ad vitam non sum, nihil mihi prodest: si autem malum egero, nihil mihi obest: quia prædestinatio Dei me facit ad vitam æternam pervenire. Hæc traditio multis in istis partibus scandalum est, & prædicantibus evangelii homines inobedientes facit, quia jam desperantes de semetipsis reddidit.* Confirmare hanc conjecturam meam videtur Sigebertus Gemblacensis: nam scribit Guntharium Gotheschalci socium quodam tempore in adulterio deprehensum fuisse. Si talis applicatio salutaris doctrinæ ab iis fuerit facta, patrocinium non paro, nec quicquam etiam læditur doctrina Ecclesiarum nostrarum. Sed hæc tantum conjectura est; in tanta scriptorum obscuritate, & penuria difficile est veritatem aut invenire, aut videre. Ipse autem mihi placere non possum in hac conjectura, invenio enim in Bibliotheca Patrum, librum ecclesiæ Lugdunensis scriptum pro defensione hujus Gothe-

Gotheschalci contra Ioannem Erigenam Scotum, qui undecim capitulis Gotheschalci dogmata subtiliter, & argutè refutare aggressus erat. Nec tantùm contra Scotum eum defendit Lugdunensis Ecclesia, sed alios etiam. Eoque vulgavit etiam librum de tribus Epistolis, quem ipsi Remigio Lugdunensi Episcopo adjudicare non veretur Maldonatus Iesuita in Math. cap. 20. Vide sis quæso utrumque librum Lector, invenies in 2. tom. Bibl. Patr. Ed. Paris. Ann. 1610. Adi quoque notas Andreæ Du Val Doctoris Sorbonici ad priorem libellum, invenies eas d. tomo p. 1262. Et sic clarè liquet nihil nobis obesse erroneum & tyrannicum Concilium Moguntinum. Sed quid his nugis tempus tero, cùm Cl. Vsserius integro tractatu hoc præstiterit. Pergit ineptire Fromondus, & pag. 215. dicit: *Anno etiam præcedente, nempe 847. in Synodo itidem Moguntina, eodem præside Rabano, hæresis Calvini de fide justificante condemnata est. Initium actionis nostræ, ait Rabanus cum suis coëpiscopis, de fide esse decernimus, quæ bonorum omnium est fundamentum.* Resp. 1. Ex Baronio hæc descripsit Censor, & simul cum eo gravissimè errat. Non hoc decretum est factum in Concilio Moguntino sub Lothario ad annum 847. præsidente Rabano ut vult conditor Annalium, sed in Synodo Moguntiæ celebrata ad corrigendum Ecclesiarum statum sub Carolo Magno anno 813. in qua præsidère tres Archiepiscopi Hildebaldus, Ricolfus, & Arno, ut pluribus & invictis rationibus, si supremus studiorum arbiter annuerit, aliquando ostendam. Meminit verò hujus Synodi præter Sigebertum, etiam incertus author annalium à Pithæo editus. 2. In quacunque tandem Synodo hic canon conditus sit, nihil prorsus Calvino, aut doctrinæ Ecclesiarum reformatarum obstat. Docet Calvinus, docemus nos fidem non otiosam aut sterilem esse debere, sed fœcundam, & plenam operibus bonis. Nota hoc quæso, mi Fromonde, & cum tuis fraterculis posthac calumniis veram, & salutarem doctrinam conspuere cessa. Progreditur, & sic loquitur pag. ead. *Hinc percipis, mi Voeti, quàm etiam seculum istud nonum parum Calvinisticum fuerit.* Nugæ. Vnde hoc constabit? ex incerta Synodo Moguntina? aut ex Rabano? Fatemur de hoc & præcedenti seculo veram esse querelam Bedæ lib. 4. in Sam. cap. 2. *Nec sine lachrymis*, inquit, *rem lachrymis dignam contempletur, quantum Ecclesiæ status ad pejora quotidie, vel ut mitius dicam, ad infirmiora gerenda devolvatur.* Interea tamen nullus ita fungus est, quin facilè colligat tum reliquam fuisse Ecclesiam quæ non agnosceret aut Papam, aut Papistica esset. Cum Synodus Constantinopolitana III. quæ fuit Oecumenica præcedenti proximo seculo opposuerit se Papæ, ac doctrinæ ejus; & Synodus Ravennatensis publicè cremare ausa fuerit acta Stephani VI. Papæ, quòd ut ipse Platina judicat, *pontifices à vestigiis Petri discesserant.* Vnde certò colligi potest multos adhuc superfuisse, quibus displicebat Papæ tyrannis, & nova doctrina. Si verò Doctores desideret Fromondus, qui docuerint contra Papam, & ejus perniciosa dogmata. En seculo octavo, & nono *Bedam, Albinum Alcuinum, Adelbertum, Clementem Scotum, Samsonem, Sidonium Laureacensem, Virgilium Salisburiensem Episcopum, ipsum Carolum Magnum, Claudium Taurinensem Episcopum, Ioannem Scotum Erigenam, Bertramum, Otfridum VVissenburgensem, Huldericum Episcopum Augustanum, Haymonem Halberstadensem, Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem, Ambrosium Ansbertum, Angelomum* aliosque, ex quibus nemo vel unum Papalem articulum confirmatum in conciliabulo Tridentino sub fulmine anathematis, observandum esse docuit. Omnes verò aut apertè Papæ se opposuere, aut in multis à doctrina ejus dissenserunt. Nec quicquam ad rem facit eos de multis articulis aliter docuisse, ac nos hodie. Sufficit eos in fundamentalibus dogmatis nostros fuisse. Et quorsum tam præcisè per omnia consensum urgent Papani, cum ipsi ne unum quidem Doctorem aut Scriptorem ostendere possint, qui intra mille & ducentos annos post partum virgineum, ita per omnia senserit in ipsis dogmatis, & doctrina, ut statuit & definivit dissonum conciliabulum Tridentinum. Dein omissis aliis omnibus circa unum Rabanum Maurum Voetium exercere studet. Ita enim dicit pag. 215. *Et quæ etiam insomnia tibi mentem alienaverunt, dum scripsisti Rabanum*

istum

istum Maurum, ex Abbate Fuldensi Archiepiscopum Moguntinum, clarissimum illius seculi sidus, & Theologorum verticem, in Eucharistiæ mysterio vobiscum adversus Ecclesiam Romanam erravisse? Resp. 1. Itane Rabanus est Theologorum vertex? Atqui Thomas VValdensis, quem saltem Rabani scripta legisse puto, quæ non vidisse videtur Censor noster, in Epistola ad Martinum V. eum inter hæreticos refert. 2. Quod ignoraverit Rabanus absurdam, & stultam Transsubstantiationem, & idem de Eucharistia docuerit quod nos, ex pluribus locis ostendi posset, duo tresve in præsens instar omnium erunt. lib. de Sacram. Eucharist. cap. 41. *Sed quia illum* (nempe Christum) *secundum carnem oportuit cælos penetrare, ut per fidem illuc in illo renati confidentius appeterent, reliquit nobis hoc sacramentum, visibilem figuram, & characterem carnis, & sanguinis, ut per hæc mens nostra, & caro nostra ad invisibilia & spiritualia capescenda, per fidem uberius nutriatur.* Idem de Instit. Cleric. lib. 1. cap. 31. *Ait ergo ipsa veritas: caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Verè scilicet caro Christi est cibus, quia verè pascit, & ad vitam æternam hominem nutrit: & sanguis ejus verè est potus, qui animam justitiam esurientem, & sitientem satiat.* Et de Sermone propr. lib. 5. cap. 11. *Ergo quia panis corpus confirmat, ideo ille corpus Christi congruenter nuncupatur. Vinum autem quia sanguinem operatur in carne, ideo ad sanguinem Christi refertur.* Sed dubitabit fortè quis, an etiam in sana hac doctrina constans manserit Rabanus. Vellet hoc quidem dictator ignorantiæ, Spectabilis Dn. Fromondus. *Audi*, inquit p. 215. *brevem ab eo ejus mysterii confessionem, & os comprime. Hæc duo, inquit, panis & vinum, dum sunt visibilia, sanctificata tamen per Spiritum sanctum, in Sacramentum divini corporis transeunt.* ô simplex ignorantia! putabam hæc verba nobis per omnia favere. Qualis hic Doctor Theologiæ, discernere nescit adversariorum argumenta à suis. Dicit Rabanus *panem & vinum transire in sacramentum divini corporis.* Si transeunt in sacramentum, non transeunt in substantiam. Sacramentum est in genere signorum, ut ego quidem devotus tiro hactenus credidi. Quis unquam verò, præter Fromondum, ita seriò & sponte insaniit, ut dixerit signum idem esse cum ipsa re. Si Logicus aliquis puer tantum solæcismum commisisset, judicarem eum virgis esse objurgandum. Sed quid elato, ac tumido Doctori faciemus? Nolis eum ornabimus, & Anticyras ablegabimus. Quæ de cruce, dein de Romano idolo culto à Rabano garrit, vana, & præcedentibus similia sunt.

V. Adduxit inter alios Voetius, qui orthodoxam sententiam de Eucharistia in media barbarie, & ignorantia defenderunt seculo octavo, & nono, Ioannem Erigenam, & Bertramum, dolet hoc Fromondi oculis, eoque ita pag. 216. ineptit: *Non abnuimus tamen quosdam alios nono isto seculo, ut Ioannem Erigenam Scotum, & Bertramum perperam de Eucharistiæ negotio quædam scripsisse; sed eorum errorem Paschasius Ratbertus Abbas Corbeiensis doctissimo libro de corpore & sanguine Domini illico sic oppressit, ut toto seculo decimo, publicum ob ea impietate silentium in universa Ecclesia fuerit.* Resp. Conjectura tantùm Fromondi est, quod Ioanni Erigenæ & Bertramo nulli adhæserint. Quis credat tam celebres Doctores, à nullo fuisse auditos? & divinam veritatem solummodo paucis esse receptam? Sed contradicere videtur Paschasius? at tantùm videtur: nec Paschasius tantæ authoritatis, aut eruditionis est, ut ei necessariò credere debeamus. Fateor oblocutus est Bertramo: sed ita ut non patrocinetur ubique stultæ transsubstantiationi. Dum errores defendit, volens nolens sæpe patrocinatur veritati. Lib. de corpore & sang. Dom. inter alia dicit: *Diligenter intelligere oportet, & spiritualia sacramenta palato mentis, & gustu fidei dignè percipere,* &c. Et ibid. cap. 4. *Reliquit nobis hoc Sacramentum Christus, visibilem figuram, & characterem carnis, & sanguinis, ut per hæc mens nostra & caro nostra ad invisibilia, & spiritualia capescenda per fidem uberius nutriatur.* Si hæc possis, Fromonde, cum Transsubstantiatione conciliare, statuam & credam idem esse lucem & tenebras, veritatem ac mendacium. Quod verò ex seculo decimo non adducantur ex nostris aliqui, qui Bertrami sententiam publicè defenderint, imputandum est obscuritati scriptorum, & injuriæ temporum. Bellarminus qui per secula distribuit scriptores Ecclesiasti-

 cos,

cos, ſeculo decimo, decem tantùm in univerſum invenire poteſt, quibus annumerat etiam Marcum Eremitam, qui quia in multis nobis favet, libenter incauto lectori perſuaderet eum ab hæreticis, hoc eſt, nobis corruptum eſſe. Pergit. *Ioannes Erigena,* inquit pag. 216. *ſaniori menti redditus, & S. Benedicti in Anglia factus Monachus, juxta monaſterium Malmeſburienſe graphiis puerorum, quos erudiebat, confixus interiit.* Reſp. Mendacium eſt Fromondi, quod unquam Ioannes Patrike Erigena, malè à quibuſdam Scotus cognominatus, fuit enim Anglus, domo Menevenſis, ſententiam mutaverit, & veritati renunciaverit. Nec dicunt hoc VVilhelmus Malmeſburienſis, aut Ioannes Major, ut libenter incauto lectori perſuaderet. Hoc tantùm dicunt, eum graphiis ab ingratis diſcipulis confoſſum eſſe. Ipſe verò Genebrardus, qui uſque ad extremum ſpiritum infeſtiſſimus nobis fuit, *in Liturgiam Dionyſii* à diſcipulis eum interemptum dicit, quòd malè ſentiret de Euchariſtia. Ad hoc ſi revocaſſet Erigena ſententiam, quo jure potuiſſet Concilium Vercellenſe anno 1050. ejus libros rogo adjudicare. Vide ſis Lector, præter Malmeſburienſem, & Ioannem Majorem à Fromondo citatos, amplius Vincentium lib. 24. cap. 24. Antoninum parte 2. tit. 16. cap. 2. §. 3. Platinam, Trithemium, & Petrum Crinitum de honeſta diſciplina lib. 24. cap. 11. & cognoſces non tantùm abſurdum, ſed mendacem etiam Fromondum eſſe. Nondum ſatur erat mendaciorum, & calumniarum, eòque hanc laciniam attexit pag. 216. *Sed Ioannes Erigena, Bertramus, & ſi qui alii fuſci, & nebuloſi nominis nebulones, homunciones integram Eccleſiam veſtram Catholicam (ut ridiculè appellatis) vobis facere, & concinnare non poſſunt.* Reſp. 1. Immodeſtia ſcuticâ digna. Erigena, & Bertramus nebulones? ubi pudor! ubi verecundia! Sed contemnendi ſunt aſini crepitus. De utroque aliter ſentiunt doctiores, & ſcriptores ejus ſeculi. Erigena Hebraicè, Arabicè, & Græcè fuit doctiſſimus, & adhuc pædagogus filiorum regis Alphredi, & ex primis Academiæ Oxonienſis profeſſoribus, ut docent authores modò citati. Qualis autem moribus fuerit, indicat ejus Epitaphium quod occurrit apud Vincentium, & Antoninum.

Clauditur in tumulo ſanctus ſophiſta Iohannes,
Qui ditatus erat jam vivens dogmate miro,
Martyrio tandem Chriſti conſcendere regnum
Quo meruit. ſancti regnant per ſecula cuncti.

Quod ad Bertramum verò, fuit is preſbyter, & teſte Trithemio in libr. de Scriptor. Eccleſiaſt. ſacerdos bene verſatus in ſacra Scriptura, & inſignis probitatis, & eruditionis. Nebulonem præter Lovanienſem Cerberum, eum vocavit nemo. Si quid autem in vita ejus cenſoria nota dignum fuiſſet, non ſiluiſſet hoc ejus adverſarius Paſchaſius. 2. Inſigniter quoque nugatur, fingens Erigenam & Bertramum nobis conſtituere Eccleſiam. Eos ut teſtes Eccleſiæ, non ut Eccleſiam adducimus. Si verò duos Fromondus adducere poſſit, qui primis tribus ſeculis æquè fervidè ac conſtanter pro dogmate aliquo merè Papali, atque hi pro veritate aſſerenda, certaverint, ultrò cedam, & ἀκρόπολιν antiquitatis deſeram.

CAPVT XL.

Seculo decimo nota fuit doctrina noſtra. Occurritur Fromondi ineptiis. Vindicatur quoque ab ejus calumnia pientiſſimus Dn. de Pleſſis.

I. Ervenimus ad ſeculum decimum, quod perquàm libenter nobis extorqueret Cenſor; ſed ut ut in omnes partes & formas ſe vertat non tamen evertere poteſt ea, quæ à Voetio non minùs verè, quàm ſolidè dicta ſunt. I. Quod nobis initio p. 218. de Papis multis ſceleribus coopertis dat, avidè amplectimur. Si enim tum, ut hodie, Papa ſignificavit Eccleſiam, nemo integrâ conſcientiâ in ſymbolo ſuo profiteri potuit: *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam.* II. Dicit pag. 218. *A Bertramo enim, & Ioanne Scoto, ac paucis aliis, intra ſeculum nonum quod præceſſerat extinctis. Sacramentariæ veſtræ hæreſis, uſque ad ſeculum, & Leutherici Epiſcopi Senonenſis, ac Berengarii Archidiaconi Andegavenſis tempora, grande ſilentium fuit.* Reſp. 1. Si probari poſſit quemquam ſeculo decimo idem de tranſſubſtantiatione docuiſſe, quod hodie docet factio Papana, totum dabo. Cur diſcipulos & ſucceſſores Bertrami non adducamus, ſupra ex penuria Scriptorum, qui ſeculo decimo

decimo floruêre ostendimus. 2. Conradus Bruvvilerensis apud Surium tom. 2. Vitæ Sanct. April. 22. in vita S. VVolphelmi, & Sigebertus in Chron. ad annum 1051. disertè annotant *ante Berengarium, à multis* fuisse disputatum, an hostia foret corpus Christi. Vnde liquet Erigenam, & Bertramum discipulos quos reliquisse, nec veritatem cum iis occidisse. III. Conjunctim Voetium & incomparabilem Plessæum pag. 218. 219. & seqq. invadit, quod controversiam Arnulpho motam, & concilium Rhemense contra Papam in nostrarum Ecclesiarum patrocinium advocent. Mirandum autem in tot verbis nihil rationis inveniri. Ex Spondano, & Baronio suo, historiam narrat, simul & ridet. Et sic se Plessæum de gradu deturbasse existimat. Pag. 219. dicit; *Attamen nec in schismaticis istis ullum causæ tuæ patrocinium, mi Voeti, nulla doctrinæ vestræ successio ostendi potest.* Magnum etenim patrocinium. Rhemense concilium convenit inconsulto Papa: nec ejus spiritu, aut arbitrio directum est. Immo Arnulphus Episcopus Aurelianensis, cùm quæreretur foretne Arnulphi Rhemensis causa deferenda ad Ioannem XV. gravi oratione id dissuasit, omnesque edocuit Cathedram Petri, non à Doctoribus, sed monstris tum temporis teneri, & aliquamdiu occupatam fuisse. Vide quæso, Lector, ejus orationem super illud seculum longè disertissimam, citat eam integram pene præstantissimus Plessæus in Mysterio iniquitatis ad annum 991. Inter alia hæc dixit Arnulphus Aurelianensis: *O lugenda Roma, quæ nostris majoribus clara patrum lumina protulisti, nostris temporibus monstrosas tenebras futuris seculis famosas effudisti!* & paulò post: *Num talibus monstris hominum, ignominiâ plenis, scientia rerum divinarum vacuis, innumeros sacerdotes Dei per orbem terrarum, scientiâ, & vitæ merito conspicuos, subjici decretum est? Doleo Ecclesiam tam fœdè deturpatam esse, ab iis qui eam regunt. Quid hunc, reverendi Patres, in sublimi solio residentem, veste purpureâ & aureâ radiantem, quid hunc esse censetis? Nimirum si charitate destituitur, solâque scientiâ inflatur, & extollitur, Antichristus est in solio Dei residens,* &c. Illud ergo inde evincimus, obstitisse aliquos Papæ, & jam tum cognovisse eum Antichristum esse. Remove verò Antichristianismum, remove Papam chimæricæ Ecclesiæ caput, quid amplius pro Catholico nomine superest? Vt eluat hanc maculam Fromondus, nescio quot non verba cumulat: Summa eorum, quæ habet pag. 220. & 222. 223. huc redit, *tantùm morum fuisse pravitatem*: per quam rimam Baronius quoque, & Genebrardus elabi nituntur. Sed perquam puerilis hæc mihi exceptio videtur. Ipse Baronius fatente Fromondo pag. 222. ex Abbone Abbate Floriacensi narrat, aliquos palam seculo decimo concionatos fuisse, post seculum illud elapsum, venturum esse Antichristum: cumque Romæ sedere non ignorarunt Episcopi in Synodo Rhemensi congregati: si ergo Papæ in moribus tantum eo seculo erraruntt, hoc sequitur, quod falsissimum & absurdissimum est: Antichristum, qui stabit ἀντὶ Χριστοῦ, & cum eo certabit, & contendet, erraturum tantùm esse in moribus. Miror hæc non vidisse Baronium, nec de alio collyrio cogitasse. Dein ipse Fromondus dicit pag. 234. *Mores ex doctrina oriri solere.* Si ergo in sede cognoscit morum ἀταξίαν cur non doctrinæ etiam; aut neget axioma suum, quod contra miseros Petrobrusianos, & Henricianos vibrare laborat. Has duas responsiones si solidè diluerit, dabo Papam tantùm in moribus errasse. Quæ de sede, & Ecclesia, ejusque immobili stabilitate postea garrit, ineptissima sunt, & aliquoties supra refutata. Ridiculus autem Genebrardus est, quem & Bellarminus sequitur in Chron. quando in Chronol. ad annum 900. vitiis pontificum, & cleri opponit virtutes regum, & conversiones scilicet, nec non institutiones Episcopatuum. Quasi verò Paparum sceleribus patrocinentur, justitia, & integritas regum; aut ruinæ Babylonis, invicta constantia regni Galliarum; aut Genebrardi mendaciis, veritas sacræ Scripturæ; aut denique deliriis Fromondi, sapientia, & dexteritas Augustini, in cujus lectione impalluit, scilicet.

II. Cumulat dein multa adhuc, sed omnia ea aliena sunt, & tantùm λόγοι, ac furibundi Papicolæ vertigines. Pag. 221. *Nullibi,* inquit, *vestigium, aut volam Ecclesiæ tuæ Chimericæ, ubique fidei nostræ Catholicæ, & auctoritatis Ecclesiæ*

Romanæ, quamvis suorum Pontificum moribus deformatæ, evidentissima signa reperies. Resp. 1. Contrarium ostendimus antè ex Concilio Rhemensi: nec quicquam ad rem facit, quod postea contra decreta Arnulphus in sedem pristinam fuerit restitutus, & ei sponte cesserit Gerbertus, non verò ut Fromondus mentitur, depulsus fuerit. Nec enim hoc factum est reverentiâ Pontificis Ioannis XV. Cessit Gerbertus tum reverentiæ Ottonis III. Imperatoris cujus fuerat præceptor, qui etiam Ravennatensem Episcopatum ei procuravit, tum etiam ut placaret Hugonem, cujus filium Robertum erudierat. Papæ nullus respectus fuit. 2. Ne glorietur nimium Fromondus, invenimus hoc seculo aliquos, qui in fundamentalibus dogmatis contra principia Papatus idem nobiscum sensere & docuere. Remigius Monachus Antisiodorensis, quem floruisse existimat Bellarminus, circa annum 890. ad seculum autem decimum pervenisse liquet ex Frodoardo, ita in Psalmum 10. commentatur: *In domino confido, id est, tota fides mea in Christo est, per illum solum credo me justificari, & salvari: ille est mihi mons, ille refugium.* Quid apertius dici posset contra merita bonorum operum, & incertitudinem fidei? Radulphus Flaviacensis, qui secundum Bellarminum vixit circa annum 910. in præf. lib. 14. in Levit. apertè dicit libros Tobiæ, Iudith & Machabæorum, *etsi legantur ad ædificationem Ecclesiæ, non tamen habere perfectam authoritatem.* Idem non agnovit authoritatem Ecclesiæ, dependentem à Domino Deo Papa. Sic enim scribit in præf. Levit. *Singulare*, inquit, *fidei firmamentum in Scripturis habetur, dum hoc luce perspicuâ nostris temporibus videtur expletum, quod ante millia annorum præsignatum, & prænunciatum intelligimus, tum Patrum sacramentis, tum Prophetarum oraculis.* Quantus autem amicus fuerit operum supererogatoriorum liquet ex eodem commentario lib. 1. cap. 1. *Vix bonum opus compleri potest sine alicujus peccati admixtione, metuendum itaque est ne, dum completæ remunerationis devotio expectatur, à nobis etiam reatus admixti pœna exigatur.* Primos etiam concupiscentiæ motus, peccata esse scivit. Ita quippe scribit in Levit. l. 8. cap. 4. *Ante consensum peccatum quidem est in partu, & incipit jam nasci, sed non est completum, & perfectum.* Quid quod ipse Paschasius, qui ad hoc seculum usque vixit, & quem superiori capite, veluti terribilem leonem nobis Censor opponebat, non ut hodie Papana factio septem, sed duo tantùm sacramenta, Baptismum nempe, & Eucharistiam cognoverit. Ita enim in libr. de Corpore & Sang. Domini cap. 3. loquitur: *Sunt autem Sacramenta Christi in Ecclesia, Baptismus & Chrisma, corpus quoque Domini, & sanguis.* Ad quem locum etenim, Lovanienses Editores Anni 1561. risum mihi moverunt. In margine enim notant *Tria Sacramenta.* Quasi verò Chrisma novum & tertium Sacramentum constituat. Quis enim ita peregrinus est in antiquitatibus Ecclesiasticis, ut ignoret chrisma & inunctionem ex ritu supervacuo adhibitam fuisse in baptismo, & velut medium præparatorium extitisse ad luctandum & certandum cum diabolo. Nazianz. Orat. 40. Chrys. hom. 6. in Coloss. Ambros. de Sacram. lib. 1. cap. 2. & ut propius ad ætatem Paschasii accedam Rabanus Maurus lib. 1. Inst. Cleric. cap. 28. dicit: *Per Chrismatis unctionem in baptismate, Spiritus sanctus virorem confert fidelibus cælestis gratiæ.* Et hæc quidem ὡς ἐν παρόδῳ. Habes jam, Fromonde, professores Calvinianæ doctrinæ. Sed dices eos tamen Papistas fuisse. Si hoc posses probare, plus præstares, quàm in undecim illis vastis tomis Cæsar Baronius. Fateor quid papistici docuerunt, papistæ tamen non fuerunt. Papismus enim novus admodum est. Pergerem ad sequentis capitis examen (quæ enim de sede Antichristi, quæ aliquando Avenione fuit constituta pag. 223. garrit frivola, & puerilia sunt) sed offert se intoleranda jactantia, & calumnia. Voetius pag. 625. inter alios, qui non serviebant, & adhærebant Antichristo, recenset etiam *Separantes quosdam qui solitariè & privatim Deo suo serviebant, idque quia aliter non poterant.* Ad ea ita jactabunde respondet Censor pag. 221. *Nempe quia ejusmodi privatas synaxes, & domesticos fidelium conventus, in Hollandia fieri audisti, & sentis, dubitare non potes, quin tui olim imaginarii reformati, de quibus nulla usquequaque sub cælo memoria, iisdem Catholicorum nostrorum artibus usi fuerint.* Quis in hunc mulum fuste non

involaret

involaret si daretur. *Sentis*, inquit, *privatas fidelium in Hollandia synaxes.* Quis ferat hæc? Per conniventiam tolerat, utinam verò nunquam tolerasset! Amplissimus noster Magistratus privata conventicula candatorum Catholicorũ, & domesticam idololatriam. Quasi autem ex pacto aliquo hoc iis deberetur, audent ingratissimi asini illud exprobrare ministris Ecclesiæ. O si ad hæc animadvertant nostri Ephori, & sacro aliquando Asę & Ezechię zelo omnia idola, & altaria confringant, Baalisque sacerdotes, qui ad catadupa æternæ perditionis fallaciis, & blandiloquentia multas simplices animas pelliciunt, provinciis suis exterminent. Enimvero non est flagitium per domos, & conclavia ire, ac confringere altaria, & idola: sed scelus, & tyranni est, inquirere biblia, & sacra volumina, eosque penes quos illa reperiuntur, ut quotidie adhuc in Papatu fit, ad carceres primo, deinde ad rogum trahere. Denique venenatâ suâ linguâ summum virum & nobilissimum Dn. de Plessis transfodere satagit. Ita enim pag. 224. dicit: *Frustra igitur abjecto calamo, senecio Plessæus tam calide gladiolo suo, venabuloque se accingit, ut Serenissimum Iacobum VI. Magnæ Britanniæ Regem in Italiam, ad bestiæ Apocalypticæ venationem comitetur.* Et dein excerpit quædam ex præf. Myst. Iniquitatis, in quâ serenissimum regem Iacobum piæ memoriæ adhortatur ad perdendam Babylonem. Quibus hæc subjicit; *Miselle homuncio, vereor ne doloribus, & Stygiis jam aquis potius immergaris, & pœnas inexpiabilis odii luas.* Resp. Quorsum hæc petulantia? *senecio* per contemptum vocatur Nobiliss. & doctiss. Plessæus? Sapientissimus Salomon Prov. 16. vers. 31. dicit, *Canitiem esse coronam ornatissimam.* Eam tu canis insectaris, & Plessæo divinam benedictionem, longamque ætatem invides. Quorsum etiam, ater bulo inquietas cineres Plessæanos? Tu vermis, cur Dei thronum, ac officium invadis, & ante tempus judicas? Quid Stygiis undis eum adjudicas, qui piè, & placide in domino obdormivit? In sinu Abrahæ requiescit Plessæi anima, utinam vel hoc momento, Deus, si ita ei placeat, tabernaculum hoc terrestre dissolvat, & animam meam Plessæo jungat. Despicerem supernè omnia mortalia, & jugiter cum omnibus sanctis sacrificium laudis offerrem Servatori meo. Tu verò, Fromonde, vide sis quæso, ne conscientiæ tuæ vim facias, & simul cum Antichristi magna illa meretrice, quæ te inebriavit vino intoxationis suæ, damneris. Si quis verò mihi fidem adhibere nolit, de pio Plessæi excessu videat is quæso historiam mortis ejus aliquoties Galliæ editam, & testimoniis ipsorum Papistarum corroboratam.

CAPVT XLI.

Seculo undecimo plurimos invenimus testes doctrinæ nostræ. Vindicantur à variis calumniis Berengarius, Petrus Brusius, Tanchelinus, item Petrobrusiani, & VValdenses. Respondetur ad caput XXXIX. *&* XL. Crisios.

I. SVccedit undecimum seculum, hic Berengarium, Petrum Brusium aliosque quàm plurimos numeramus: ut non diffitetur quoque Fromondus, qui in eo totus est, ut ostendat eos aut non eandem cum nostra doctrinam defendisse, aut nullos discipulos habuisse. Initium autem facit à Berengario diacono Andegavensi, quem omnibus viribus nobis extorquere laborat. I. pag. 225. dicit: *Berengarius non tantùm vobiscum circa Eucharistiam, sed etiam circa Matrimonium, & Baptismum parvulorum malè sentiebat.* Resp. 1. Demus, de quibusdam articulis fluctuasse Berengarium, quid inde efficietur? & Cyprianus de Anabaptismo errorem fovit? sed DD. Papani, in commentitiis Patribus, & scriptoribus, quos ipsi cuderunt, ad defendendam absurdam theologiam, nævos, & errores excusare coguntur. 2. Quamvis quidam ex nostris sic scripserint, ex nullo tamen alio Scriptore coætaneo, quàm Guitmundo lib. 1. de Sacramentis, illud confirmari potest. Quis verò tantùm uni superstitioso Episcopo deferre velit. Sane nec à Papis, nec à Synodis, quæ contra Berengarium convocatæ fuerunt, errores hi ei objecti sunt, aut condemnati, ut annotatum quoque à Voetio est in Desp. Causæ pag. 671. II. ita dicit pag. 225. & seq. *Quædam etiam arroganter, ac schismaticè, in libris S. Hilarii de Trinit. scribit coætaneus ejus, Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis.*

riensis. Resp. 1. Quid in Hilarii libris de Trinitate condemnasse Berengarium, nusquam scribit Lanfrancus: si legerit apud eum Fromondus verba adducat, fatebor eum me oculatiorem esse. 2. Absurdissima est hæc consequentia: *Condemnavit quædam Berengarius in lib. Hilar. de Trinit. ergo favit Arrianismo.* Quasi verò non alia doctissimo illi scripto immisceat Pictaviensis pontifex. Si quid in Hilario improbavit Berengarius, improbavit illud argumentum quod occurrit lib. 8. Trinit. ubi probat filium substantialiter esse cum patre, quia nobiscum substantialiter est in Eucharistia. Vt non obscurè colligere mihi videor ex Guitmundo lib. 3. de Sacram. ubi acriter, sed tamen frustra, dictum Hilarii argumentum urget. III. pag. 226. dicit: *Non etiam circa invocationem sanctorum, orationes pro defunctis, operum necessitatem, fidem justificantem vobiscum erravit, sed nobiscum orthodoxus fuit.* Resp. Si probationem flagitaremus, eam adferre non posset Censor. Nisi scripta Berengarii flammis atrocibus essent consumpta, facilè quid de consensu ejus nobiscum, in aliis articulis doctrinæ adferre possemus. IV. *Denique,* inquit, *hæresin vestram Sacramentariam sub tribus Pontificibus Victore II. Nicolao II. Gregorio VII. publicè abjuravit.* Resp. 1. Fateor Berengarium postquam primùm à Leone IX. in Synodo Vercellensi, deinde à Victore II. in Synodo Turonensi irrito conatu oppugnatus esset, tandem à Nicolao II. blandis & fallacibus verbis Romam pellectum, & partim minis, partim promissis tam diu quassatum fuisse, donec tandem ex humana infirmitate, abjuraret doctrinam, quam eo usque strenuè defenderat. Talis tamen formula palinodiæ ejus est, quæ occurrit de Consecrat. Distinct. 2. can. Ego Berengarius 42. ut de ea Ioannes Semeca author glossæ scribere coactus sit; *Nisi sanè intelligas verba Berengarii, in majorem incides hæresim, quàm ipse fuerit.* 2. Ipsi Papani Scriptores fatentur eum nunquam revera, & ex toto animo abjurasse sententiam suam de Eucharistia. Baron. tom. 11. ad annum 1088. §. 15. Pegna in 2. parte Directorii. 3. Ipse Berengarius stomachatus fuit in Leonem IX. quòd in Vercellensi Concilio ab eo damnatus esset. Ex re verò est hæc narrantem audire Guitmundum lib. 1. de Sacram. eò maximè quòd quæ subjiciam verba malâ fide ex postremis editionibus ejecta sint, comparent autem in Edit. Lovaniensi anni 1561. Ita verò Guitmundus loquitur pag. 31. *Cumque jam defunctum sanctum Leonem Papam, & sanctos viros, qui interfuere Concilio, maledicis verbis, & scriptis lacessere non desineret, sanctissimum illud, ac reverendissimum Ecclesiæ Dei speculum, summum non Pontificem, sed pompificem, atque pulpificem vocans, eumque infatuatione Lanfranci infatuatum, concilium vanitatis adunasse blasphemant.* V. & postremò ita in Berengarium invehitur: *Ac tandem nonagenarius senex, actâ præteritorum pœnitentiâ, die Epiphaniæ, circa ann. Dom. 1088. his verbis immortuus est. Hodie in die Apparitionis suæ, apparebit mihi Dominus meus Iesus Christus, vel ad gloriam, sicut spero, propter pœnitentiam meam, vel ad damnationem, sicut formido, propter aliorum corruptionem, quos ad vitam veritatis reducere non potui.* Resp. 1. Falsum est, unquam seriò pœnituisse Berengarium defensæ veritatis; pœnituit eum infirmitatis, & revocationis, ut modò ostendimus. 2. Suprema ejus verba relata apud Malmesburiensem, Antoninum & Gersonem, minimè arguunt, pœnituisse eum oppugnati erroris in Eucharistia, sed potius eum pœnituisse, quod tam lubricus, & inconstans fuisset in professione veritatis, & tot infirmis fratribus scandalum, & offendiculum præbuisset. Et ita Berengarium contra calumnias Fromondi defendimus. Nota verò, Lector, ipsos Papanos DD. fateri, Berengarium idem per omnia de Eucharistia docuisse, quod nos hodie: hinc & Calvinianos, Berengarianos vocant. Vide Gab. Prateolum in Elench. Hæres. Iesuitam Serarium in Trihæres. lib. 1. cap. 5. Ad hoc Mathæus VVestmonasteriensis ad annum 1030. testatur, quod Berengarius omnes pene Gallos, Italos, & Anglos errore suo seduxisset, & Baronius Annal. tom. 11. ad annum 1035. mentionem facit Brunonis Episcopi Andegavensis, addicti sententiæ Berengarianæ. Quod ideo observandum, quia quidam ex Papanis existimant solum Berengarium orthodoxæ sententiæ patronum fuisse.

II. A Berengario ad Petrum Brusium, &

Tanche-

Tanchelinum transilit. De Tanchelino postea. Petrum Brusium & ejus socium Henricum Tolosanum, ex Petro Abbate Cluniacensi, & Bernardo, quos legit apud Baronium desormare, ne nostri sint laborat. I. pag. 226. ex Cluniacensi narrat eos non tantùm realem præsentiam in Eucharistia oppugnasse, sed etiam negasse *Sacramentum speciem ac figuram fuisse*. Resp. Inepta est hæc criminatio. Non hoc docuere viri orthodoxi, sed ipse Cluniacensis malè illud ex eorum sententia, ut aliquod absurdum elicere laboravit. Eos oppugnasse stultam opinionem de reali præsentia fatentur Antoninus pag. 4. tit. 11. cap. 7. Prateolus, Luxenburgius, Hosius lib. de Sacrif. Missæ. aliique Missam etiam, & reale sacrificium eos negasse, ex Cluniacensi fatetur Baronius ad annum 1137. nec non ipse Fromondus infra pag. 228. II. Dein ex Cluniacensi ordine eorum hæreses enarrat. pag. 227. dicit; *Primum, negant parvulos infra intelligibilem ætatem constitutos, Christi baptismate posse salvari; nec alienam fidem posse illis prodesse, qui suâ uti non possunt*. Resp. Ipse Cluniacensis fatetur se non satis adhuc edoctum fuisse, de erroribus Petri Brusii. *Sed quia*, inquit, *eum ita sentire, vel prædicare nondum mihi plenè fides perfecta est, differo responsionem, quousque & horum quæ dicuntur indubiam habeam certitudinem*. Eoque non omnia implicitâ fide recipienda sunt, quæ ab eo dicuntur. Fortè fuit deceptus, & idem ei evenit, quod Gabrieli Prateolo, qui enarraturus errores Calvini, inter alia dicit, eum cum Manichæis docere infantes non esse baptizandos. Quod tamen est falsissimum, ut quivis novit. Sed adducit etiam infra pag. 231. ad idem probandum Bernardum serm. 66. in Cant. Quid tum vero? unde probabitur Bernardum eo loco agere de Petrobrusianis. Ipse Gretzerus in Mysta Salmuriensi pag. 338. hoc negat. III. Ita ex Baronio pag. 228. scribit: *Secundò, dicunt templorum, vel Ecclesiarum fabricas fieri non debere, factas insuper subrui oportere*, &c. Resp. Suâ fide hæc ex Petro Cluniacensi excerpsit Baronius. Vide quæso Lector ipsum Cluniacensem pag. 1153. & seq. & ex uno illo documento disce, quantum deferendum sit citationibus Baronii. Perspicuè ostendit Cluniacensis, Petrobrusianos docuisse, *quòd templa non consistant ex ligno, & lapide, quod in omni loco Christo mundum sacrificium offeratur. Quòd hora venit, quâ neque in monte, neque Hierosolymis pater invocabitur, sed quòd veri adoratores, Deum invocabunt in Spiritu, & veritate. Quòd Deus non habitet in templis manufactis*. At quàm hæc diversa? Non mirum hoc exprobrari à Baronio Petrobrusianis, idem per summam calumniam objicere non erubescit VViclefo, & Thaboritis, nec non Lutheri quoque, & Calvini doctrinæ Bellarm. Controv. Generali 7. tom. 1. lib. 3. de cultu sanctorum. Quasi verò doctrinæ nostræ objiciendum sit, eam docere templa evertenda esse, quod alicubi petulantes quidam milites, sæpe Papani, ea aut incenderint, aut demoliti fuerint. IV. Pergit, & ita ex Baronio ineptit: *Tertiò cruces sacras confringi præcipiunt, & succendi, quia species illa, vel instrumentum, quo Christus tam dirè tortus, tam crudeliter occisus est, non adoratione, nec veneratione, vel aliquâ supplicatione digna est*. Resp. Implicat, & obscurat statum controversiæ Cluniacensis, ut quivis si eum legat, facilè animadvertet. Non enim disputatum est à Petro Brusio de cruce, sed adoratione illius, & quia videbat eam instrumentum esse adorationis, docuit eam, ubicunque esset constituta, excandicandam, & cremandam esse. ut fecit etiam pius Ezechias rex 2 Reg. 18. vers. 4. cùm serpens æneus erectus à Mose in deserto, idololatricè invocari cœpisset. V. sic dicit: *Sacrificia, orationes, eleemosynas, & reliqua bona pro defunctis fidelibus facta derident, nec ea aliquem mortuorum vel in modico posse juvare affirmant*. Resp. Benedictus Deus qui illuminavit oculos servorum suorum, usque in altâ surgentium errorum nocte veritatis pharum ostendit. Quæ Baronius, & ejus compilator Fromondus in Petro-Brusianis ut hæreses insectantur, exosculamur nos, & ut verbo Dei consentanea dogmata amplectimur. Repetit dein ea quæ antea dixerat, de Sacramento, aut signo sacramentali, ab iis negato, & postea pag. 228. & 229. odioso coccysmo, omnia, quæ jam examinavimus tertio adducit & nobis applicat, sed quis ita patiens est, ut ea vel legere velit?

III. Dein ex Bernardo aliisque conquirit fuliginem,

fuliginem, ut tum Petrobrusianos tum etiam VValdenses, qui eos secuti sunt, offuscet. Et quamvis aliquot paginis, & toto sequenti capite quadragesimo, quod ob materiæ similitudinem simul refutamus, hoc agat, nihil tamen proficit. Quærit loliginem, sed invenit nivem, quæ in manibus ejus, antequam nos fricare possit, jam colliquefacta erat. Extrema anchora Bernardus est: Quia ille Manichaismum, flagitia, impuritatem, scelera, & nescio quæ non exprobravit in variis locis Petrobrusianis, ideo scilicet hoc credendum est. Quasi verò Bernardus propheta fuerit, & nusquam mendacium scripserit. Cur nobis idem non liceat dicere, quod Salmero Loyolitæ in Comm. in 5. cap. ad Rom. quando non poterat satisfacere Bernardo, neganti commentitiam prærogativam virginis Mariæ, dixit: *Respondemus*, inquit, *totam devotionem erga Dei genitricem non consistere in Bernardo, Bonaventura, & aliis Patribus.* Ita nos quoque respondemus totam fidem, & veritatem non consistere in Bernardo. Quantum autem ei in hac re deferendum sit, docuit, & ostendit ante me Franciscus Ambrosius Pontificius in Apologia pro Petro Abælardo: excusa Parisiis anno 1616. in ea multis insectatur nimiam vehementiam Bernardi, probatque ex Ottone Frisingensi, quod plus æquo credulus fuerit, & quidvis crediderit, de iis qui Philosophiæ erant addicti. Dein narrat, quod ob rem levis momenti, in prima epistola perstrinxerit Petrum Abbatem Cluniacensem, & postea probat cum ἀλλοτριοεπίσκοπον fuisse, & jus sibi vindicasse in aliena jurisdictione. Lege quæso Lector, ipsam Apologiam, & solidissimè Pontificium ex Pontificio refelles. Locus enim, quia nimis prolixus est, asscribi non potest. Iure ergo Nob. Plessæus, & Cl. Rivetus contra Bernardum exceperunt, pueriles que ineptias prodit Censor, quando pag. 236. sarcasticè, cùm non posset seriò, aut solidè, contra eos ineptit. Quis sanus etenim credat eos, qui libenter se ad martyrium offerebant, ventri & voluptatibus serviisse, non enim solent Epicuræi mortem vitæ præferre. Quæ pag. 238. de Circumcellionibus oggannit, nihil ad rem faciunt, nec nos feriunt. Magna differentia intercedit inter spontaneam, & ambitiosam mortem, ac injustum supplicium. Calani & Laurentii rogus, longissimè distant. Probetur Petrobrusianos semetipsos de saxis præcipites dedisse, aut aliâ aliquâ ratione vitæ filum abrupisse, & ultro dabo eos circumcellionibus fuisse similes, & martyres diaboli. Bernardi Rhetoricæ velitationes apud cordatos, & graves viros nullam fidem inveniunt. Et ita paucis, ac ut opinor, solidè, Petrobrusianos à calumniis vindicavimus. Interim, mi Dn. Fromonde, lege Bernardi considerationes ad Eugenium, & tum judica de ejus fide. Scio, clamabis, te triumphare, & nihil à nobis actum esse, quia multis paginis probavi, quod nos simplici, sed tamen solidâ responsione diluimus. Sed non spero ullum ex Lectoribus, tam iniquè censuram exerciturum esse, ut judicet victoriam semper penes eum esse, qui verbosior, & loquacior est.

IV. Non Petrobrusianos tantùm Manichaismi accusat, sed etiam eorum socios, VValdenses pag. 232. Fateor quidem antiquam hanc calumniam esse, sed tamen talem, quam Papani, nisi extremè impudentes forent, post tot solidas & claras nostrorum Theologorum (quos omnes citavit Voetius in Desp. Causa pag. 662.) responsiones, recoquere non deberent. Manichaismi accusantur miseri, si quæras quare, nullam aliam rationem audies, nisi hanc quòd noluerint agnoscere Dominum Deum Papam, supremum esse Monarcham in Spiritualibus, & temporalibus, & eo præterito obediverint Imperatori. Quisquis hoc non simplici, & devotâ fide credit, Manichæus est. Expostulabit fortè mecum Fromondus, sed simul etiam cum suo S Bonifacio VIII. strenuo illo Papanæ tyrannidis assertore, & infallibili Scripturarum interprete, expostulet. Ita is tonat in Extravagante de majoritate, & obedientia. cap. unam sanctam: *Est autem*, inquit, *hæc authoritas (etsi data sit homini, & exerceatur per hominem) non humana, sed potiùs divina, ore divino Petro data, sibique suisque successoribus in ipso quem confessus fuerit petra firmata: dicente Domino ipsi Petro: Quodcunque ligaveris, &c. Quicunque igitur huic potestati à Deo sic ordinatæ resistit, Dei ordinationi resistit, nisi duo (sicut Manichæus) fingat esse principia, quod falsum, &*

hæreticum judicamus, quia (testante Mose) non in principiis, sed in principio cælum Deus creavit, & terram. Et hic fons, judice ipso Papâ, hujus calumniæ est. Videamus verò argumenta Fromondi. Pag. 229. hoc proponit: *Rogerius Hovedius citatus apud BZovium ad annum 1199. n. 34. in annalibus Anglicanis, ex publicis actis, à conventu Episcoporum, & nobilium contra Albigenses ann. Dom. 1176. & ex aliis sub Legato Apostolico anno Dom. 1178. habitis, hoc collegit.* Resp. Hovedenus ut vir bonus credidit, quòd in triviis vulgò jactabatur. Penitius vulgi fabellam non examinavit. Etenim si convinci potuissent ab Episcopis Anglicanis Manichaismi VValdenses, ejus vestigium aliquod hodie adhuc in eorum confessione compareret. Secundum ejus argumentum occurrit pag. 232. *S. Thomas de Aquino*, inquit, *ad prandium à S. Ludovico Francorum Rege invitatus, & mente à regali convivio, & præsentia Majestatis, ad cogitationes, & imaginariam disputationem adversus novos istos Manichæos alienatâ, subitò velut expergiscens, & volâ mensam Regiam depalmans, Conclusum est, exclamat, contra Manichæos.* Resp. Lepidum argumentum, dignumque cantharo, & tubulo tabacario, & fritillo, Fromondi. Sed quis genius ei dictavit Thomam Aquinatem, tum mente oberrasse circum VValdenses Manichaismi suspectos, & non potuisse ruminari antiquorum Manichæorum, qui vixere seculo tertio, & quarto dogmata, & argumenta. Quando nobis probaverit se Spiritu Prophetico esse præditum, credemus tantum huic argumento deferendum esse, quantum authoritate, & testimonio, privi alicujus Doctoris. At tertium argumentum videtur alicujus ponderis esse? *Quin*, inquit pag. 232. *& Magdeburgenses Lutherani Centuriatores, Catharos, Passagenos, Paterinos, & GaZaros (qui VValdensium fragmina, & laciniæ fuerunt) inter Tatianos, & Martianos hæreticos referunt.* Resp 1. Non tantùm deferimus diligentiæ Centuriatorum, ut eos ab omni errore immunes esse credamus. 2. Centuriatores, ut liquet ex omnibus eorum tomis, & ostendit quoque Voetius pag. 667. & 668. historicos in recensendis hæresibus tantum agunt. Quia à quibusdam VValdenses Marcionitis & Manichæis accensebantur, ipsi etiam, ut historicam narratiunculam referunt. 3. Cathari, Passageni, Paterini, & Gazari, non VValdensium fragmina fuere: sed talia scismatica nomina iis ab adversariis indita sunt. *Passageni* vocantur apud Petrum de Vineis lib. 1. ep. 25. & 27. aut ut loquitur Lutzenburgius *Passagerii*, quia in exilio degebant, & nullas stabiles sedes ob hostium persecutiones habebant. Notissimum enim quid apud Scriptores medii ævi *passagia* significent, & Italicè *Passagiere* sit. Iidem Paterini sunt dicti, aut quod paterentur, ut ex Ivone Narbonensi docet Mathæus Paris in hist. ad annum 1179. aut à quodam loco *Patara* dicto, cujus meminit Sigonius lib. 9. de regno Italiæ, quòd eò convenirent ad docendum. Illos autem, ipsissimos VValdenses fuisse fatetur etiam Gretzerus in proleg. ad succedaneos Scriptores Lucæ Tudensis: quo loco etiam pag. 5. & 6. fusissimè disserit, cur iidem Cathari, aut ut alii volunt Gazari, vel Gazeres dicti sint. Certum ergo est non nisi ab adversariis (qui, quando argumentis, & rationibus destituuntur, ad calumnias provolare solent) inter Manichæos relatos fuisse VValdenses, eorumque confessionem, & doctrinam nihil commercii habuisse cum deliriis antiquorum hæreticorum. Examinetur eorum confessio, nihil enim quod Manichaismum sapiat in ea deprehendetur. Usu venit iis, quod teste Augustino lib. 18. de Civit. Dei c. 51. inter Ethnicos Christianis. Quia errones aliqui illis se immiscuerunt, eorumque nomine se palliarunt, propterea Hæreseos notam apud quosdam incurrerunt. Nec quicquam ad rem facit, quòd quidam eorum etiam doctrinam, proh impudentiam! cum ineptiis antiquorum Manichæorum comparare ausi fuerint. Comparatio illa & falsa & inepta est. Ut V. C. Claudius Cousardus in conf. Error. VValdensium. Et Gretz. in Proleg. dictis cap. 4. exprobrant iis, quòd cum antiquis Manichæis rejecerint vetus testamentum. Sed quàm hoc falsum sit, docet Reinerius Pag. 52. Edit. Gretz. ubi dicit, *eos habuisse vetus & novum testamentũ in vernaculam linguam translatum, & se rusticum novisse qui totum librum Iobi memoriter poterat recitare.* Adhoc idem Reinerius refert: *Nihil eos ut verum recepisse, quod non probaretur ex libris veteris &*

novi Testamenti. Ergo non rejecerunt vetus Testamentum. Idem Cousardus, & Renerius fingunt eos docuisse *impudicitiam præstare conjugio:* & tamen fatentur, eos docuisse ministris Euangelii non esse interdicendum conjugio. Quomodo hæc consentiunt? Objicitur etiam iis, quòd senserint illicitum fuisse carnibus vesci, & tamen Alphonsus de Castro lib. 4. de hæres. ut magnam quam hæresin refert, quod docuerint *non esse peccatum tempore quadragesimæ carnes edere:* quæ iterum contradictione se invicem evertunt. Hæc tantum exempli gratiâ adducere volui, ut Christianus Lector videret, eos immunissimos esse à Manichaismo, & quicquid de eo jactatur, hoc tantùm calumniam esse.

V. Sed fortè nimis diu videbimur aliquibus occupati fuisse in submovendo Manichaismo VValdensium. Voluimus aliquantò prolixiores esse ut omnes scrupulos eximeremus lectorum animis. Convertimus dein nos ad Tanchelinum, aut ut alii eum vocant Tandelmum, vel Tandemum. Gratias verò agimus Fromondo, quòd eum in proscenium adduxerit; Voetius oblitus erat eum laudare. Quis autem hic Tanchelinus fuit? Si Fromondo pag. 227. credimus, hæreticus quis, qui eodem pene tempore quo Petrus Bruys Antverpiæ & in vicinis provinciis Flandria, & Zeelandia cæpit docere contra realem præsentiam Christi in Eucharistia. Aut ut Baronius compendiosè loquitur ad annum 1126. §. 12. *Præcursor sacramentariorum fuit.* Agite mei Belgæ, invenimus aliquem ex popularibus nostris, qui jam seculo duodecimo molitus est Ecclesiam purgare ab inquinamentis Papatus! Sed dicetis multa nefanda de hoc Tanchelmo narrantur. Quid tum? Certè inde liquet eum inimicum fuisse Antichristianismi, & non mediocriter etiam incommodasse ejus lucro & tyrannidi. At audiamus criminationes? Pag. 227. ita ex vita Norberti scripta ab Hugone (quæ extat apud Surium in vita Sanctorum tom. 3. die 6. Iunii) narrat: *Hæreticus quidam miræ subtilitatis, & seductor, Tanchelinus nomine, Antverpiam adveniens, in ea gente locum suæ imposturæ invenit. Erat is omnium hominum sceleratissimus, Deique & omnium Sacramentorum ejus, totiusque religionis ac Christianæ fidei hostis. Ita ut ministerium Episcoporum, & Sacerdotum nihil esse diceret, & sacrosancti corporis, & sanguinis D. N. Iesu Christi perceptionem, ad salutem perpetuam prodesse negaret.* Resp. Quis non videt putidissimis calumniis onerari Tanchelinum? Quisquis obloquitur sacrificis, & Papæ, censetur esse hostis εὐταξίας Ecclesiasticæ, & oppugnare necessitatem ministerii sacri. Item quicunque non agnoscit, aut credere vult, Christum corporaliter in hostia esse præsentem, putatur oppugnare, & negare Sacramenta esse necessaria necessitate mandati. Vidit hoc ipse Baronius, eôque Tanchelinum vocavit *præcursorem sacramentariorum*, ut diximus. Sed immanius flagitium objicitur Tanchelino ab eodem Hugone, referente etiam Censore nostro pag. 229. *Cùm filias, ait Hugo, in matrum præsentia, sponsasque maritis videntibus corrumperet, opus Spirituale id esse asserebat; in tantum, ut infelicem se diceret, qui huic conjunctioni nefariæ misceri non meruisset.* Resp. 1. Calumnia hæc ejusdem notæ est, cum iis, quibus olim sub initium Christianismi gravati fuere miseri Christiani, de quibus videndus est Tert. Apolog. cap. 7. & 35. Stuprasset in propatulo sponsas Tanchelinus, & tamen multi eum sectati fuissent, credat hoc Iudæus Apella. 2. Existimo Norberti antagonistæ flagitia Tanchelino asscribi. Eum enim publicè malè audivisse (ut ut etiam ei patrocinetur Hugo) perspicuè innuit Vrspergensis in Chron. ad annum 1119. ubi verba faciens de Synodo Coloniensi cui etiam interfuit Norbertus, hæc inter alia dicit: *Huic Concilio interfuit Norbertus, postea Præmonstratensis ordinis institutor, tunc autem noviter conversus in peregrino habitu, ibique ab omnibus in multis accusabatur, de quibus se prudenter excusavit. Vnde & scriptum legitur de eo, quia manus horum omnium contra eum, & ipse contra hos omnes.* Et quia ordinis Præmonstratensis author fuit, quis dubitet eum etiam participem fuisse privilegiorum, quæ monachis suis concessit. Principio autem omnibus Præmonstratensium cænobiis, adjuncta fuere cænobia baginarum, quas ut vicinas frequentissimè nimis familiariter & vicinè invisere solent monachi: usquedum Abbas Cunradus circa annum 1276. sanxit, ut in posterum

ſterum baginarum, veluti venenatorum animalium cohabitationem, ſpectantem ſolummodo ad animarum exitium, fugerent. Vt narrat, & probat ex antiquis monumentis Heru. Bruſchius de Monaſteriis Germaniæ pag. 82. Et hæc quidem contra Tanchelinum adfert Fromondus. Alii inter quos etiam eſt Robertus de Monte, Continuator Sigeberti, ſcribunt eum ſumptuoſis veſtibus, quibus aurum erat intextum, fuiſſe amictum, capillos aureis bullis diſtinxiſſe, & penes ſe habuiſſe plus quàm tria millia ſatellitum. Primum mendacium evertit Meyerus, l. 4. Ann. Flandriæ ad annum 1113. ubi de eo refert quòd Brugis, cum ibi in habitu monachali apud ſacerdotes, & populum nimis inſolenter ſe jactaret, ejectus fuerit. Quis credat etiam latera ejus tam frequenti ſatellitio cincta fuiſſe, quandoquidem à monacho, qui cum eo ſolo Scaldim trajiciebat, in navi occiſus eſt anno 1115. ut annotat Meyerus. Quandoquidem autem plurimùm intereſt Eccleſiarum Belgicarum noſſe hunc Tanchelinum, non abs re me facturum puto, ſi ſummatim ejus hiſtoriam, & res memorabiles, ſicut illæ breviter conſignatæ ſunt à viro docto & diligenti D. Auberto Miræo decano Antverpienſi in Chronico Ordinis Præmonſtratenſis, edito Coloniæ Agrippinæ Ann. 1613. excerpſero. Ita autem Miræus l. d. pag. 28.

Antverpiæ (quod oppidum amplum, & populoſum jam tum erat ad Scaldim fluvium) cùm ſacerdos unicus curam univerſi populi gereret, neque paſtorali ſuæ curæ præ ſubditorum multitudine par eſſet, & vitæ etiam improbitate (nepti enim NB. *ſuâ in tertia linea ſceleratè abutebatur) ſuis offenſioni eſſet, ac ſcandalo; Hæreſiarcha quidam mirè verſutus Tanchelinus nomine anno* 1112. *ſe extulit, & populum ſeducendi occaſionem arripuit. Erat autem Tanchelinus vir laicus, multis tamen doctis, etiam clericis, loquendo, & diſputando promptior, atque ut videbatur acutior; ſed homo omnium ſceleratiſſimus, Dei, & Sacramentorum Eccleſiæ, adeoque religionis Chriſtianæ juratus hoſtis, adeo, ut Epiſcopalem, & Sacerdotalem dignitatem nihil eſſe duceret, & SS. corporis & ſanguinis Domini Sacramentum ad ſalutem prodeſſe negaret.* Et dein ordine ex Hugone refert tres illas calumnias, quas modò diluimus. Idem l. d. pag. 33. & ſeqq.

Cæterum de Tanchelino, quem alii Tanchelmum, nonnulli Tandemum nominant, ſic legitur in Archivis Vrbis Lovanienſis, Ioanne Molano teſte lib. de Militia Sacra Ducum Brab. cap. 55. Anno 1115. Godefridus Lotharingiæ dux, & comes Lovanienſis expulit ex ſuis terris Tanchelinum hæreticum, qui multo tempore regnaverat apud Antverpiam, & Lovanium.

Ioannes Goropius in Atuaticis ait, eum Antverpiæ annos ferè decem verſatum; alii addunt, & Flandriam, itemque VValachriam, cæteraſque Zelandicas inſulas ab eo hæreſibus variis infectas fuiſſe. Sed adfuit tandem juſtus, & ultor Deus. Nam dum impius hæreſiarcha fortè navigat, in ipſa navi ſuper Scaldi fluvio (teſte eodem Goropio) exiſtens, à quodam preſbytero, Zelo Dei accenſo percuſſus in cerebro, miſerè interiit, ann. 1115. *teſte Meyero in Annalibus Flandriæ: qui addit, eum Brugenſi urbe à populo cleroque ejectum fuiſſe anno* 1113. *Serpſit autem hæc hæreſis poſt mortem etiam Tanchelini, non modò per Belgiam, ſed etiam per Bohemiam, Alſatiam, Thuringiam, vicinaſque regiones, ut teſtatur Trithemius in Chronico Hirſangienſi ann.* 1163. *Addit idem Ecbertum fratrem B. Elizabethæ Virginis Schonaugienſis, & Abbatem S. Florini in Schonaugia ordinis S. Benidicti in diæceſi Trevirenſi, diſputaſſe, librumque conſcripſiſſe contra Catharos, ſive Cataphrygos hæreticos, qui erant ex fecibus Tanchelini de partibus Flandriæ, ut ipſe loquitur. Thomas item Boſius lib. de ſignis Eccleſiæ ait, Tanchelini hæreſin duraſſe uſque ad annum* 1200. Hactenus Miræus. Quando autem docet Tanchelinianos, eoſdem fuiſſe cum Catharis, clarè liquet eoſdem idem docuiſſe, & profeſſos fuiſſe cum VValdenſibus: qui ab adverſariis ſuis per calumniam Cathari ſunt vocati. Et ſic retudimus Fromondi calumnias quibus Berengarium, Petrobruſianos, VValdenſes, & Tanchelinianos ejuſdem penè confeſſionis, & doctrinæ homines evertere, & Eccleſiis noſtris exterminare cap. 39. & 40. laborat. Progredimur.

CAPVT XLII.

Quales Fratricellos pro nostris agnoscamus. Respondetur calumniis, quibus Fromondus sanctißimos viros VViclefum, Hussum, & Hieron. Pragensem onerat.

I. CApite XLI. quod ex ordine nobis examinandum est, (XL. enim conjunximus XXXIX.) Fratricellos, VViclefﬁstas, & Hussitas exagitat, omnesque nobis extorquere laborat. Quòd ad Fratricellos (de quibus ad tædium usque Lectorum immane quantum 239. 240. & 241. garrit) lubentissimè eos ultrò damus. Non agnoscimus eos pro nostris, nec quisquam ex nostris per eos successionem Ecclesiæ probavit, non Plessæus, non Rivetus, non Voetius. Fateor fratricellorum mentionem faciunt, sed non eorum, ex quorum erroribus invidiam nobis conflare studet Censor. Fratricelli quos nostros adducunt, non distant à VValdensibus: qui sic cognominati sunt à fraterna charitate, quam inter se colebant. Et ut VValdenses per totam Europam dispersi varia cognomina accepere, à populis & gentibus, inter quas degebant: ita illi qui sedes suas in Lombardia statuerant, ab indigenis Fratricelli sunt vocati, ut ex Antonini parte 3. Tit. 22. cap. 10. ostendit Dn. Plessæus in Myst. iniq. pag. 981. Distincti hi per omnia fuere ab iis qui exorti sunt circa annum 1298. aut ut alii volunt 1304. Plerique eorum ut ipse Fromondus fatetur, Franciscani fuêre, ut à quorum professione alienissimos se semper ostenderunt VValdenses. Nec quicquam ad rem facit, quòd Fratricelli quos non agnoscimus in quibusdam dissenserint à communi sententia Papatus tum recepta, Arrius, Samosatenus, Manes, &c. in quibusdam etiam orthodoxi fuêre, & tamen non recipiuntur ab iis, qui se solos orthodoxos esse somniant, Papanis scilicet. Quòd verò varii Fratricelli fuerint, quodque per varias provincias dispersi fuerint, indicat etiam Ioannes XXII. in Extravang. de religiosis domibus cap. unic. quem miror cur contra se adduxerit Fromondus. Sic autem dicit Pontifex: *Nonnulli profanæ multitudinis viri, qui vulgariter Fratricelli, seu fratres de paupere vita, Bizochi, sive Beguini vel aliis nominibus nuncupantur, in partibus Italiæ, nec non in Insula Siciliensi, comitatu provinciæ Narbonensis, & Tholosanensis civitatibus, & diæcesibus, & provinciis aliisque diversis cismarinis, & ultramarinis partibus,* &c. Ecce quàm longè lateque dispersi, & per quot provincias disseminati fuerint Fratricelli, quis neget multos eorum fuisse VValdenses, qui à deliriis Francisci illibatos se continuerunt. Sed quid pro Fratricellis certo, quos nemo nostrum, unquam sine distinctione recepit: Centuriatores etiam rejecerunt, fatente ipso Fromondo pag. 237. Quæ de *Flagellantibus* postea garrit, nos non feriunt. Videat quomodo cum suis, qui instar Baaliticorum sacerdotum, non quidem sicis, sed loris, & virgis quotannis se cruentant, in gratiam redeat: vocat enim pag. 240. *flagellantes hæreticos.* Si viveret Card. Cæsar Baronius, utramque buccam inflaret. Quia inter hæreticos, Lovaniensis fungus etiam Petrum Damianum refert, de quo tamen ille ad annum 1056. §. 7. narrat quòd eo auctore aut saltem promotore, *introductus sit in Ecclesia laudabilis usus, ut pœnitentiæ causâ fideles sese verberibus afficerent, flagellis ad hoc paratis idoneis.* Quòd postea pag. 241. Magistratum Mosa-Trajectensem, qui anno 1636. superstitiosam flagellationem eousque ab impudentibus papicolis observatam, abrogavit, reprehendit, in eo prodit ingenium, & indolem suam: maximè cum hoc epiphonema proximè subjiciat, *O delicatos, & tenerâ cute, rosisque flagellandos Euangelistas!* O superstitionem! ô cæcitatem! ô impudentiam! Paulus 1 Cor. 13. vers. 3. *Se nihil facturum profitetur, etiamsi corpus comburendum tradat si charitate destituatur.* Et 1 Timoth. 4. vers. 8. *Corporalem exercitationem perparum habere utilitatis docet.* Et tamen superstitiosi idololatræ docere non erubescunt, spontaneâ flagellatione peccata aboleri, & jus vitæ æternæ acquiri. Et hæc etiam arcta illa via est, quem Christiani calcare debent, si Fromondo credimus. Miseros etenim apostolos, qui eam ignorarunt. Miserum Paulum, qui quamvis profiteatur 1 Cor. 9. vers. 27. *se contundere corpus suum, & in servitutem redigere,* ita tamen illu-

minatus non fuit, ut cognoverit lora, & virgas esse parandas, iisque lumbos, & scapulas conscindendas.

II. VVicleffum dein invadit, quem etenim defendere debemus; ut enim ei à Catholico caudato nostrate, Deus scit quis fuerit, relatum fuit, ejus amore (quòd quondam Oxoniensis Academiæ professor fuisset) Voetius *stultè ad lauream Doctoralem ab Academia Oxoniensi decerpendam maria trajecit*: pag. 242. Quicunque hoc retulit Doctori, næ is aut mendaci linguæ fibulam laxavit, aut rumusculis nimium tribuit. Voetius usque in hunc diem non magis vidit Academiam Oxoniensem, quàm ipsum VViclefum, nedum ut inde aut petierit, aut abstulerit lauream doctoralem, quam accepit Groningæ. Sed quid tandem in VVicleffum dicit? repetit rancidas calumnias à Concilio Constantiensi usque. Miror, quod non inseruerit hic ex Epicuræo vertiginis Labyrintho cap. 4. (quamvis innuere diligentioribus somniorum suorum Lectoribus videatur p. 244.) quo probavit tam solidè VVicleffum esse hæreticum Philosophicum, quàm superiori capite VValdenses esse Manichæos: quia nimirum dixit *Lineam ex punctis finitis, & tempus ex instantibus immediatis componi*. Nec hoc tantum? eodem capite insuper tam accuratè collegit numerum dierum, quibus in Constantiensi Synodo præsedit Spiritus Domini Papæ, hoc est, diaboli, ac parochus ille, qui cum præ difficultate numerandi, nunquam invenire posset diem Dominicum, senas scopas emit, singulisque vesperis unas sub lectum conjecit: unde tandem æque infallibili consequentia sic concludere didicit, *Quando omnes meæ scopæ conjectæ sunt sub lectum, est dies Dominicus*. Atque Fromondus, qui sic dicto loco, secundum eandem regulam argutatur: *Quando translatio, aut dissolutio concilii erat facta: aut quando non erat legitimus pontifex, non sedebat Spiritus Antichristi supra unumquemque ex patribus Constantiensibus*. Sed ad rem. Si Patribus Constantiensibus, & eorum in virtute calumniandi legitimo successori Fromondo pag. 242. credimus, VVicleffus docuit: *Nullum esse dominum civilem, dum est in peccato mortali: & populares posse ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere*. Resp. 1. Magna etenim hæresis, & quæ evertit, scilicet, fundamentum religionis. Sed quid fiet Loyolæ pullis, non tantùm illi docent regibus & principibus hæreticis denegandam esse obedientiam, verum etiam pium, & meritorium opus esse, si quis eos, postquam à domino Deo Papa condemnati sunt occidat. Loca, ex scriptis eorum in quibus hoc docent, non adduco. Videatur Mysterium Patrum Societatis, Cl. Molinæus in Hyperaspiste. lib. 3. cap 5. 2. Vnde probabitur hanc fuisse sententiam pii, & pacifici VVicleffi. Si hoc docuisset publicè, & scriptis editis defendisset non tam charus regi Edovardo, & Richardo secundo fuisset: nec tam honorificum testimonium de eo dedisset Oxoniensis Academia. Quod quia in omnium manibus non versatur, non pigebit in Lectoris gratiam asscribere, extat autem in fine operum Ioannis Hussi, & hæc ferè ejus verba sunt: *Vniversis sanctæ matris Ecclesiæ filiis, ad quos præsentes literæ pervenerint, Cancellarius Vniversitatis Oxoniensis, cætusque Magistrorum unanimis, salutem in Domino sempiternam. Quia strenuorum facta, proborum laudes, & merita, perpetuo non condecet silentio permitti, &c. Vobis igitur patefecimus per præsentes, quod ejus conversatio ab annis teneris in tempus sui obitus continuata, sic præclara extitit, & honesta, ut nunquam de ipso irretitio, vel suspicionis sinistræ, ac infamiæ nota respersa fuerit: sed in respondendo, legendo, prædicando, determinando laudabiliter se habuit, velut fidei fortis athleta, singulos mendicitate spontanea Christi religionem blasphemantes, sacræ Scripturæ sententiis Catholicè expugnavit. Nec fuerat prædictus Doctor pro hæretica pravitate convictus, aut per nostros prælatos, post ejus humationem traditus incendiis. Absit enim quod nostri prælati tantæ probitatis virum pro hæretico condemnassent, qui in Logicalibus, Philosophicis, & Theologicis, ac Moralibus, & speculativis, inter omnes nostræ universitatis, ut credimus, scripserat, &c. Datum Oxoniæ in domo nostræ congregationis, Octob. 5. 1406.* Pergit VVicleffum authoritate Conciliabuli Constantiensis exagitare, & ut credatur Patribus perfidis omnem movet lapidem. Hilum tamen non proficit. Quâ fide Cyclopes illi sanctissimos viros Iohannem Hussum, & Hieronymum Pragen-

ſem tractarunt, etiam VVicleffi ſcripta diſcerpſerunt. Si in iis tot abominandæ abſurditates continebantur, cur non flammis & rogo eripuere? ex re ſanè erat, apud poſteros extare monumentum abſurdorum, & non nociturorum deliriorum. At metuerunt, viri religioſi ſcilicet, ne totus mundus eorum perfidiam & & ignorantiam cognoſceret. Quarè in libros VVicleffi ſævire, quàm diſpendium famæ facere maluerunt: & tyrannidem quam in authorem edere non poterant, in innocuas ejus chartas, & cadaver ultra 40. annos conditum, exercere volupe putarunt. Verum audiamus patrocinium: dicit Cenſor pag. 243. *Nec ſanè Angli VVicleffiſtæ ubi acceperunt Magiſtri articulos à Concilio Conſtantienſi anathematiZatos, de calumnia, & doctrina falsò afficta conqueſti ſunt.* Quid tum? Defectum Anglorum ſupplevit Vniverſitas Pragenſis, quæ in plena congregatione Magiſtrorum, Doctorum, Licentiatorum, Baccalaureorum, ſtudentium ſub pœna præſtiti juramenti concluſit, ſe Archiepiſcopo, aliiſque prælatis in combuſtione librorum Magiſtri Ioannis VVicleffi nullo modo conſentire. Vt ex ſuo Cochlæo etiam diſcere potuiſſet Doctor admirabilis. Sed & Polidorum Virgilium nobis objicit pag. 243. qui ambitionis æſtro inſtigatum eſſe dicit VVicleffum ad inſtituendam novam ſectam. Sed quis qualiſve Polidorus eſt? homo Italus Vrbinas. Quantum verò fidei ei tribuendum ſit, oſtendit in elogiis Paulus Iovius, ejuſque plurimos errores detexit Ioannes Zelandus. Vide etiam de eo Voetium in Deſp. Cauſa pag. 666. Poſtremò invehitur in D. Pleſſæum, quòd dixerit in Myſterio: Conſtantienſes Patres affinxiſſe pro libidine VVicleffo hanc portentoſam ſententiam, quòd docuiſſet Deum diabolo obedire debere. *Attamen,* inquit, *portentoſam illam opinionem, Deus debet obedire diabolo, non tantùm Patres Conſtantienſes affirmant, ex libris, aut opuſculis ejus decerptam, ſed Guilelmus Courtneyus, Archiepiſcopus Cantuarienſis cum concilio Suffraganeorum eam etiam damnavit circa ann. 1382. vivente adhuc VVicleffo.* Et ut quiſque hoc credat citat in margine Bzovium ad ann. 1382. Reſp. 1. Bzovio mentiri ſolito, & ſine teſte loquenti, quis tam veſanus eſt ut credere velit? Concilii contra VVicleffum à Courtneyo Archiepiſcopo coacti nuſquam mentionem fieri in Anglicana hiſtoria deprehendo. Illud tantum invenio, vivo etiamnum VVicleffo, Robertum Riggæum Cancellarium, inſignem ejus fautorem cum aliis aliquot, à Thoma Arundelo Archiepiſcopo Cantuarienſi ſemel atque iterum accerſitos, & duriùs tractatos, vix tandem dimiſſos eſſe. 2. Si abſurdum illud docuit VVicleffus, cur Patrés aut Anglicani, aut Conſtantienſes, qui ejus errores deflorarunt, librum non annotarunt in quo hoc tradidit; cur non Thomas VValdenſis, etiam qui ejus ſcripta habuit, legit & refutavit. 3. Commentum hoc eſſe Patrum Conſtantienſium inde liquet, quòd Ioannes Huſſus, VVicleffi diſcipulus palam in Concilio vociferatus ſit; *Ab adverſariis ſuis crimina & hæreſes ſibi objici, de quibus nihil unquam cogitaverat:* quòdque non Papani ſolùm doctorculi, ſed ipſi Papæ contra adverſarios ſuos horrenda mendacia, & calumnias diſſeminare ſoleant. Notum eſt, quibus mendaciis inſontem regem Henricum IV. aut ſecundum alios Henricum III. gravaverit Gregorius VII. & quibus non calumniis circumvenire ſtuduerit Fredericum II. Gregorius nonus. legantur ſaltem Mathæus Paris, & Paralip. Vrſpergenſis. Ipſe autem Vrſpergenſis in Chron. ad annum 1191. *Extat,* inquit, *adhuc epiſtola præfati Innocentii III. directa ad Bertholdum ducem Zaringiæ, in qua contra Philippum multa abſurda, & quædam falſa deſcribuntur.*

III. A VVicleffo dein ad ejus diſcipulos Ioannem Hus, & Hieronymum Pragenſem tranſilit. Pag. 245. dicit: *Nec majori probabilitate Iohannem Huſſum, qui in pleriſque VVicleffi conſectaneus, in partes tuas, & Eccleſiam Calvini attrahere potes. Longius enim à vobis recedit, quàm VVicleffus. Nam circa præſentiam corporis Chriſti Domini in Euchariſtia fluctuat, & palam ab errore Zuinglii, & Calvini ad impanationem Lutheranam inclinat.* Reſp. Extrema anchora Cenſoris eſt Conciliabulum Conſtantienſe. Scio ſuperſtitioſiſſimos Patres etiam in ſententia Hieronymi Pragenſis, ut liquet ex Paralipomenis Vrſpergenſis, teſtari eum non abhorruiſſe à ſtulta Tranſſubſtantiatione, ſed quid

tamen

tamen inde efficitur? An conciliabulo plus fidei deferendum quam Ecclesiis Hussiticis, & ejus confessioni? Quæ dicunt se esse plantatas à genuinis discipulis Hussi, & ejus coætaneorum discipulorum successoribus. Vide Confess. fratrum Bohemorum, necnon præfat. Adhoc discipulus VViclefi fuit Hussus. Ipse VViclefsus ejectus Angliâ, venit in Bohemiam. Non Hussum solùm, sed & alios ibi reliquit discipulos. Si Hussus non potuit adhuc pro illo tempore valedicere, & rejicere Transsubstantiationem, non dubium est, quin alii, edocti à VVicleffo illud fecerint. Hostis etenim Transsubstantiationis fuit VVicleffus, ut liquet ex Guil. VVideford qui contra eum scripsit: item ex Fasciculo rerum expetendarum, Thoma VValdensi l. de Sacram. nec non ex Chron. Guil. Caxtoni. *Manet*, dicebat VVicleffus, *panis & vini substantia post ejus consecrationem. Sacramentum altaris, est naturaliter panis, & vinum sacramentaliter corpus Christi: quamquam aliqui fingunt ipsum esse accidens sine substantia subjecta.* Quantus autem amicus Papismi fuerit Hussus, liquet ex Ioanne de Turrecremata, & Prateolo, ex quibus sequentes articulos colligo:

I. *Petrus non est, nec fuit caput Ecclesiæ sanctæ Catholicæ. Papa non est verus, nec manifestus successor principis Apostolorum, si vivit moribus contrariis Petro: & si avaritiæ studet, tunc est Iudæ Iscariotis vicarius. Non est scintilla apparentiæ, quòd oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum illa militante Ecclesia converšetur. Christus sine talibus monstrosis capitibus per suos veraces discipulos sparsos per orbem terrarum, meliùs suam Ecclesiam gubernavit, & fideles Domini sacerdotes in necessariis ad salutem strenuè rexerunt, antequam Papæ officium fuerat introductum, itaque facerent, etiamsi Papatus deficeret, usque ad diem judicii Papalis dignitas à Cæsare inolevit, & Papæ perfectio, atque institutio à Cæsare emanavit.*

II. *Præscitus etsi aliquando sit in gratia, secundum præsentem justitiam, tamen nunquam est pars sanctæ Ecclesiæ. Et prædestinatus semper manet Ecclesiæ membrum, licet aliquando excidat à gratia adventitia, sed non à gratia prædestinationis. Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet quosdam fecerit actus, actibus Ecclesiæ malignantium similes.*

III. *Unica est sancta universalis Ecclesia tantùm, sicut tantùm unus numerus est prædestinatorum: hæc convocatio prædestinatorum est articulus fidei. Hæc Ecclesia bonos tantùm, non etiam malos complectitur.*

IV. *Purgatorius ignis nusquam invenitur.*

V. *Presbyteros non dignitas, sed vitæ meritum efficit potiores.*

VI. *Mendicantium religio à cacodæmone adinventa est.*

VII. *Sub utraque specie communicandum est, authoritate Scripturæ & Patrum; Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Gelasii, Gregorii, Cypriani, & aliorum neotericorum.*

VIII. *Iustificatio est gratuita.*

Hæc sancti viri doctrina fuit, quam non solùm docuit, & professus fuit, sed etiam sanguine suo obsignavit. Fromondi, similiumque catellorum latratus non moramur. Post Hussum, Hussitas invadit, eosque talibus calumniis differt. *Imo hodie Hussitæ*, inquit pag. 245. *ejus discipuli etiam à Lutheranis recesserunt, & ad perfectum Catholicorum consensum redierunt; nisi quod existiment communionem sub utraque specie omnibus, etiam infantibus esse necessariam, ideoque à baptismo statim iis porrigant; quod in maximo, & hæretico errore Voetius, & Calvinistæ ponunt. Denique sacramentalem peccatorum Confessionem, bonorum operum necessitatem, invocationem Sanctorum, sacrificium, & orationem pro defunctis in doctrina, & usu planè Catholico nobiscum habent, arbitrii libertatem nobiscum defendunt, &c. ut Iacobus Gordonus testatur.* Resp. Næ Gordonus ex quo hæc compilavit Fromondus, est ei similis. Confundit, miscet, & pervertit omnia, ut Ecclesiis nostris invidiam conflet. Fateor, Pragæ quosdam degere, qui se jactant esse discipulos Ioannis Hussi, quibus per omnia cum Papanis convenit, præterquam in calice, eos tamen Hussitas vulgò dici, & vocari nego, Calixtini, seu Calicini à calice denominantur, nec non Pragenses, & Bohemi. Spurii, & imperfecti hi Hussi sunt discipuli, nec agnoscuntur pro fratribus ab Hussitis. Ne verò quis existimet hoc discrimen me cudisse. En ejus approbatores fratres ex Bohemia, Taboritas, Picardos, ut cum vulgo loquar, vel Hussitas genuinos. Illi anno 1573. confessionem

edidere,

edidere, eique præmium satis prolixum, ad calumnias retundendas præfixere. In eo ita pag. 18. & seqq. loquuntur, postquam vitam, doctrinam, & excessum sanctissimi Hussi enarrassent: *Statim autem post mortem Hussi, divortia quædam existere inter auditores ejus cæpere. Vna enim pars contenta Sacramento cœnæ Domini integro, cætera neglexit omnia. Altera Zelotarum quorundam fuit, qui Zelo veritatis, & scientiæ sanctorum excitati, cùm cætera magistri sui sectari, tum quas ipsi in studio sacrarum literarum continuo suo, deprehendebant superstitiones, & corruptelas Pontificias, extirpare studuerunt, & violentiæ, adversus Ecclesias ipsorum grassanti, se opponere conati sunt. Vtraque tamen pars communiter odio erga Pontificios, ex dolore propter sublatum ab his Iohannem Hussum, & persecutiones perpetuas, quas sustinebant, flagrabat immani odio, quòd à disputationibus, maledictis, & conviciis, ad cædes privatas, & frequentissimas quidem, progressum, ab his in seditiones, & bella, atque prælia teterrima erumpere cæpit, anno à morte Hussi quarto, & circiter, quo tempore Zisca ille, ductor esse cæpit contra Pontificios copiarum utriusque partis, tam Zelotarum illorum, quàm alterius partis, quæ partes tum, etsi sententiis in plerisque discrepabant, quòd tamen unius magistri discipuli essent, communiter & conjunctis opibus sub Zisca duce militabant, &c. Quos autem discriminis causa Zelotas hactenus nominavimus, ii, quòd motus illius tempore, Bohemicum quoddam oppidum hostium suorum, in tractu Bechinensi situm, evertissent, & castris ibi habitis, condidissent in vicinia aliud, cui nomen fecerant Tabori, ex eo Taboritæ appellati sunt, qui quàm periti fuerint doctrinæ orthodoxæ veteris Ecclesiæ, scripta ipsorum docent, & disputationes cum Magistris Pragensibus, conscriptæ linguâ vernaculâ nostrâ, & Latinâ. Alterum autem Hussitarum genus, nomen gentis retinuit, ut Bohemi nominarentur, quo postea, quòd poculo Domini in Sacramento integro, & calice uterentur, etiam Calixtini nominati sunt, quasi Calicii quidam, seu Calicini. Et quòd Pragæ sedem haberent, Pragenses etiam vocati sunt, præcipui enim horum theologi, Magistri Pragenses & fuerunt, & in historiis nominantur, & hi soli quidem tum liberos conventus, & quietam sedem in regno Bohemiæ, inter & apud Pontificios obtinuerunt, quæ & nunc obtinent, & facilè illi quidem, cùm, nisi quòd poculo Domini, & in sacris suis linguâ vernaculâ utuntur, nihil habeant, aut doceant, ullâ in parte, à Pontificiis diversum, & in Sacramento etiam hoc cœnæ Domini, omnes idolatrias, & superstitiones Pontificias retinent, easque augent communicatione hujus cum infantibus, atque ita ex quatuor pactorum communium capitibus, hæc duo sola, neque integra quidem, servant.* Hactenus fratres vulgo Taboritæ, Picardi, aut VValdenses dicti, quorum & confessio per omnia nostræ consentiens, comparet in Harmonia confessionum. Et ita te, Fromonde, animadvertere puto quantus cum Gordono Loyolita ardelio sis. Si quidam ex Hussi discipulis ex parte ad vomitum rediere, hoc non magis veris ejus sectatoribus objici debet, atque omnibus Christianis, quòd Mahometistæ qui ab illis non agnoscuntur, in quibusdam tamen dogmatibus consentiant. Quæ postea ex suo D. Tiletano ineptit, semet sponte evertunt. Demus non extare ullam probationem, ex qua evinci possit Iohannem Hussum oppugnasse Transsubstantiationem, quid hoc ad rem? nec etiam contrarium extat in scriptis Hussi. An autem Constantiensis Conciliabuli Patres possint esse testes idonei, divinent Iurisconsulti. Sufficit Hussum in fundamento contra Papatum, cum orthodoxis Ecclesiis conspirare, & genuinos ejus discipulos monstrum illud non agnoscere. Postea Hieronymum Pragensem à nobis sollicitat. Sed frustra etiam. Si vir candidus haberi voluisset, non laciniam tantùm ex Poggii epistola decerpere debuisset, sed aut eam integram asscribere, aut saltem ex ea ostendere, quâ constantia vir Dei mortem tolerasset: & flammam patientiâ superasset. Quòd ab eo autem invidiâ, ac odio occæcato omissum est, supplere cogor. Ita ergo Poggius, aliàs nimis urbanus scurra, & irrisor religionis in d. ep. ad Leonard. Aretinum: *Mirum est, inquit, vidisse quâ facundiâ, quibus argumentis, quo vultu, quâ fiduciâ Hieronymus Pragensis responderat adversariis in Concilio Constantiensi. Primò asseruit debere se caussam suam agere, priusquam responderet maledictis adversariorum, &c. Sed cùm hæc ei conditio denegaretur: tum stans in medio concionis: Quænam, inquit, est*

hæc iniquitas? ut cùm 360. diebus, quibus in durissimis carceribus fui, in sordibus, in squallore, in stercore, in compedibus, in rerum omnium inopiâ, adversarios atque obtrectatores meos semper audieritis, me unam horam audire nolitis? &c. Incredibile dictu est quàm callidè responderit, quibus se tueretur argumentis. Nihil unquam protulit indignum viro bono: ut si id in fide sentiebat, quod verbis profitebatur, nulla in eum, nedum mortis caussa inveniri justa posset. sed ne quidem levissimæ offensionis. Omnia esse falsa dicebat, omnia crimina conficta ab æmulis suis, &c. Addiderat enim se sponte ad Concilium venisse ad se purgandum: vitam suam, & studia exposuerat officiorum plena, ac virtutum, &c. Expectabant autem omnes, ut vel se purgaret, retractando objecta, &c. At ille nec se errasse asseverans, nec se retractare aliorum falsa crimina velle ostendens. Tandem descendens ad laudationem Ioannis Husii ad ignem damnati, virum illum bonum, justum, & sanctum appellans, & illâ morte indignum: se quoque paratum quodvis supplicium adire forti animo & constanti, seque inimicis suis cedere, & testibus impudenter mentientibus: qui tamen aliquando coram Deo, quem fallere non poterant, essent rationem eorum, quæ dixissent, reddituri, &c. Sed cùm pertinacius in erroribus perseveraret, per Concilium hæresis damnatus, & igni combustus, jucundâ fronte, & alacri vultu ad exitum suum accessit: non ignem expavit, non tormenti genus, non mortis, &c. Cùm venisset ad locum mortis, seipsum exuit vestibus. Tum procumbens flexis genibus, veneratus est palum, ad quem ligatus fuit, &c. cùm flammâ adhibitâ canere cæpit Hymnum quendam, quem fumus, & ignis vix interrupit. Hoc maximum constantis animi signum. Cùm Lictor ignem post tergum, ne id videret, injicere vellet: huc, inquit, accede, & in conspectu accende ignem. Si enim illum timuissem, nunquam ad hunc locum, quem fugiendi facultas erat, accessissem. Hoc modo vir præter fidem egregius, consumptus est. Vidi ego hunc exitum, singulos actus perspexi. Hæc Poggius. Redit postea noster Doctor ad familiarem sibi cantilenam de angusta via: verum ei occinere nolumus, ne Lector nos etiam γογγύζειν didicisse putet.

CAPUT XLIII.

Respondetur variis Fromondi nugis, quibus successionem doctrinæ nostræ liquidam, & manifestam nimis obscurare studuit. Successio doctrinæ nostræ in fundamentalibus articulis manifestissimè ostendi potest, Papanæ verò neutiquam. Successio sedis Romanæ abrupta jam olim fuit.

I. PER aliquot præcedentia capita historicè velitati sumus de successione doctrinæ Catholicæ, ac orthodoxæ; vindicavimus Doctores, & Professores veritatis à calumniis & mendaciis, quibus petuntur tum à Fromondo, tum etiam ab iis, quorum ipse scrinia compilavit. Quanquam autem hæc omnia unâ simplici negatione diluere potuissemus, quòd non statuamus, aut credamus successionem doctrinæ, aut doctorum, esse infallibilem notam Ecclesiæ, ex superabundanti tamen exemplo clarissimorum inter nos Theologorum respondimus, præ cæteris, ut ostenderemus ineptias, & nugas, quibus Censor ea quæ per quodque seculum solidè & perspicuè à Voetio probata sunt, evertere, & labefactare studuit. Quantum autem ipse fiduciæ in foliis à nobis difflatis collocarit, liquet ex cap. 42. ad quod jam pervenimus, quo, præteritâ successione doctrinæ, de qua hactenus nobiscum velitatus fuerat, iterum de successione tum doctrinæ tum etiam personali garrire incipit. Videbat quippe nimis claram & apertam esse successionem doctrinæ, nec solem hunc opposito pugno obscurari posse. Sed quas tandem nugas in ignorantiæ Theatro dat. *Ecclesia*, inquit pag. 248. *Christi perpetuâ, & continenti quadam successionis catenatione, à temporibus Christi ad fines seculorum decurrere debet, neque catena ista diu frangi, aut interhiare potest, ut ex S. Scriptura, & SS. Patrum interpretatione certum, & à Plessæo, Voetio, aliisque quibuscum jam disputamus, confessum est. At verò inter Ecclesias hæreticorum, aut scismaticorum per varia secula dispersas, quas Calvinistæ nostri pro se colligunt, nullus nexus, aut vinculum est, quo inter se continuari possint, ut pons unus construatur, quo vera fides Christi, per succes-*

 sionem

ſionem perſonarum tradentium, & excipientium eandem doctrinam, à prioribus, ad poſteriores trajiciatur. Et dein, velut per indicem, omnia repetit, quæ totis quinque præcedentibus capitibus conglobavit, ut multas ſcilicet paginas commacularet, & lectorem delaſſaret. Reſp. 1. Non intelligit, ipſe bonus vir, quod dicit. Aut enim loquitur de ſucceſſione perſonali, aut doctrinæ. Si perſonalem intelligit, nihil ad rem faciunt ea omnia, quæ ex præcedentibus capitibus repetit. Si vero doctrinæ ſucceſſionem reſpicit, miſerè admodum fallitur. In ea quippe talis concatenatio ſufficit, qualis v. c. fuit ab Aſcenſione Servatoris noſtri, uſque ad mortem Iohannis Apoſtoli. Currebat tum ſana doctrina, ſed ita ut multi ſe ei opponerent, quantum in ſe heterodoxiâ curſum cęleſtis Euangelii ſiſterent. Eodem modo per ſubſequentia ſecula eadem proceſſit doctrina: nunc remiſſiùs, nunc incitatiùs, iterum languidiſſimè, & vix agitata fuit. Et tamen ſe movit; ac ut ille, qui in animi deliquium aut extaſim incidit, non poteſt dici mortuus eſſe, ita nec ſana illa doctrina. Tum etiam ſe movit, & ſpiritum duxit, cùm jam exſpiraſſe crederetur. Vt à Voetio per ſingula ſecula eſt oſtenſum, quem & nos in præcedentibus capitibus à ſtultis calumniis vindicavimus. 2. Requirit nexum, & vinculum. Sed probare deberet ea à nobis non poſſe demonſtrari. Quæ enim antè attulit, & poſtea repetit, nihil ad rem faciunt. Atqui dicet, non oſtenditis nexum doctrinæ per omnia ſibi reſpondentem, & ſimilem. Quid tum? Oſtendat mihi nexum doctrinæ Papanæ, prout ea in conciliabulo Tridentino eſt definita, à ſeculo Apoſtolico uſque ad hoc præſens, quod currit decimum ſeptimum, & herbam ei porrigam. Supra cap. 35. pag. 195. ſtultè & ridiculè nobis perſuadere ſtuduit *totam Papiſmi eſſentiam tribus etiam primis ſeculis fuiſſe, licet plurimæ, quæ nunc vigent, Eccleſiaſticæ leges accidentales nondum conditæ eſſent.* Quæ inibi, ut oſtendimus, malè dicta ſunt, pro noſtris hic adoptamus, & dicimus: Totam eſſentiam Chriſtianiſmi, & Catholiciſmi fuiſſe & manſiſſe à tempore Chriſti, ſeculo etiam decimo (illo obſcuro nempe) uſque ad hanc præſentem ætatem: licet fortè ei acceſſerint quidam nęvi à ſurgente Papiſmo, & aliquantulum fuerit depreſſa à mole doctrinæ Antichriſtianæ. Quod ut clarè omnibus liqueat, non pigebit fuſius paulò probare. Tota eſſentia Chriſtianiſmi in tribus conſiſtit, ut agnoſcatur nempe ſolus Chriſtus Sacerdos, Rex, & Propheta. Sacerdos agnoſcitur, quando ſtatuitur eſſe unus mediator inter Deum & homines, qui ſolus victimâ corporis ſui immolatâ in ara crucis perfectè & plenè ſatisfecit pro peccatis omnium fidelium. Rex agnoſcitur, quando colitur & adoratur, ut caput ſuæ Eccleſiæ, quòd nec ſocium, nec vicarium admittere poteſt. Propheta verò eſt, quando agnoſcitur eſſe unicus legiſlator, qui ſolus eſt audiendus, & præter quem nullus alius. His tribus fundamentalibus articulis Chriſtiano-Catholiciſmi, ex diametro ſunt oppoſiti tria eſſentialia, & fundamentalia dogmata Antichriſtianiſmi, aut Papiſmi, ex quibus omnes alii errores velut ex fonte quo luxuriarunt, & quorum unumquodque tam eſt neceſſarium fatentibus ipſis DD. ut ſine eo ne per momentum quidem Papatus poſſit eſſe incolumis. Primum ἀντικείμενον eſt hoc quod dicunt Chriſtum nec eſſe ſolum mediatorem, nec perfectè ſatisfeciſſe. Synod. Trident. de op. Satisf. can. 12. *Si quis dixerit, totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper à Deo, ſatisfactionemque pœnitentium non eſſe aliam, quam fidem, quâ apprehendunt Chriſtum pro eis ſatisfeciſſe, anathema ſit.* Magiſter ſententiarum lib. 4. diſtinct. 45. *Intercedunt ergo pro nobis ſancti ad Deum, & meritò, dum vota noſtra cupiunt impleri, quod tamen non faciunt, niſi in voluntate Dei implenda didicerint. Oramus ergo ut intercedant pro nobis, id eſt, ut merita eorum nobis ſuffragentur, & ut ipſi velint bonum noſtrum: quia eis volentibus Deus vult, & ita fiet.* Secundum dogma Antichriſtianiſmi, oppoſitum ſecundo articulo fundamentali Chriſtianiſmi, eſt hoc quòd docet præter Chriſtum ſupremum Eccleſię ſuæ regem, alium eſſe vicarium in terra, Papam nempe. Conc. Florent. *Definimus Pontificem Romanum ſucceſſorem Petri, verum Chriſti vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput eſſe.* Tertium dogma oppoſitum eſt, quòd docent Chriſtum non perfectè & plenè per amanuenſes ſuos Prophetas & Apoſtolos in Scriptura voluntatem ſuam patefeciſſe,

quodque

quodque præter eum, alterum adhuc legiſlatorem ſceleratum nempe Papam ſtatuunt. Conc. Trid. can. 1. ſeſſ. 4. *Traditiones non ſcriptæ ab Apoſtolis pari pietatis adfectu, & reverentiâ cum Sacra Scriptura ſuſcipiendæ, & pro certiſſimo Dei verbo habendæ ſunt.* Suarez de tripl. virt. Theol. ſect. 8. diſp. 5. *Veritas Theologica eſt, Pontificem definientem ex cathedra eſſe regulam fidei, quæ errare non poteſt, quando aliquid authenticè proponit univerſæ Eccleſiæ tanquam de fide.* Ex tribus his fundamentalibus Antichriſtianiſmi dogmatis, nata ſunt omnia alia. Si qua autem, Fromonde, tibi conſcientia, eruditio, & audacia ſupereſt, probato trium horum fundamentalium vobis articulorum perpetuam ſucceſſionem à tempore Apoſtolorum uſque ad hanc ætatem. Nos quandocunque poſtulaveris probabimus articulorum Chriſtianiſmi, quem ſolum amplectimur, & noſcimus, jugem veritatem, & ſucceſſionem. Nec quicquam ad rem facit quod poſt ſeculum ſeptimum varii illis errores de ortis & ſecundariis Antichriſti dogmatis acceſſerint. Maculæ illæ non evertunt veritatem, ſed obſcurant. Occultato aurum in ſordibus, ſordeſcet quidem, ſed non tamen deſinet eſſe aurum: contra putre pyrum aureæ thecæ includito, nihil decoris, nihil precii ei accedet. Tres Chriſtianiſmi articuli aurum ſunt: labes Papatus non conſumpſit illud, ſed tantum infecit. Putrida autem & evanida Papanæ factionis dogmata, quamvis ſe immiſcuerint aureæ & perpetuæ doctrinæ Eccleſiæ Catholicæ, fortiterque iis ſe oppoſuerint, ea tamen nec expugnare, nec quid roboris, antiquitatis, & precii extorquere potuerunt. Hæc ſi bene notentur, ſuâ ſponte evaneſcit ſcotia Fromondi. Requirit perpetuum nexum doctrinæ, damus eum in tribus jam dictis fundamentalibus articulis. Quid amplius, aut ſolidius præſtare poſſemus? 3. Tota probatio, quæ ab eo ſubjicitur petit principium, & ruinoſo nititur fundamento. Quæ ſex ſuperioribus capitibus diluimus, & probavimus, ut expugnabiles Gorgones iterum adducit, ac oſtentat. Quæ de viro Dei Luthero p. 250. & 251. ex angelicis ſcilicet DD. Surio, ac Tiletano adfert, reſponſionem non merentur. Inteſtabiles teſtes audiendos non eſſe etiam noſtrates pueri ſciunt.

II. Poſt efflatas ordinarias bullas jactantiæ, & Thraſoniſmi pag. 252. iterum aggreditur Voetium. Probavit is pag. 434. variis ſimilitudinibus, interciſionem Doctorum non ſtatim colere veram ſucceſſionem, & quidem antequam adhuc ex ſuperabundanti catenam doctrinæ noſtræ, per ſexdecim ſeculorum annulos concatenatæ, inire, & complicare aggrederetur. Quare putida Fromondi eſt calumnia, quòd dicit pag. 251. Voetium non *acquieviſſe, ſed aliam quercum ſollicitaſſe.* Probavit antè multis, & variis, iiſque ſolidiſſimis argumentis ſucceſſionem perſonalem non eſſe neceſſariam Eccleſiæ, & poſtea ultrò, nulla cogente neceſſitate, probat Eccleſias reformatas ſucceſſione doctrinæ nunquam interrupta unitas & junctas eſſe Eccleſiæ Apoſtolicæ. *Hoccine eſt aliam quercum ſollicitare?* Sed ad rem. Dixit Voetius pag. 435. comparativè ad Eccleſiam: *Succeſſio, & fluxus perpetuus luminis per emanationem eſt in Sole, & Luna ex lege creationis, jam inde ab initio mundi Gen. 1. quamvis Eclipſes ſuas patiantur.* Contra hæc ita ſublimis noſter Doctor θεολογεῖ pag. 252. *Primò; Sed Thronus David, & Eccleſia Chriſti, mi Voeti, futura dicitur Pſal. 88. ſicut Sol in conſpectu Dei, & ſicut Luna perfecta (id eſt plena, & toto orbe fulgida) in æternum: & teſtem in cælo fidelem, ac minimè mendacem eſſe, qui hæc prædixit. Non eſt igitur,* &c. Reſp. O factum bene, jam tandem ex Scriptura oppugnatur Voetius! Sed an etiam proſternitur? minimè. Totum, cum corollariis omnibus concedimus Doctori. David d. Pſ. 88. (juxta Hebræos Pſ. 89.) verſ. 36. Vaticinatur æternum fore regnum Meſſiæ, quis autem ex nobis hoc negat? Quam beſtialis hæc conſequentia; Chriſti regnum eſt æternum, Ergo particularis aliqua Eccleſia ſemper erit illuſtris, & nunquam aut deficiet, aut obſcurabitur. Sed video magnum myſterium in eo latitat, quòd Luna dicatur perfecta, id eſt, ſecundum noſtrum Doctorem, *plena, & toto orbe fulgida.* Vtinam verò Aſtronomicæ huic contemplationi reſponderet textus Ebræus. In eo legitur *ſtabilietur*, aut *firmum & ſtabile erit* יכון à radice כון *diſpoſuit*, vel *direxit*. Et ſic etiam vertunt Hebraizantes Pagninus, Vatablus, Muys, &c. & ſimili phraſi legitur Pſal. 72. v. 5.

de ſubditis Meſſiæ: *Colent te, dum Sol & Luna lucebunt in omne ævum. Secundò* ita argutatur eadem pag. *Et quomodo deinde portæ inferi* (Matth. 16.) *non prævalent adverſus eam, ſi diem ſuum in noctem tam longam aliquot ſeculorum ſic extinguit?* Reſp. 1. Solennis hæc cantilena eſt. Sed probetur Chriſtum Math. 16. verſ. 18. loqui de aliqua particulari Eccleſia, aut factione Romana. 2. Quis ex noſtris Theologis dixit, Catholicæ & univerſali Eccleſiæ ſpiſſas noctis tenebras ſupervenire. Crepuſculum, & noctem illunem concedit Pleſſæus, eo loco, quem adducit. At quàm longè hæc à Cimmeriis, aut Ægyptiacis tenebris diſtant. In crepuſculo quis viam, & iter invenire poteſt. In denſis verò, & profundis tenebris aliquot etiam faces parum ſunt. *Tertiò* opponit nobis pag. 253. Auguſtinum lib. 5. de Bapt. cap. 1. cont. Donat. & lib. 2. cap. 6. Sed notare debuiſſet Doctor, Auguſtinum eô loci diſputare contra Donatiſtas, qui præ faſtu omnes alias Eccleſias contemnebant, ac ſe ſolos Eccleſiæ corpus conſtituere, & abſolvere putabant. Extorquet tantùm Auguſtinus iis confeſſionem, Eccleſias omnem necdum occidiſſe, de perpetua duratione, & viſibilitate Eccleſiæ alicujus particularis in utroque loco οὐδὲ γρῦ occurrit. Vide ſis quoque; Lector, Deſp. Cauſa pag. 427. Dixerat Voetius pag. 441. Papanos debere fateri Eccleſiam aliquando Eclipſin pati, & obſcurari, quia multi ex DD. eorum ſtatuunt, *in paßione Domini, in paſtoribus omnem ſimul veram fidem defeciſſe, cùm in ſola matre Chriſti permaneret.* Solidiſſimum illud argumentum putat ſe tali ſubtilitate eluſurum. Pag. 253. *Nam*, inquit, *Eccleſia illa Novi Teſt. de cujus dotibus & æternitate, tam magnificè, & ſplendidè Scriptura ſacra loquitur, ante Chriſti aſcenſionem, & Spiritus ſancti allapſum, adhuc informis erat, & velut in ſemine.* Reſp. Ideo, credo, Eccleſiam tum informem fuiſſe cenſet quòd necdum veniſſet filius Perditionis Dominus Deus Papa. Quid hoc eſt dicere, Eccleſia erat in ſemine? Si in ſemine erat, erat tantùm virtualiter Eccleſia; & conſequenter Maria erat virtualiter ſolùm fidelis. Nec illud tantummodo, ſed ſequitur etiam Servatorem noſtrum, prædicatione ſuâ nullam Eccleſiam in hoc mundo collegiſſe. Quid abſurdius etiam cogitari poſſet? Sed dicit; *Chriſtus necdum aſcenderat.* Quid tum? an ideo Eccleſia tam diu debuit parturire, & manere informis? Si verum eſt hoc abſurdum, ſequitur Chriſtum ſub veteri Teſtament. nullam habuiſſe Eccleſiam, niſi informem. Sed hoc adverſatur omnibus Patribus, & antiquis Theologis. Auguſt. lib. 1. de Bapt. contra Donat. cap. 15. *Eccleſia, quod eſt populus Dei, etiam in iſtius vitæ peregrinatione, antiqua res eſt: in aliis habens animalem portionem, in aliis ſpiritualem.* Orig. hom. 2. in Cant. Cant. *Prima fundamenta congregationis Eccleſiæ, ſtatim ab initio poſita ſunt: unde & Apoſtolus dicit Eccleſiam, non ſolùm ſuper fundamenta Apoſtolorum, ſed etiam Propheturum, ædificari: inter Prophetas autem numeratur & Adam.* Notum etiam illud Epiphanii eſt τῷ βουλομένῳ φιλαλήθως ἰδεῖν, ἀρχὴ πάντων ἐστὶν ἡ καθολικὴ ἁγία ἐκκλησία. hoc eſt, *Qui ſecundum veritatem vult judicare, is deprehendet ſanctam, & Catholicam Eccleſiam principium eſſe rerum.* Addit: *Spiritum ſanctum necdum allapſum fuiſſe.* Ignorantia rectà ducens ad hæreſin. Aut enim hoc accipiendum eſt, de extraordinaria Spiritus ſancti menſura, quæ effuſa eſt ſupra Apoſtolos Act. 2. aut de ejus ordinariis donis. Si de illis extraordinariis donis ſe loqui dicat, quid reſtat niſi ut præſens Eccleſia, quam ſuæ factioni vindicare ſtudet, informis ſit, deſtituitur quippe extraordinariis donis linguarum, ſanationum, &c. Si autem ordinaria dona nos intelligere velit, jam Socinianus eſt. Invidet enim Patribus Spiritum ſanctum, qui excitat in electis fidem quâ uniuntur Chriſto, & conſequenter eos exterminat regno cælorum. Quod tamen ipſe Chriſtus falſum eſſe oſtendit Math. 8. verſ. 11. Ratio conſequentiæ eſt, quia Spiritus eſt Spiritus fidei. Ejus autem Patres ſub veteri fœdere participes fuiſſe probat Apoſtolus 2 Cor. 4. v. 13. *Quoniam*, inquit, *habemus eundem Spiritum fidei, ſecundum illud quod ſcriptum eſt, credidi & ideo loquutus ſum, nos quoque credimus, quamobrem etiam loquimur.* Vides, Fromonde, ad quos ſcopulos futilitas te allidat? Vt in luto hæres? Eccleſia novi Teſtamenti ex opinione DD. antè citatorum, cujus Chriſtus monarchicam curam Petro commiſerat, defecit in capite, &

in

in membris. Nisi tu D. Doctor probaveris potuisse tum in capite Petro deficere, & non in ejus successoribus Dominis Papis.

III. Dein vindicare studet successionem suorum Paparum, quam intercisam fuisse probat Voetius pag. 441. Quia ipse Baronius, & Bellarminus fatentur seculo decimo multos successivè sedisse Papas Apostaticos, & apotacticos, sive ut Baronius loquitur, Pseudo-pontifices. Arietem illum ita infringere studet pag. 255. *Licet,* inquit, *Sedes Romana illis temporibus, legitimè ac revera, à pseudo-pontificibus non impleretur, ac proinde vacaret tantisper, donec legitimus aliquis Pontifex in ea considere juberetur; non tamen idcirco ipsa sedes frangebatur, & jus ac potestas ejus intercidebat, & abolebatur, sed pendebat quodammodo; ut fit quoties Imperium, regnum, aut quodvis aliud reip. publicum munus, à morte ultimi possessoris vacat, donec potestas illa velut suspensa, legitimo successori imponatur.* Resp. 1. Optimè, & planè ad mentem nostram. Quando postulatis, ut ostendamus vobis DD. & pastores, qui in quaque provincia & regno per omnia secula Christianismum in fundamentalibus articulis contra Antichristianismum professi sunt, non opus est cerebrum delassare inquirendo & pervolutando omnes historias. Sufficit dicere, quod tamen neutiquam facimus, non quidem inveniri Pastores & Doctores, cæterum Ecclesiam qualiscunque etiam, & quam pusilla & tenella esset, jus habuisse eos vocandi, non tamen fecisse metu persecutionum, aut propter alia incommoda quibuscum conflictabatur. 2. Velim D. Doctor nobis aliquando declaret, quæ sit *sedes Romana*: sitne sedes stercoraria, an sublimis & sumptuosus thronus Antichristi, an jus eligendi Papam quod competit Cardinalibus, an ipsa doctrina Papæ, an corpus Ecclesiæ, an denique quid aliud. Ingenuè fateor me hactenus multâ Papanorum DD. eorumque primę notæ lectione, necdum assequi potuisse, quid significent mystica hæc vocabula *Sedes Romana*, pro quibus tanquam pro aris & focis sine ulla missione certatur. Videtur quidem per ea Censor noster, intelligere jus & potestatem, sed debuisset addere, sitne illa potestas Papæ, Cardinalium, an totius factionis. Si quando in regno aliquo vacat sceptrum & diadema, non dicitur sanè in suspenso esse ipsa potestas, ea enim est aut penes electores regis, aut penes populum, aut penes regis consanguineos. Si suspensa illa potestas esset, deberet respublica, & regnum illud, usque ad electionem, aut successionem legitimi regis destituta esse prorsus exercitio regiæ potestatis. Sed eam tamen exercent aut cognati sanguinis principes, aut proceres regni, aut etiam alii. Vt liquet ex historia Polonica, Gallica, Anglica, Hispanica, Neapolitana, &c. Necesse est ergo Fromondus alterutrum fateatur, aut sub tempora Pseudo-Pontificum fuisse nullam prorsus potestatem sedis Romanæ, aut eam fuisse tamdiu penes collegium Cardinalium, aut alios. Eligat utrum velit, nobis perinde est. 3. Vt ut in omnes formas se vertat, tamen hoc sequitur successionem Pontificum fuisse intercisam, nisi fateatur potestatem Pontificis, eandem esse cum ipso Pontifice. Damus ex superabundanti, potestatem fuisse suspensam absque ullo ejus exercitio. Sed quid inde sequitur, nisi hoc: fuisse nempe silentium, hiatum in successione, & ἀναρχίαν ultra centum annos. Confugiet fortè ad jus, quod tamen mansit. Sed nec hoc quicquam juvat. Quis etenim sanus statuet, quamvis posteris Constantini Palæologi (si qui fortè adhuc ex iis supersint) hodie adhuc competat jus imperii Constantinopolitani, non tamen turbatam esse successionem ipsorum Imperatorum? Arcem imperii Constantinopolim tenuere Ottomanni jam per 174. annos. Sedem Papanam illegitimi Pontifices ferè per 150. annos. Quis inde non concludat, tam diu suspensam & abruptam fuisse successionem Paparum, æque ac hodie abrupta esse dicitur successio Imperatorum Orientis. Quę de Lino & Clemente, inter se de successione Petri digladiantibus postea pag. 255. & 256. garrit, frivola, & indigna responso sunt. Idem quod Fromondus vult, vult etiam Voetius pag. 440. Quia Papani statuunt non abruptam successionem sedis Romanæ, etiamsi incertum sit, Linus, an Clemens proximè successerit Petro: hinc ille concludit posse alicubi esse veram successionem, etiamsi successio personalis præcise, & perfectè ostendi non possit. Et simul con-

texit XVII. argumentum. Sed hæc non consideravit Fromondus. Quæsivit quippe per totam desperatam causam occasiunculas ineptiendi, & garriendi.

CAPVT XLIV.

Ecclesia aliquando occultatur fatentibus ipsis Papanis DD. Refelluntur Fromondi nugæ. Defenditur contra ejus ineptias Cl. Plessæus, & Rivetus. Lutherus in Germania viam complanatam ad Euangelium invenit.

I. DIxerat Voetius pag. 436. Ecclesiam, cujus perpetua quidem, & jugis est successio, semper tamen humanis oculis non patet, similem esse fluminibus ex. gr. Alpheo, & Arethusæ, &c. Vt enim *fluvii hujus successio, & continuitas non abrumpitur, etiamsi in terram alicubi se condat*, &c. Ita nec Ecclesiæ, &c. Similitudinis hujus commodissimam Analogiam ferre non potest Fromondus, eoque cap. 43. Cris. pag. 257. ita contra eam ineptit: *Nonne tuâ ista tam subtili, fluvii se abscondentis, & postea è terra rebullientis, similitudine Ecclesiam tuam palàm te condemnare sentis? Ecclesia quippe vera Christi nullis seculis sic abscondi potest, ipso Christo teste, cum ait: Non potest civitas abscondi, supra montem posita. Est enim Ecclesia Christi, Civitas regis Magni, quæ in monte posita abscondi non potest, ait S. Augustinus.* Resp. 1. Falsissimum est Ecclesiam Christi nullis seculis sic posse abscondi, ut non appareat, & desinat illustris, ac omnium oculis exposita esse. Fateri coguntur ipsi Papani DD. quos si diligentius legisset Fromondus, verba sua circumcidisset accuratius. Nam præterquam quòd doceant eam tempore Antichristi occultandam, & velut sub terra sepeliendam esse, ut videre est apud Riber. & Regam in comm. in Apocalyps. Acost. Ies. lib. 2. de revel. noviss. cap. 15. & alios. Ingenuè fatentur eam jam olim occultatam, & aliquo tempore difficilem cognitu fuisse. Gregor. de Valent. Analys. lib. 6. cap. 4. *Novimus Ecclesiam iis aliquando errorum, schismatum, persecutionum fluctibus esse agitatam, ut imperitis quidem, nec satis prudenter rationes temporum, rerumque circumstantias æstimantibus, cognitu fuerit difficilis, quod tum maximè accidit, cùm Arianorum hæresis in orbe pene toto dominabatur, nam eo tempore scripsit Hieronymus contra Luciferianos, Ecclesiæ navem pene obrutam fuisse: & Hilarius pluribus monuit verbis, contra Auxentium, non fuisse Ecclesiam tunc temporis in tectis, & exteriori pompa quærendam, sed potiùs in carceribus, & speluncis; non igitur negamus quin fuerit Ecclesia, alio, atque alio tempore, difficilius dignoscere.* 2. Nihil ad rem facit locus Math. cap. 5. vers. 14. à Doctore adductus: quia ut rectè Chrysostomus & Theophylactus observarunt, Christus de Apostolis suis loquitur, quibus dixerat *ante; vos estis sal terræ: vos estis lux mundi.* Nihilque aliud eos vult monere, quàm ut solicitè, ac circumspectè vivant, quia in oculis totius orbis versabantur, ut vidit etiam Iansenius, non Iprensium, sed Gandavensium quondam præsul. Ita enim in Concordantia cap. 39. ad d. Math. l. *Tertiò suos etiam civitati in monte extructæ comparat, & vult significare, quòd quomodo civitas supra montem posita abscondi non potest, sed necessariò omnium oculis est exposita propter montis altitudinem: ita Apostolos propter status, & officii sui altitudinem, non posse latere hominibus, sed necessariò omnium oculos convertendos in ipsos.* Progreditur Fromondus ad aliam rationem. *Et alibi*, inquit, *mysticus noster David: Ego constitutus sum rex ab eo super Sion montem ejus sanctum. Quod enarrans iterum Augustinus: Ego constitutus sum rex ab eo super Ecclesiam sanctam ejus, inquit, quam montem appellat propter eminentiam, & firmitatem.* Resp. 1. Puerilis est hæc consequentia; Ecclesia similis est monti, ergo nunquam abscondetur. Quasi verò altissimus Athos, aut Athlas nebulâ densissimâ nunquam circumdetur. 2. Ecclesia non Papana, sed Catholica, monti Sion comparatur propter firmitatem, & inconcussam stabilitatem. Sophron. 3. vers. 11. *Tunc amovebo è medio tui exsultantes de fastu tuo, ut non pergas efferre te amplius in monte sanctitatis meæ.* Esaiæ 14. vers. ult. *Quid ergo responsurus est legatis gentis? Iehovam fundasse Tzijonem, ut in eam se recipiant pauperes populi.* Tertiò. Argumentum sumit ex variis Augustini locis pag. 258. Resp. Fateor. Augustinus disputans contra Donatistas, provocat eos ad Ecclesiæ splendorem,

dorem, qui tum admodum in partibus Occidentis, & toto imperio Romano, radiabat. Sed quid hoc ad thesin? Ideo Ecclesiæ fulgentes oculos intueri jubet schismaticos, quia tum temporis talis ejus erat facies. Sed ut non valet ista consequentia, hac vespera luna est plena, ergo semper erit. Ita nec hæc: Clara, manifesta, ac omnibus conspicua erat Ecclesia tempore Augustini, Ergo nunquam deficiet aut obscurabitur. Ecclesiæ visibilem illam claritatem non esse propriam quarto modo, scivit, immo docuit alibi ipse Augustinus. Epist. 48. *Ipsa*, inquit, *est Ecclesia, quæ aliquando obscuratur, & tanquam obnubilatur multitudine scandalorum.* Epist. 80. *Quando*, ait, *Sol obscurabitur, & Luna non dabit splendorem, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commovebuntur: Ecclesia non apparebit, impiis tunc persecutoribus supra modum sævientibus, & remoto timore, tanquam arrident mundi fælicitate dicentibus, pax & securitas.* Quas dein pag. 259. similitudines coacervat, eæ nihil probant, aut quidquam ad rem faciunt. Vt nec Cypriani locus ex lib. de Vnitat. Eccl. loquitur enim martyr de interno Ecclesiæ lumine, & radiis, qui per corpus & membra diffunduntur è Sole justitiæ. Sed quid hoc ad rem?

II. Dein incomparabilem Dn. Plessæum aggreditur, & quidem præfationem invicti illius mysterii. Scio, miraris lector, quod musculus leonem incessere ausit, sed cogita, mortuum eum esse. Omnia suadet auri, & purpuræ fames. Voetius puer est: sufficit scilicet ob eum prostratum, Iansenium ad Episcopatū esse evectum. De eodem hoste captivo, ratò duo Imperatores triumphare solent. Alius ergo ei quærendus fuit adversarius, nec ille inter calones sed triarios, & veteranos. Occurrit autē primò Plessæus: eumque quia celebris, honoratus, & fortis audit, invasit præ aliis omnibus. Sed quid tandem præstat σφὰξ βόμβων τέττιγος ἐναντίον? More suo ineptit, & garrit, ac specialiter, ut omnes videant asininam suam μεγατολμίαν, furit. Illust. Plessæus in præf. Myst. applicat prophetiam Apocalypticam, Apoc. 12. vers. 14. de fuga mulieris in deserto, & de diebus mille ducentis & sexaginta, ad septimum, octavum, & nonum seculum, quibus Ecclesia Occidentalis eclipsi, & caligine aliquâ obducta fuit. Et quia ἀδύνατον est, ut ea prorsus intereat Deus eo tempore in Galliam Narbonensem inter Alpes & Pyrenæos, velut in speluncam quam occlusit reliquias populi sui. Quemadmodum nervosissimè, pariter ac disertissimè Dn. Plessæus ostendit. Applicationem illam Prophetiæ, post solitas liras, & coccysmos (quibus ubique benevolentiam apud Lectores sui commatis venatur) oppugnat duplici argumento. Prius occurrit pag. 260. *Numerum*, inquit, *dierum 1260. ad quinque seculorum longitudinem extendit Plessæus; cum tamen annos tres totos cum dimidiato nondum impleant. Et S. Iohannes mox eodem capite eandem mulieris fugam repetens, ait solùm eam alendam in deserto per tempus, & tempora, & dimidium temporis, &c. Ex Hieronymo, Augustino, & passim sanctis interpretibus satis constat, tempus in similibus Scripturæ phrasibus pro anno sumi, &c. Est breve illud tempus, quo circa finem mundi, verus & famosus ille Scripturæ sacræ Antichristus, &c. illud in Ecclesiam Christi imperium exercebit? &c. Nonne etiam, ut omnis alterius calculi licentia, & error castigetur, numerus iste annorum, quibus regnum Antichristi dirissimè calcat Ecclesiam, per suos menses à S. Iohanne cap. præcedenti, & etiam sequenti* (11. & 13. cap.) *circumscribitur?* &c. Resp. 1. Quid vos Lovanienses obstupescitis ad hanc Fromondi responsionem: Bellarminus hujus delirii pater est, Censor interpolavit solùm, ac deturpavit ejus nugas. Inspicite illius caput 8. & 17. lib. 3. de R. P. ac mihi credetis. 2. Præsupponit Fromondus locum Iohannis 11. 12. 13. eôdem pertinere, & de eadem re agere, quia occurrit idem numerus annorum, quod tamen verisimile non est. Cap. 11. v. 2. agitur de persecutione futura sub Romanis Impp. sic enim legitur: *Atrium quod est intra templum, ejice foras, & ne metiaris illud: nam datum est gentibus: & urbem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.* Similiter interpretandus vers. 5. capitis 13. qui cum hoc componendus est. Per bestiam autem cap. 13. plerique intelligunt sævitiam Romanorum Principum. Tertullianus, Hieronymus, Orosius, Eusebius, & postremò Alcasar Iesuita. Quia vero numerus annorum, qui occurrit cap. 11.

& 13. idem eſt, cum eo cujus mentio fit Apoc. 12. ſequitur nullibi cum ſecundum literam, & propriè eſſe accipiendum: quia de loco cap. 11. & 13. manifeſtiſſimum eſt. 3. Si admittatur Bellarmini interpretatio, ſequetur abſurdum abſurdiſſimum. Omnes qui vivent tempore Antichriſti, certò poterunt noſſe annum & tempus alterius Chriſti adventus. Regnabit enim Antichriſtus ſecundum ejus ſomnia tres annos, ac dimidiatum, & ante elapſum quarti anni erit ſublatus. At adverſatur hoc ſacræ Scripturæ. Marc. 13. verſ. 33. *De die illo, ac hora nemo ſcit, ne angeli quidem, qui in cælo ſunt, neque ipſe filius, ſed pater.* 4. Bellarmini interpretatio adverſatur ipſi textui. Locutionem hanc, *tempora, tempus, & dimidium temporis* interpretatur de triennio & ſemeſtri, ſed quis Genius ei revelavit *tempora* ſignificare tantùm duo tempora, hoc eſt, biennium? Sanè in Græco textu Apoc. 12. verſ. 14. legitur ὅπου τρέφεται ἐκεῖ καιρὸν, καὶ καιροὺς, καὶ ἥμισυ καιροῦ. Vidit hoc etiam Iuſtinus Martyr in Dialogo contra Tryphonem Iudæum. 5. Longè probabilius dicere poſſumus locutionem hanc tempora, tempus, & dimidium temporis, interpretandam eſſe per locutionem *de diebus* 1260. quàm contra. Liquet enim ex Scriptura, dies ſæpe annos notare. 2 Petr. 3. verſ. 8. *Vnus dies perinde eſt apud Dominum ut mille anni.* Ezech. 4. verſ. 5. 6. *Ego do tibi annos iniquitatis illorum pro numero annorum, trecentos nonaginta dies, quibus feres iniquitatem domus Iiſraëlis. Quumque eris abſoluturus eos, incumbes lateri tuo dextro ſecundò, ut feras iniquitatem domus Iehudæ: quadraginta dies, diem unumquemque do tibi pro unoquoque anno.* 6. Quis credat, Antichriſtum de quo tam ſtupenda in Scriptura prædicantur, dominaturum tantùm per triennium, & dimiatum annum, ac tantillo temporis ſpacio omnia facere poſſe, quæ de eo prædicantur? 7. Manet ergo certum veram annorum 1260. rationem reddi non poſſe, nec quemquam ſcire, quod eorum initium, quis finis futurus ſit. Neque numeri illius interpretatio peti poteſt ex hac locutione, *per tempora, tempus, & dimidium temporis.* Sic enim loqui ſolet Scriptura de tempore non definito, tam brevi, quàm longo. Dan. 7. verſ. 25. *Vſque ad tempus, & tempora particulamque temporis.* Quamvis & hunc locum ad ſuum commentum Bellarm. torquere ſtudeat, fruſtra tamen eſt. Loquitur enim Propheta non de Antichriſto, ſed de tyrannide quam Antiochi in Iudæos exercituri eſſent. Eadem locutio occurrit cap. 12. verſ. 7. Scio viris doctis, & alias orthodoxis interpretibus videri Danielem definiiſſe certum, & breve tempus: ſed eorum authoritate ſolis conjecturis ſubnixâ dejici nullo modo de veritatis ſtatu poſſum. Et hoc eſt prius Fromondi argumentum contra Dn. Pleſſæi applicationem. Poſterius proponitur in hoc fatuo verborum juſculo. *Deinde,* inquit, *mulier Apocalyptica, ſive Eccleſia Chriſti, inter illud tempus, & tempora, ac dimidium temporis, non erit tam ſepulta, &c. quàm ſuam Eccleſiam per illa quinque ſecula, &c. abditam, & perditam fuiſſe ſomniat Pleſſæus. Deinde plurimi animo validiores, &c. urbes & frequentiam non deſerent; adverſus quos, reverſus à fugientium perſecutione Antichriſtus bellum geret, & acerbitate tormentorum conſtantiam eorum frangere, ac in partes ſuas traducere tentabit. Nam iratus eſt Draco in mulierem (Eccleſiam, quæ jam manus ejus effugerat) & abiit facere prælium cum reliquis de ſemine ejus, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Ieſu Chriſti, ait idem Iohannes.* Reſp. 1. Quod quæſo vulnus à plumbeo hoc pugione infertur incomparabili Pleſſæo? Dicit Scriptura *fugiſſe mulierem in deſertum*; mulierem verò eſſe Eccleſiam fatetur ipſe Fromondus: VValdenſes alioſque fideles, in montium vallibus, ſpeluncis, & nemoribus diu latuiſſe negare quoque non poteſt. An non ergo volens nolens approbare compellitur Pleſſæi ſententiam, quam tanto cum apparatu paulò ante aggrediebatur? 2. Non ſcripſit Pleſſæus Eccleſiam ſepultam eſſe, ut hic calumniatur, mortui enim ſepeliri & componi ſolent. Solummodo dicit Eccleſiam propter graſſantem Antichriſti tyrannidem, ejus oculis ſe ſubduxiſſe, & loca avia, ac deſerta petiiſſe. At quid verius eſt? 3. Nec negat quoque Pleſſæus aliquos in urbibus, & frequentia hominum manſiſſe. Imo hoc toto libro docet, & ſtudioſè probat. Corpus Eccleſiæ montes, & ſolitudinem incolebat, & tamen in urbibus, in cænobiis,

biis, in medio Antichristianismo varii erant, qui veritatem docebant, & voce ac stylo contra filium perditionis defendebant. Ipsissima hæc veritas est. Eam docet, probat & confirmat per omnia secula, seculorumque periodos in mysterio suo Dn. Plessæus. 4. Non obstat quoque locus, quem ex Apocalypsi adducit (cap. 12. vers. 17. *Iratus draco*, hoc est, Papa Romanus: *in mulierem*, hoc est, ubi vidit se Christi sponsam, & Ecclesiam non posse exscindere, & è medio tollere: *abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus*, hoc est igne, ferroque, nec non excommunicationum fulminibus, atque diris grassatus est in Imperatores, Reges, omnesque qui aut veritatem, & supremam Christi potestatem contra ejus tyrannidem defendebant, aut eum Vice-Deum, Christique vicarium, ac supremum in Spiritualibus, & temporalibus dominum agnoscere recusabant. An non omnes historiæ, annales, martyrologia, imo ipsa saxa, & urbium cadavera (quæ bello ab Antichristo excitato, eversa sunt) hoc proclamant, ac testantur? Quorsum instituta illa plus quàm Phalarica inquisitio, nisi ad occidendos eos, *qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu Christi?* Non enim in Ecclesias illa grassatur, quia confugiunt remigio veloque: sed in familias, in quibus clanculario in Spiritu ac veritate sincerè Deus adoratur, & colitur. Testis est Hispania, quæ quotannis tot homines vixdum in cortinâ Reformationis consistentes, & in uno fortè ac altero articulo à Papismo dissidentes, Vulcano offert. Testis est Brabantia, quæ ante paucos etiam annos, quia in Ecclesias grassari non poterat, rabiem suam exercuit, in ancillulam Annam van den Hoove: quam ideo vivam defodit, quod desperaret de sepelienda Ecclesia Catholica. Tantum ergo abest, ut ex hoc loco labefactetur Dn. Plessæi applicatio, robur ac vires accipit. Et hæc sunt trisulca tela, quibus septemplex Dn. Plessæi scutum transverberare studet Fromondus. Iudica, ipse Lector, quid sit meritus, pedum, stivam, Calliroen, crepitaculum, an ferulam.

III. Postea ad nugas suas redit, & quæ in præcedentibus capitibus, non semel atque iterum, sed sæpius usque ad tædium lectorum, dixerat, majore cum strepitu verborum, minore verò cum prudentia, reiterat. Quæ contra exemplum Eliæ, qui se solum derelictum esse querebatur, de Iuda & Iosaphato ex Bellarmino garrit, jam antè diluimus. Discat autem velim ineptias suas nosse ex domesticis & propriis DD. Qui per vocem Israel absolutè propositam, intelligunt totam Iacobi familiam. Arias Montan. comm. in Hos. cap. 1. *Observandum est*, inquit, *cùm nomen Israel absolutè appellatur, integram Iacobi familiam, hoc est, duodecim tribus significari: nam cum tantùm decem tribus seorsim indicantur, id fit aut appositione Iudæ, aut additione regni, aut domus: ut regnum Israel, aut domus Israel; quasi propriis notis nominatur.* Eder. Oecon. Biblior. l. 2. de libris Regum. *In libris Regum*, ait, *describitur regnum Iudæ, & regnum Israël: per regnum Iudæ designatur paucitas fidelium, tantùm enim tribus duas continebant: per regnum Israël designatur multitudo hæreticorum, ut Hieronymus ad Paulinum observat.* Subjicit dein, ad probandam Ecclesiæ amplitudinem, & fidelium multitudinem Psal. 71. aut ut in Heb. est 72. in quo de Christo rege vers. 8. dicitur: *Dominabitur à mari, usque ad mare.* Sed quid hoc ad rem? Loquitur ibi David de Ecclesia N. T. quæ non conclusa erit angustis Palestinæ terminis, sed per totum terrarum orbem diffusa. At quis nisi extremè stolidus inde concludat, Ecclesiam perpetuò fore visibilem, & oculis impiorum conspicuam? Verè autem Voetius in Desp. Causa pag. 633. pro orthodoxa sententia adduxit Augustinum in Ps. 128. ubi fatetur aliquando in solo Abele, in Abrahami, & Lothi familia, in arca Noach, in solo Enocho fuisse Ecclesiam. Nec quicquam ad rem facit, quod Fromondus pag. 262. dicit: *Illi non erant gentes benedicendæ in semine Abrahami, & multiplicandæ sicut stellæ cæli, & arena maris.* Quasi verò non Ecclesiæ semper sit una, eademque ratio, & æquè post Abrahamum, quàm ante eum in paucis potuerit subsistere. Et promissio Abrahæ facta, non eum, sed Christum respiciat in quo æternum benedicti sunt omnes populi, & nationes. Sic enim illud *in semine tuo*, pro quo Genes. 12. & 13. *in te*, legitur, interpretatur Apostolus ad Galatas cap. 3. vers. 16. At quid hoc ad rem? aut quæ

hæc bestialis est consequentia, *In Christo semine Abrahami secundum carnem benedictæ sunt omnes Gentes, Ergo Ecclesia ut ante Abrahamum, non potest subsistere in paucis, & occultari coram oculis persecutorum.* Quæ dein repetit ex Flor. Ræmondo scriptore mendacissimo, de Calvino fatente ante Lutheri tempus nusquam fuisse Ecclesiæ corpus, vesana, absurda, falsa, & indigna responsione sunt: ut & ea quæ ex bono suo Abrahamo Bzovio homine dignissimo Cretensium tribunatu de Lollardis, &c. pag. 263. commemorat, ad quos scilicet, non nisi perditissimi, ac flagitiosissimi quique se recipere solent. Pascantur eo thymo claustrales fuci, & caudati Catholici. Viri serii, ac cordati, mendacia & calumnias esse sciunt, quibus ægrè se tuetur contra veritatis acerrimum insultum Papismus. Quod in clariss. Rivetum pag. 264. cum hoc epiphonemate debacchatur: *Deus tibi parcat Rivete.* in eo vesaniam, & furorem suum prodit. Verissimum enim est, quod Dn. Rivetus dixit, Lutherum viam in Germania præparatam invenisse, ejusque doctrinam (quę ipsius Christi est) longo tempore fuisse ibi conservatam. Præcesserant enim eum Taulerus, Martinus Meyer, VVesselus Phrysius, Ioannes Gochius Mechliniensis, Ioannes VVessaliensis concionator VVormaciensis, Paulus Scriptorius, qui diu antè Tubingæ docuerat omnia ad verbum Dei esse examinanda, & masculè transsubstantiationis monstrum oppugnaverat. Item Ludolphus Castricus qui Magdeburgæ in Indulgentias concionabatur. Sebastianus Erphordensis Pastor. Rudolphus Agricola, qui totus erat in deplorandis Ecclesiæ abusibus. Rostochii erat Nicolaus Russus Theologiæ Baccalaureus, qui non docere tantùm, sed & scribere ausus fuit contra ossa mortuorum, Paparum insolentiam, & spirituales turpitudines. Argentinæ docebat Ioannes Keisersbergius, qui quantum in se omnia in Ecclesia sibi commissa restaurare studebat, gregemque suum non semel consolatus est de Reformatione quam præ foribus esse dicebat. Vt nihil jam dicam de Erasmo qui scriptis suis præluxit Luthero, eaque omnia, quæ hic docuit, vidit, ac scivit, cuique ad moliendam Reformationem nihil præter animum defuit. Vnde nec mitius solet tractari à furibundis Esavitis, quàm ipse Lutherus. *Semichristianum*, eum vocat Bellarm. lib. 1. de Verb. Dei cap. 9. *Luciani impietatem longè ab eo superatam esse* conqueritur in præf. tom. 1. Controv. 7. Imo æque grande piaculum putatur eum citare, quàm ipsum Lutherum, aut quem alium ex Reformatis Theologis. Possevinus pro Iebusitica sua scientia, ac conscientia, existimat in Iansenii Commentariis ubique delendum, ac inducendū esse Erasmi nomen. lib. 4. Bibl. Select. cap. 13. Cùm hi omnes ante Lutherum veritatem docuerint, audet tamen catellus præstantissimum Rivetum allatrare, quòd scripserit illam doctrinam (quam annunciabat Lutherus) diu conservatam fuisse. Etiamsi autem de Germania foret falsum, non tamen falsus esset Cl. Rivetus. Non plantavit, sed invenit Lutherus Ecclesias Hussiticas in Bohemia, VValdensium in Gallia, &c. Nec quicquam ad rem facit quòd Lutherus paulatim in cognitione veritatis profecerit, ut nugatur Censor. Antichristianismus & Papismus quoque non nisi per gradus ad fastigium tyrannidis, idololatriæ, ac superstitionis pervenerunt, & tamen ringitur Fromondus si novitatis arguuntur. Lutherus non eodem tempore omnia cognovit, & vidit, quia simul etiam omnia reformare non poterat: eòque Deus per incrementa eum illuminavit, ut ejus cognitio, & reformatio pari passu progrederentur. Admirari hanc Dei sapientiam, non ridere cum Fromondo convenit.

CAPUT XLV.

Quanti faciendi sint scriptores, quos Iesuitæ edunt. Malè Apostolicis accensentur VValdenses. Duplices fuerunt pauperes de Lugduno. Pilichdorffius Iebusiticus author, nihil derogat Rainerio.

I. CApite quadragesimo quarto, ad quod ordine accessimus, iterum VValdenses invadit. Probarunt Plessæus, Rivetus, Voetius aliique ex Rainerio qui anno 1250. de eorum erroribus scripsit, eos nec novitios, nec paucos fuisse. Vt enim d. Reinerius qui in eos inquisitor & judex sedit, scribit; *Putabantur durasse aut à*

tempore

tempore Sylvestri aut Apostolorum. Nullaque terra erat in qua eorum Secta non serperet. Historicam hanc narrationem labefactare, & suspectam reddere studet Censor, sed tantum studet. Opponit Reinerio tenebrionem quem nomine Pilichdorffium, quem primitus, bonus scilicet vir, & mentiri nescius Iacobus Gretzerus ex bibliotheca monasterii Tegerseensis in Bavaria produxit, adjunxitque tom. XIII. Bibliot. Patrum. Quid existimat Fromondus, nos aut polyposos, aut truncos esse, qui aut subodorari, aut sentire non possimus malam fidem Iebusitarum, quam in cudendis & edendis novis authoribus nimis apertè prodere solent. Scimus qualis fuerit Gretzerus bibliothecarum prædo, & antiquorum monumentorum pernicies. Depinxit eum Cl. Goldastus in Repl. pro Imperio cap. 13. Eò lectorem remitto. Quid autem tribuendum sit Editionibus Iebusitarum, & nominatim Bibliothecæ Patrum, malo verbis Laurentii Bochelii, advocati Pontificii in parlamento Parisiensi, quàm meis referre. Ita autem ille in præf. Decret. Eccl. Gall. *Nil crebrius*, inquit, *doctorum hominum proclamationibus adversus ejusmodi eviratores, jure meritoque pœnâ legis Corneliæ ex edicto Domitiani, Hadriani, Constantini, & Iustiniani nostri plectendos. Taceo innumeros authores sacros, profanos, veteres, recentiores, ab istis tam improbi, quàm infelicis ingenii hominibus miserabiliter decurtatos, vel ipsis regibus non parcere adsuetis, nedum S. Ludovico, cujus pragmaticæ, ut vocant, sanctionis articulos nonnullos, maximè ad rei Gallicæ statum pertinentes, abs Bibliotheca illa SS. Patrum, Constitutionibus regiis, & statutis Episcoporum quorundam synodalibus Reginæ Vrbium Lutetiæ nuper impressis expunxerunt. Væ, iterum væ, ut cum vidente exclamem, nebulonibus, qui tales Musarum castitati, & integritati venerandæ non solùm insidias struunt, sed & Musas ipsas impudenter, & nequiter, subdolo religionis Zelo, nullius frontis hominis devirginant, fucumque istum pietatis nomen ementitum, inter pias fraudes numerant.* Si ergo hunc Pilichdorffium ut Iebusiticum authorem rejiceremus, quid indecori committeremus?

II. Sed quid tandem Pilichdorffius? *Mentitos*, dicit, *fuisse VValdenses, coram simplicibus, cum dicerent sectam suam durasse à temporibus Sylvestri Papæ.* Vtri magis credendum, huic an Reinerio, qui inquisitor in eos fuit constitutus? Vnde verò probat mendaces fuisse VValdenses? 1. Ex falso principio. Quòd nempe socius Sylvestri, cùm Constantinus ditaret Ecclesias, ab eo recesserit, ut viam paupertatis teneret. At quàm illud ἀσύστατον? VValdenses qui ad extremum usque, ut liquet vel ex uno Thuano, coluerunt agros, & possessiones habuerunt, quasi semi-monachi fuissent, votum paupertatis nuncupasse finguntur? Nec quicquam Fromondum juvat, quod etiam Pauperes de Lugduno vulgò cognominati fuerint. Vt inter Apostolos fuit Iudas, & in reti Ecclesiæ & boni, ac mali pisces sunt: sic inter VValdenses per populi imperitiam relati quidam sunt, qui nihil minus quàm VValdenses fuerunt, hoc est professores veritatis. Pauperes de Lugduno duplices in Historiis occurrunt, quosdam agnoscimus, quosdam Papanis relinquimus. Veri pauperes de Lugduno, sic à contumelioso popello cognominati, neminem in Ecclesiam suam recipiebant, quin renunciasset antè omnibus articulis Romanæ Ecclesiæ: fatente Petro Sarnensi in histor. Albig. cap. 2. Alteri autem semi-monachi, & imperfecti Franciscani erant, cucullosque gestabant, & non semel atque iterum, sed sæpius confirmationem sui ordinis à Papis postularunt. Eorum fit mentio quoque in vita Ludovici Bavari: ductor eorum fuit Bernhardus quidam, unus ex duodecim sociis Francisci de Assisio. de quo videri potest Bonavent. in vita Francisci cap. 3. Omnia hæc probantur ex Conrado à Lichtenauvv abbate Vrspergensi, qui ita ad annum 1212. *Vidimus*, inquit, *tunc temporis aliquos de numero eorum, qui dicebantur pauperes de Lugduno, apud sedem Apostolicam cum magistro suo quodam, ut puto, Bernhardo, & hi petebant sectam suam à sede Apostolica confirmari, & privilegiari. Sanè ipsi dicentes se gerere vitam Apostolorum, nihil volentes possidere, aut certum locum habere, circuibant per vicos, & castella. Ast dominus Papa, quædam superstitiosa in conversatione eorum ipsis objecit, videlicet quòd calceos desuper pedem præcidebant, & quasi nudis pedibus ambulabant. Præterea cum portarent quasdam cappas,*

 quasi

quasi religionis, capillos capitis non attendebant, nisi sicut Laici: hoc quoque probrosum in eis videbatur, quòd viri, & mulieres simul ambulabant in via, & plerumque simul manebant in una domo, & de eis diceretur, quòd quandoque simul in lectulis accubabant. Quæ tamen omnia ipsi asserebant ab Apostolis descendisse. Cæterum Dominus Papa in loco eorum exurgentes quosdam alios, qui se appellabant pauperes minores, confirmavit. Hos verò non VValdenses fuisse, sed ex Francisci pullitie probo amplius tribus argumentis. I. Quia jam diu antè, veri VValdenses erant à Papa Alexandro III. condemnati in Synodo Tyronensi anno 1163. ut notat Guil. Neubrigensis lib. 2. cap. 15. Quomodo ergo ausi fuissent comparere anno 1212. coram Innocentio III. & ab eo petere ordinis confirmationem? II. In ordine Francisci fuerunt etiam conjugati, qui velut tertiani quidam inter ejus locustas, annotante Franc. Gonzaga generali Minoritarum in libro de eo ord. Romę excuso anno 1587. Eorum regulam composuit Nicolaus IV. III. Secta hæc in Italia est exorta. Constat verò inter omnes, VValdenses ex Gallia oriundos esse. Clarum ex ipso Vrspergensi loco jam laudato. *Olim*, inquit, *duæ sectæ in Italia exortæ, adhuc perdurant, quorum alii humiliatos, alii pauperes de Lugduno se nominabant.* Ex his liquidò constare arbitror, injuriâ VValdenses inter Apostolicos à tenebricoso, & Iebusitico Pilichdorffio referri, Fromondumque instar ranarum præter strepitus, & ridiculas coaxationes nihil tota sectione 11. & 111. protulisse. Quæ dein ineptit de jactantia & ineptia Voetii, ea jam aliquoties sunt refutata, & paulo post sequenti capite fusius refutabuntur.

III. Postea præter nugas, & calumnias de Manichaismo & hypocrisi VValdensium, quas, quia omni scribendi materia destituebatur, ad implendam chartam, & delassandum Lectorem, repetit, ex bono Pilichdorffio docet non tam late patuisse eorum Pomæria, ut prædicat Reinerius. Sic enim dicit Pilichdorffius c. 15. *Ostendam tibi hæretice VValdensis, gentes, tribus, populos, & linguas, ubi per Dei gratiam sunt omnes Catholici, & omnes homines sunt immunes à tua secta penitus conservati: scilicet Angliam, Flammingiam, Flandriam, Brabantiam, Garlandiam, VVestphaliam, Daciam, Sueciam, Norvveigiam, Prussiam, & regnum Cracoviæ pene nullos habens VValdenses. Si Garlandia*, Vtopiæ, opinor, metropolis non accederet, nihil ferret testimonium hoc VValdenses. Sed an diffitetur provincias, & regna hæc prorsus defæcata fuisse à VValdensibus Pilichdorffius? Minimè. *Pene nullos VValdenses*, ibi fuisse refert. Aliquid dixisset si pro *pene, penitus* scripsisset, ut secundum Criticam Papanam, in margine ex C. T. legendum cum Gretzero putat Fromondus. At quis ei credat? frigidum nimis hoc commentum est, risu, non responsione excipiendum. Crepant quidem Doctorculi MSS. Codd. sed in vertiginosi cerebri antris illi sunt repositi. Corrumpere ex iis, non corrigere possunt authores antiquos. Et cur non? quidquid non favet Papæ, ejusque tyrannidi impune in iis delere, corrigere, & restituere licet. Nec injuria quoque fit authoribus, reformantur enim ad modulum & regulam Ecclesiæ, hoc est factionis Papisticæ. Miror verò, quòd Pontificii omnes, hanc indoctorum monachastrorum perversam diligentiam non laudent utroque pollice, quodque dux Bavariæ mandaverit cancellario suo, Ioanni Georgio Hervvarto ingens volumen scribere, & edere contra Abrahamum Bzovium Baronii continuatorem, quòd perfidè & nefariò vitam Ludovici Bavari ad laudem Papæ, & domus Bavaricæ ignominiam descripsisset. Sed ita hodie usu venit, viri principes & magnates ex consuetudine magis, quàm devotione adhærent Papæ, nec eum tam metuunt, quàm tolerant. Obsignat dein caput hoc solitis suis coccysmis. Ne autem ei similis evadam, præteribo: & omissâ stulta, ac inepta coronide, ad examen postremi ejus capitis, quo velut per satyram, omne genus nugarum, & ineptiarum, commemorantur, me conferam.

CAPVT

CAPVT XLVI.

Deteguntur, & diluuntur variæ Fromondi nugæ. Mulieres baptizantes habendæ sunt hæreticæ. Quid apud Irenæum sit principalis successio? Voetii ἁμαρτήματα μνημονικὰ deliria Fromondi sunt. Defenditur Cl. Rivetus contra garrulam Corniculam. Dn. Cyrillus Patriarcha Constantinopolitanus alienissimus est à factione papali.

I. SVperest postremum Criseos caput, in quo quasi in purgatorio Lovaniensis Academiæ, omnis coloris,& generis nugæ,quisquiliæ, ac somnia compareant. Sic etenim conveniebat. Peccatum grande est si cauda dissimilis sit auribus. Nos verò strictim & vellicatim omnia attingemus, quia videmur audire Lectoris OHE. Primò exagitat jurisprudentiam Voetii. Et cur non? In jure,ac medicina æque est versatus ac in Theologia. I. Pag. 272. ad risum usque ineptit, quando Voetium redarguit quòd in Desp. Causa p.264. scripserit *Electionem ad ministerium esse ipsam institutionem, & totam potestatem ministrandi,& exercendi officium Ecclesiasticum.* Quid enim mendacium est,si hoc non est? Inspiciatur Voetii locus ut erubescat Fromondus. Ita autem dicit: *In jure Canonico Episcopus ante consecrationem spirituale conjugium cum Ecclesia inisse dicitur, & liberam super illa statuendi facultatem accepisse,* &c. Dein sic concludit: *Ergo electio plus tribuit, quàm præparationem personæ ad jus redituum,Ergo Electio confert potestatem ministerii.* An hoc est Electionem per omnia æquiparare institutioni, & dicere per eam conferri totam ministrandi potestatem, ut vult Fromondus? II. Pag. 273. Exagitat Voetium, quòd dixerit in Desp. Causa pag. 111. *se nullà necessitudine aut caritativa obedientiâ subjectum esse sedi Romanæ.* Et ad hoc probandum pag. 120. adducit dictum Pauli 1 Cor. 5. vers. 12. *Quid enim mihi de iis,qui foris sunt judicare?* Per illos autem qui *foris* sunt Eman. Sa Iesuita non incelebris intelligit eos, qui sunt *extra Ecclesiam.* Adeo ut hoc sit ejus argumentum ad hominem puta: *Quoscunque Papa extra Ecclesiam esse statuit illi ab eo non possunt* judicari, *Calvinianos extra Ecclesiam esse statuit, Ergo.* Achillem hunc labefactare studet Fromondus multis quidem verbis, sed nullo robore. Post bullas plurimas efflatas adducit Chrysostomum, qui per eos,qui foris sunt intelligit *Gentiles*, videturque sibi non insubide Voetium ad absurdum redigere, quia nunquam dabit se Gentilem esse. At quam hoc ridiculum? Chrysostomus præferendus erit ubi agitur de causa Papæ filio Loyolæ. Ergo ubique recipere debet Chrysostomi glossam Fromondus, si eâ condemnari velit Voetium. Sed demus rectè Chrysostomum Pauli mentem esse assecutum. Nihilominus Papæ magnopere adversatur eloquentissimus Græcorũ Patrum. Ille enim pro arbitrio judicat, absolvit,& condemnat Gentiles: ac Castellanis quidem totam Americam, id est vitam, animam, & operam Gentilium, qui ibi vivunt,donavit: necessum ergo est,Fromondus, si fateatur veram esse Chrysostomi interpretationem, Papam Paulo adversari fateatur. Sed alia est catena, quâ sedi sumus alligati. *Catenâ*, inquit, *istâ baptismali retrahi ad Censuras, & Canonicas pœnas potes,mi Voeti.* At quàm bestialis hæc consequentia est? Omnes baptizati quadantenus pertinent ad Ecclesiam, & saltem in Christianismo sunt,ergo subjacent Censuris,& canonicis pœnis Papæ Romani. Argumentare ita contra Græcos,Russos, Abassinos, Armenios, & cæteros,Fromonde,& exspecta solutionem. Si, bone doctorcule, subjacemus Ecclesiæ, quia baptizati, & non gentiles, sed Christiani sumus, quæ frons, quæ fides Giffordi sacerrimi nebulonis Turcis, & Mahometistis nos comparantis? Aut cur non vulgus Hispanicum aliter eruditur, haud secus enim de nobis ac gentilibus, & dæmonolatris, existimat? Gratias, mi doctor,pro hoc candore tibi agerem,si non inscitia propriæ Theologiæ, & sterilis garriendi materia ad hæc ingenuitatis catadupa te pepulisset. Quæ de Thoma sibi obloquente, & baptismo nostro, suspectato à clero Brabantino ex pastorali Mechliniensi refert, indigna examine, & responsione sunt. III. Lascivientem stylum in Voetium exercet,quòd dixit in Desp. Causa pag. 273. Papanos *dispensare circa ministrum,materiam,formam, & subjectum baptismi.*

 Hoc

Hoc ita arrodit: *Tu nempe homuncio tresis, sapientior, & Scripturæ callentior quàm S. Augustinus, qui ait, Si nulla necessitate usurpetur (collatio baptismi) & à quolibet (etiam laico, de quo disputationem instituit) cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum.* Resp. Quàm contemptim Papani loquantur de Augustino, quando obest, supra aliquoties ostendimus. Sed illæ sunt eorum artes, quando leviter tantùm, & in speciem favent Patres in cælum eos extollunt, & pæne Deos faciunt. Augustini authoritas obrui potest authoritate plurium aliorum Patrum. Sane Basilius in Epist. ad Amphiloch. rejicit baptismum à Laico collatum. Tertull. de Præscr. cap. 41. cujus locum Iansenius in Alexipharmaco Punicâ fide mutilavit. *Ipsæ*, inquit, *mulieres hæreticæ, quàm procaces, quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tingere.* Tertull. de veland. Virg. cap. 9. *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec tingere, nec offerre.* Imo ut hæresin in Marcione notat Epiphanius hæres. 42. Quod permittebat mulieribus baptizare. Dein movet quæstionem (ut vocat) Physicam, de lixivio. An nempe retineat essentiam aquæ naturalis, sed eam nec ulterius ventilat, nec solvit. Quando autem probaverit lixivium retinere essentiam aquę jugis, credam etiam cerevisiam, & mulsum esse puram putam essentialem aquam. Conglobat dein verba sine capite, & cauda. Voetium quidem arguit quod inter Theologos Scholasticos, & ordines Monachales dixerit esse schismata, & primorum Reformatorum ordinationem nihil aliud fuisse quàm vocationem, & collationem jurisdictionis, nec non quod deosculationes Papæ pedum blasphemias Antichristianas vocaverit. Sed hæc tantùm sarcasticè recenset; si hoc est disputare, & confutare, ego quantumvis juvenis omnium artium & scientiarum fundamenta convellere possem. IV. Voetius in Desp. Causa pag. 389. quærit quomodo quis Primas nasci possit, quia occurrit inter Titulos Tridentinos, *Philippus Mocenicus Venetus, Regni Cypri primas, & legatus natus.* Difficultas hæc, Fromondo, cui nihil difficile est, planissima videtur, eoque jure cum hoc supercilio è stultitię suæ cathedra pag. 275. profatur: *Explicamus tibi, mi puer. Nemo Episcopus aut primas natus dicitur, sed legati nati omni Canonistarum vulgo notissimi sunt.* Lepidè. Adduc, mi Doctor, unum canonistam, aut canonem, ubi de legatis natis agitur. Mocenicus quia primas, ideo etiam erat legatus. Primatui enim legati dignitas adhæret, nec hæc sine illo esse potest. Sed aliam lepidam responsionem ride lector: *Verum*, inquit, *cùm paulisper hic resisto & meditor, non tam ignorantiæ suspectus, quàm malitiæ fere manifestus mihi es. Cùm enim legeris primas & legatus natus; quæ Grammatica te coegit, ut adjectivum natus substantivo remotiori primas, potiùs quàm proximo, legatus conjungeres.* Quis crederet hæc numero potuisse excogitare Fromondum, inter meditandum adinvenisse miratur nemo. At quot unciæ subtilitatis in hac responsione latent? ne quidem semuncia. Rogaret præceptores & pædagogos Grammaticos quid sit zeugma. Ego semper putavi, cum dicerem Fromondus, & Iansenius est ridiculus, me coloribus suis non solùm Iprensem præsulem, sed Lovaniensem quoque Doctorem delineare. At jam fluctuare incipio. Memor ero cubitalis hujus acuminis, & quando novam syntaxin condam, inter paradoxa illud, virgis equidem & ferulis objurgandum referam. V. Grande aliud peccatum Voetii notat pag. 275. *Quoties*, inquit, *errorem aliquem fidei in VViclefo, Luthero, &c. admittis, ad S. Irenæi, aut Cypriani exempla confugis, qui in Chiliasmo, aut Anabaptismo errantes, in alteram tamen Ecclesiam, à Catholica non exciderunt. Sed exempla ista nimiâ dissimilitudine claudicant. Nam sancti illi nunquam supremum alicujus Ecclesiæ judicium sibi arrogaverunt, sed privato judicio à vero aberrantes, Ecclesiæ Catholicæ supremo tribunali, & authoritati se submittebant.* Vtinam hæc tam vera essent, quàm quidem videntur. Sed ad pueros tales phaleras! Qui Cyprianum legerunt, sciunt, quanti fecerit Stephanum Papam. Qui autem potuit Cyprianus, si Romana Ecclesia sola est Catholica Ecclesia, non excidere eâ, cùm Stephanus Papa tum eum, tum reliquas omnes Africanas Ecclesias à communione, & corpore Ecclesiæ amputaverit. legatur ep. 74. Cypr. Edit. Pamel. item sequens 75. Inter alia ibi de eo inquit: *Nec intelligit offuscari à se, & quodam-*

modo aboleri Christianæ petræ veritatem, qui sic prodit, & deserit unitatem. Nec quicquam ad rem facit, quod August. de Cypriano dicat lib. 2. de bapt. contra Donat. *Ipse sine dubio, universæ Ecclesiæ concordissimæ authoritati cederet, si jam illo tempore, quæstionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium solidaretur.* Sufficit nobis Cyprianum fuisse Catholicum, & nihilominus fovisse errorem non quidem fundamentalem, sed tamen errorem de rebaptizandis iis, qui ab hæreticis baptizati essent. Quod ad Irenæum reliquosque Patres Chiliasmum docentes, contra eos nulla valet exceptio: erat enim recepta tum traditio error ille, tradita & confirmata à Papia homine simplici & credulo, teste Eusebio lib. 3. Hist. cap. 33. Crediderunt ei præter Irenæum, Iustinus Martyr, Tertullianus, Lactantius, Victorinus Pictaviensis multique alii, at quis tamen eos hæreticos propterea vocavit, aut ab Ecclesiæ communione separavit? Evanescit ergo Fromondi ineptia, & in statu manet Voetii instantia.

II. Accedo ad ea quæ in Philosophia & dialectica Voetii reprehendit, in quibus non minus insanit, quàm in præcedentibus. Voetius pag. 603. & 604. progrediendo per enumerationem partium, & negativè removendo omnia dogmata, & inventa papalia invicto argumento probat tribus primis seculis Papatum non fuisse in rerum natura. Fromondus ut argumentum facilius enervet ex inductione excerpit tantùm *casus Papales reservatos, gabellas annatarum, indulgentiarum, absolutionum, Denarium sancti Petri*, eaque in rerum naturâ fuisse probat hoc sarcasmo pag. 276. *Consequentia similis est, & soror hujus: Hollandi ab annis jam 50. non gestabant femoralia ejusdem formæ, cujus hodie; Ergo mutati sunt in homines alterius speciei.* Papæ! quàm solidè, & lepidè! Ergo, tu, bone Doctor, & eris nobis Pythagoras tabaccarius, probato materialiter tribus primis seculis in usu fuisse annatas, indulgentias, casus reservatos, & denarium Petri, æque ac ante quinquaginta annos fuit idem pannus qui hodie, aut leges aliquas fundamentales, quo simili etiam postea uteris, de iis extitisse, quibus tantùm additamenta quæ faciliori interpretationi, & custodiæ inservientia accesserint. Sanè aliud fatentur qui inter vos doctiores fuerunt. De Indulgentiis confitentes Durandum, Biel, Roffensem, Sylvestrum, Prieram, Cajetanum adduxit Voetius in Desp. Causa pag. 546. & seq. Quod ad annatas: earum primus architectus, & author fuit Bonifacius VIII. circa annum Christi 1404. teste Antonino in Chronico part. 3. tit. 22. cap. 3. Quàm extremè autem avarus hic fuerit liquet ex eo, quod Theodoricus à Niem ejus amanuensis lib. 2. de Schismate cap. 11. refert. *Cuidam*, inquit, *interroganti ab eo in ultimis constituto qualiter se haberet, aut sentiret, respondit, si pecunias haberem bene starem.* Sic Christi vicario extrema, & maxima cura de pecunia fuit. Denarii Petri primus exemplum fecit Casimirus Poloniæ rex sub annum 1045. cathedram tenente Benedicto IX. Eum brevi insecuti sunt Sueno rex Daniæ, & Guilelmus rex Angliæ, at quæ hic antiquitas, aut quid hæc ad tria primitiva secula? II. Aggreditur argumentum Voetii, quo apodicticè in Desp. Caus. pag. 623. probavit Ecclesias profitentes nostram, hoc est, Apostolicam fidem omnibus seculis fuisse in rerum natura. Evincit enim Voetius per inductionem quæstionem tantùm esse de Papismo, & Christianismo nostro, aut Catholicismo: Ecclesias autem oppositas Papismo non fuisse nisi membra Catholicæ Ecclesiæ evincit item inductione: *Quia neque Arriana, neque Nestoriana, neque Eutychiana, neque Manichæa, &c. neque etiam Mahometistica, Iudaica, aut Papistica fuit.* Argumentum hoc ita eludit Fromondus pag. 277. *Sed cur non etiam, ergo fuit Mennonistica, ergo fuit Lutherana, aut ubiquitaria.* Docemus te, mi Doctorcule, Ecclesiæ illæ nunquam insimulatæ fuerunt errorum, & furorum Anabaptisticorum, nec etiam ea quæ in Lutheranis fratribus nostris exosculari non possumus, docuerunt. Remittis nos quidem ad caput tuum XXXVI. sed nos te, & lectorem pariter ad nostras responsiones. Scio crepabis Manichaismum VValdensium, sed clamoribus illis non movemur. Invictum stat Voetii argumentum, nec synceritas innocentiaque VValdensium ullis calumniis, aut conviciis expugnari potest. Postea ut contraria se mutuo pellentia præsupponit

ponit prætensum suum Catholicismum, aut Papismum, & veram Ecclesiam Catholicam, eòque sarcasticè ita infert: *Ergo tuus Catholicismus manebat sub Papismo, ut homo vivus sub suo morbo?* Hoc ipsum dicit Voetius & multis argumentis, ac similitudinibus probat; redargue eum Doctor non verbis, sed rationibus. Ecclesia consistit in fidelibus, Antichristianismus scabies, ac morbus est qui eos non enecat, sed circumstat. Ecclesia adhæret Christo, & verbis ejus, Papismus est gangræna in Ecclesia, eamque depascere studet. Ecclesia est corpus vivum, Papismus & Antichristianismus est morbus in eo corpore debilitans quidem illud, non tamen interimens. Vt autem morbus est in vivo corpore: sic Papismus in Ecclesia. Quare evanescit quod Fromondus de contrariis se invicem pellentibus garrit. Quasi vero illa in gradibus remissis non possint esse in eodem subjecto? Si non capis hæc, Fromonde, vide sis an sequentia intelligas. Ecclesia Catholica in Papismo erat ut integra, ac sana ovicula inter hircos, & scabiosas morbosasque oves: aut ut boni pisces in eodem reti cum malis sunt, vel si mavis quemadmodum in magna mole paleæ aliquantillum tritici invenitur. Illis similitudinibus utitur Scriptura, & nos cum ea: si hanc philosophiam reformatam intelligere non potes, Doctor, consule piscatores, & agricolas, illi eam non sine risu tibi edisserent. Quæ postea de motu per vacuum, & Diliæ sui aquis garrit inepta per omnia, & supra aliquoties refutata sunt. III. Reprehendit Voetium, quòd Irenæi verbis vim attulerit. Irenæus ad principalem successionem provocat. Voetius per eam intelligit consanguinitatem doctrinæ Apostolicæ. Negat Fromondus pag. 278. ut enim ait: *Ipse Irenæus verbis proximè præcedentibus, & lib. 3. ad quem se refert, disertè explicat, principalem successionem eam esse, quæ sursum regrediendo, in principem aliquem Ecclesiæ, Apostolum, vel Apostolicum desinit.* Itane nihil amplius per principalem successionem intelligit Irenæus, quàm successionem personalem? Audiatur ipse, & quidem eo loco, quem in margine citat Fromondus, hoc est lib. 4. cap. 43. *His*, inquit, *qui in Ecclesia sunt, presbyteris obedire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis, secundum placitum patris receperint.* IV. Probare molitur monstra, successionem suæ speciei continuare posse, ut evincat Papam moribus monstrosis successionem non interrumpere. Sed quàm hoc ἀφιλόσοφον! Ipse fatetur monstrum habere deformitatem toti speciei extraneam, & admittere non vult particulari speciei opponi. Non quæritur, an monstrum specie differat à cæteris individuis, sed an differat, & iis opponatur. Homo biceps alius est ab hoc illo, isto homine, nec potest communi definitione cum iis comprehendi; sic etiam Papa quando Simoniacus, Magus, &c. est, alius est à Petro, Clemente, Gregorio, &c. nec iis accenseri, aut succedere potest. Nec est quod crepet eos successionis esse capaces. Haut magis ejus sunt, quàm monstrum humanum brachiis destitutum gladiatoriæ artis. Virtutes requisita sunt Episcopi. Lege, bone Doctor, Epistolam priorem ad Timotheum, & Titum, ac sæpe.

III. Accederem ad contradictiones, à Voetio Iansenio objectas, quæ dein enim ab eo vellicantur, ea jam fusè antè sunt diluta, sed in iis mihi credi non cupio. Velim Lector oculis suis fidem adhibeat, & Iansenium cum Iansenio, indicante Voetio, & frustra ineptiente Fromondo componat. Vellet quidem Fromondus contradictiones Iansenii esse deliria Voetiani cerebri, sed tamen probare aut ostendere non potest. Rapit, vellicat, detorquet Voetii, & Iansenii verba, sed tamen nihil agit. Si tibi vacet Lector conferto Iansenium cum seipso, & inspice loca à Voetio in Indice Desperatæ Causę adducta, videbis eadem pag. hominem aliquoties sibi obloqui. Fromondi vellicationes manifestæ falsitates sunt, & seipsas evertunt. Aliud assuit Iansenio, aliud item Voetio, ut garrire queat. Scio, clamabit me non ausum fuisse hæc attingere. Sed clamet! De contradictionibus (quæ ut contradictiones negantur) non nisi coram inspectis, & collatis libris agi potest. Dico eum falsarium esse in Iansenii sui verbis occurrentibus cap. 55. & 57. Spongiæ, de quibus agit pag. 281. detorquendis. Si neget, subornet quem, qui coram testibus qua nostris, qua Papanis libros inspiciat, conferat, & examinet. Venio ad farragi-

nem nugarum, ut dicit, Voetii. Hic primò tria μνημονικὰ ἁμαρτήματα Voetii notat. Quàm rectè videbimus. Voetius in Desp. Caus. pag. 66. Hermannum VVedam Archiepiscopum Coloniensem, vocavit etiam Episcopum Leodiensem. Hic ad miraculum usque ineptit, garrit, & nescio quę non de hullis blaterat. Demus non fuisse Leodiensem præsulem, quid tum? Si quis Theologus titulos Regis Hispaniæ, aut alterius alicujus principis examussim non exprimeret, an habendum hoc foret erratum Theologicum?

-------- *Quis talia fando*
Audivit unquam?

Sed salva res est. Si non Leodiensis Episcopus fuit Hermannus, saltem Metropolitanus ejus fuit, & consequenter etiam Episcopus. Ita Georgius ab Austria Episcopus Leodiensis in actis Synodi celebratæ Leodi anno 1548. Adolphum, Archiepiscopum Coloniensem successorem Hermanni, vocat Metropolitanum suum. II. Ita ineptit: *Quid etiam ais Reges Galliæ ab Archiepiscopo Senonensi ungi & consecrari? A Rhemensi, credo, voluisti dicere.* O verveceum caput! tam Senonensis, quàm Rhemensis hoc jus usurpat. Disce mi tyro ex historiis, iisque non obscuris, aut ignotis, sed obviis, & quæ omnium manibus teruntur. Botoreus lib. 1. Comm. agens de unctione Henrici IV. inter alia ita loquitur: *Sed non nisi expugnatis Rhemis, ubi ara Remigii, ubi ampulla cælestis olei, unctionem perfici posse à vulgo creditum, cùm tamen à multis seculis, noster Ivo Carnuteus, in non dissimili Rhemorum contumacia, hunc scrupum exemerit, qui author fuerit Ludovico Crasso, ut Aureliæ inaugurationis regiæ mystica sacra susciperet, cùm ritus ille non tam locis addictus sit, ut si temporum ferat necessitas alio transferri non possit. Ille enim Crassus, in basilica S. Crucis Aurelianæ, à Vermileone Archiepiscopo Senonensi, in Regem unctus fuit.* Respicit autem Botoreus ad epistolam 189. Yvonis. Nec mirum à Senonensi quoque Episcopo unctos esse reges? Quondam is Galliæ totius primas fuit. Chronol. Antisiodorensis ad annum 1002. *His diebus dominus Sevinus Senonensis Archiepiscopus obit. Hic Romæ per manum Ioannis Papæ Archiepiscopale pallium, quo antecessores ejus infulati sunt, & primatum Galliæ suscepit.* Sequitur *tertium*, ut Fromondo placet, Voetii peccatum. Quia dixit Ferdinandum regalia per Bohemiam jura ante coronationem exercuisse, exagitat illud haud secus ac blasphemiam, & horrendam divini nominis profanationem. Sed quæ ratio cur Voetius sic loqui non potuerit? Erat quidem Coronatus Ferdinandus, sed extrinsecus. Coronationem invalidam mox ipse reddidit perfidiâ, & tyrannide, quam contra bonos, & fideles subditos exercuit. Videatur Bohemorum protestatio, & res erit liquida. Nec falsitas ulla est in Voetii phrasi. Quemadmodum ille locutus est, loquitur ipse Sp. sanctus de Achazia 2 Paralip. 22. vers. 2. agnoscentibus Lyrano, & Vatablo. IV. Sic ἀνιστορίαν Voetii exagitare sibi videtur: *Quid de historia & eventu disputationis inter Card. Perronum, & Phil. Plessæum dicam, contra fidem omnium, qui fidelissimè eam conscripsere in favorem Plessæi, pudendâ vanitate detortam.* Os ferreum! Nomina mi polyhistor illos historicos, etiam maximè papistas, cum quibus Iansenii narratio conveniat. Voetius ex Papistis Thuano, Serrano, Petro Mathæo, Botheræo, Perroni Epistolis, Anonymo Gallo Belgicè Antverpiæ edito, regem tuum mendaciorum variorum redarguit. Si potes eum purga. Si Iansenius forem, colaphis objurgarem ridiculum hunc mendacii patronum. Si potes, Fromonde, vel unum fidelissimum historicum proferto, à quo redarguatur Voetius, & maledica, mendaxque Iansenii spongia expurgetur. At scio quos fidelissimos scriptores in mente habueris. Lepidum Iprensium præsulem. Is quia habitum mentiendi contraxit, etiamsi centum mendacia dixerit, & scripserit, non meminit tamen se mentitum esse. Quia in Spongia Iansenius sine testibus, sine argumentis pro libitu, & beneplacito solo quævis mendacia de disputatione Bellaquensi & incomparabili Plessæo cudit, & tornavit, existimat Gnatho ejus Fromondus, omnia illa oracula, & instar mille testium, ac scriptorum esse. Qui ridere havetis, Fromondum deridete.

IV. Sed & Cl. Rivetus asini hujus balsamo perfunditur. *Quid quòd*, inquit pag. 283. *disputationem Riveti cum Bayllio Iesuita unquam fuisse*

in rerum natura, negas? Ita, Fromonde, negat Voetius,& jure. Legiſti opinor, & tecum Ianſenius,epiſtolam Riveti,quæ diu ante Deſperatam cauſſam eſt edita, & ei poſtea inſerta. An non ea velut ſpeculum eſt, in quo totus mundus intuetur Ianſenii mendacia impudentiſſima? Credo eum unum non videre, neque enim purpurati magiſtelli vitia ſua ante oculos habere ſolent. At audi, Lector, & ride argumentum quo ſarcaſtica,& falſiſſima hæc interrogatio nititur. *Cur igitur*, inquit, *Rivetus homo qui honorem ſuum minimè vilem, aut inſuper, ſed cariſſimum habet, ad Corniculam nudatam, Lovanii impreſſam, ſed è Gallia in Belgium miſſam (quæ inſulſam ejus vaniloquentiam egregiè retundit) quaſi viſâ Gorgone hactenus ſilet, & obriguit*. Dic Domine Doctor,& dic ſeriò quæſo, an non metuas leones, qui in Numidicis ſpeluncis ſtabulantur, aut corvos qui inſident patibulis Sarmaticis. Quid cornicula enim ad diſputationem Riveti cum Bayllio? Voetius arguit mendacii Ianſenium,quod ſomnium de hac diſputatione chartis illeverit. Vt illud purget Fromondus, adducit famoſum libellum in gratiam ignavi Coffetæi ſcriptum, quid abſurdius? Ridete vos Craſſi, & Catones. Cl. Rivetus fando de ridicula cornicula (antequam per literas ex fanatico tuo ſcripto eum edocerem) nihil audiverat. Quomodo ergo potuit obrigeſcere? At quàm animoſa veſtra eſt cornicula? Decem menſes per omnes librarias, & officinas eam quærimus, nec invenimus. Nidum credo habet apud clauſtrales bubones. Inhiavimus prædæ diu, ſi vidiſſemus modò generoſum aquilam,emiſiſſemus,qui citius,quàm vulpes pyrum comeſt,eam dilaniaſſet, & devoraſſet. Vnde autem,mi Doctor,furata eſt hęc cornicula plumas ſuas? Enixam quidem audio in Galliis,ac ornatam Lovanii. Sed quæ aves pennas contulerunt? Aut omnia me fallunt, aut hæc Gallico-Lovanienſis cornicula partim noctua,partim cucus eſt,caputque ejus,vice galeę, contectum eſt criſtâ Leodienſis galli gallinacei. Κοκκύζει etenim, & felicius pronunciat nomen magnanimi, & incomparabilis D. D. Fromondi, quàm Pſaphonis aves ſuum ὁ Θεὸς μέγας Ψάφων. Ideo etiam tam agili pedum, manuumque tripudio inſauſtum ejus cantum recinit. Arrige verò aures lector, ſic enim Lovanienſis cornicula bubonis linguâ concionatur. *Rivetus non Pleſſæum defendit, ſed defendere voluit, & iniqui oneris magnitudine ſimul cum eo fuit oppreſſus.* Sed quis ita judicat? Corniculæ loquaci nihil tribuendum eſt. Quid ex ea verò audio,ſimul oppreſſi ſunt Pleſſæus, & Rivetus? Quantum hoc miraculum! leves, & turgidæ veſicæ, queis pueri non tantùm inniti ſolent quando natare diſcunt, ſed etiam ſophiſtæ ſuperbiunt, aliquem profundo immergent. Si Rivetus eſt oppreſſus à Coffetæi ſtipulis, umbra Fromondi oppreſſit ipſum Fromondum. Quid enim ineptius, ſtultius, & ridiculum magis quàm ejus Criſis? vanior eſt fumo, quem (ut à variis,qui eum Lovanii noverunt, audivi) ex fiſtula tabaccaria quando quid meditatur, patenti naſo & ore hauſtum emittit. Pergit cornicula: *Nihil frigidius,& inſulſius,& adverſario magis impar*. Itane? σκύβαλα Coffetæi præſtabunt Riveti margaritis. Vbi frigent Riveti ſcripta? heus tu cornicula vel unum locum indica,aut jugulamus te. Verbis ſi confici poſſent hoſtes, monarchæ jam forent graculi. Oſtendimus per puncta, & commata omnia, Fromondi ineptias,& bullatas nugas. Oſtendit in Ianſenio ante me Cl. Voetius. Si qua fiducia ſophiſtis,faciant aut ſaltem tentent idem in abſolutiſſimis Cl. Riveti ſcriptis. Non deerunt ei patroni. Ita dein cornicula: *Sermo plebeius, & ancillaris*. Eo ergo melior. Tectorio fucatæ & pompaticæ loquentiæ obduci debet falſitas, & mendacium. Hinc tot bullæ, pelves, tintinnabula in Perroni, Ianſenii, Perini,Coffetæi,Cottoni, Fromondi, &c. ſcriptis. Hæreticorum enim mos eſt, teſte Hieronymo in 10. cap. Oſeæ, *arare ſermone compoſito, & protegere, vel tacere impietatem, ne impietas eſſe videatur, ſed credatur pietas*. Sed necdum tacet cornicula? *Totum*, inquit, *opus retuſum per ſe, nec adverſarii egens, à quo retundatur; fractum, elumbe, ſcopæ diſſolutæ*. Catè! Cur non creditis vos Papicolæ? κορώνα ἔφα. Quia caſu tantùm verum dicit, mentiri neſcit. Sed ſi politiſſimi Riveti ſcripta diſſolutæ ſcopæ ſint, quid ſunt rhapſodiæ Perroni, Perini, Ianſenii, Cottoni, Fromondi, &c? Sibyllæ an farfaris folia? reſponde cornicula. Etiamſi per omnes bubones,& aſinos jures au-

thores

mare, & excipere cæperunt, ut aut ejus authoritatem diminuerent, aut ſaltem infra chimæricam ſuam Eccleſiam conſtituerent. Hinc tot inconditi eorum clamores de ea. Hinc quoque Card. Perronius (ô indignum homine Chriſtiano facinus!) peculiari libello omnes locos qui in ſpeciem pugnare videntur, ex Scriptura collegit, ut ſi fieri poſſet, eam ſecum committeret, & divinâ authoritate exueret, ad imitationem nebulonis Libertino-Enthuſiaſtici Sebaſtiani Franck, qui idem præſtitit in tricubitali volumine cui titulus, *Arca Noæ*, eſt. Perroni exemplo Ianſenius quaſcunque potuit quæſtiones cudit, non quidem paternâ ſecuri, ſed Sceptico-Libertinicâ dolabrâ, ne traheretur ad controverſias, ad quas tam benignè à Voetio invitabatur, & quadantenus tamē apud caudatos ſuos Catholicos exiſtimationem, & famam tutaretur. Sepia ut piſcatorum retia effugiat, atramento aquam inficit: Papani ne ſubire compellantur infelix controverſiarum certamen, pulverem legunt Libertinicum, eumque oculis orthodoxorum objiciunt, ut tutò fugere poſſint. Si ergo omnes has quęſtiones ut Libertinicas rejiceremus, nihil indignum veritate, aut Eccleſiis noſtris faceremus, & nemo niſi extremè impudens, ac Fromondo perſimilis, inſultare nobis poſſet. *Secundò*. Quæſtiones hæ arguunt authorem ſuum, hoc eſt, collectæ ſunt ab inepto, & imperito Rhapſodo, qui neque ſuam, neque adverſariorum Theologiam perſpectam habuit. Miſcet, & confundit omnia, ut expleat numerum XXXIII. Quæſt. 9. dicit *Iudæos ex canone expungere librum Iob*. Quod falſiſſimum eſt. Quæſt. 20. Quaſi Voetius reliquique orthodoxi Theologi conciliabulo Tridentino jam ſubſcripſiſſent, flagitat ab iis ſigna, ex quibus conſtet Hieronymum *in Novo Teſtamento non multa ex inadvertentia, imperitia, & malitia incorrecta reliquiſſe*. Quæſt. 22. 23. & 24. Diſputat de punctis, præſupponitque ut certum, quod neque Voetius, neque ego, neque maximi quique Theologi ſtatuunt, puncta nempe textui Hebræo addita eſſe à Rabbinis. Quæſt. 29. mendacium maximum, ut ultro conceſſum, quæſtioni ſuæ infarcit, nos nempe inſtar Papæ urgere à populo, ut credat interpretes Bibliorum Dordracenorum non erraſſe. Eadem ratione Quæſt. 27. ut liquidam veritatem proponit, ſignificationes antiquas multorum nominum Hebraicorum, tempore Moſis, & Prophetarum uſitatas, prorſus jam intercidiſſe. Similiter contra omnem hiſtoriam, quaſi nunquam Biblia inſpexiſſet, Quæſt. 13. ſtatuit quoſdam libros Veteris Teſtamenti eo tempore eſſe ſcriptos quo jam à Seleucidis exercebantur Iudæi. Quid ineptius vel cogitari poſſet? Mitto jam calumnias quibus quæſt. 6. 7. & 9. virum Dei Lutherum inceſſit. *Tertiò*. Omnes quæſtiones, quemadmodum de ſingulis oſtendi poſſet, ita ſunt propoſitæ, ut retorqueri queant, & multò majori cum difficultate contra Papanos, quàm nos urgeri. Eoque non ſunt apodicticæ, multò minus formidabiles. *Quartò*. Plus quàm aſininam imperitiam ſuam oſtendit Ianſenius in his quæſtionibus: diſtinguere enim neſcivit articulos fidei, ab ejus principiis. Somniat miſer, eſſe articulum fidei, noſſe quod Euangelium Mathæi ſit canonicum, & tota ſacra Scriptura divina. Si inſpexiſſet Thomam ſuum, didiciſſet quæſtiones ſuas indignas reſponſione eſſe, nec ex Scriptura probandas, quia fidei, & Theologiæ principium reſpiciunt. Quia verò Thomas ſtrenuè mihi patrocinatur, & Ianſenii Libertino-Atheiſmum, aut veriùs craſſam ignorantiam manifeſtò arguit, non poſſum quin verba ejus adducam, quæ inveniuntur in ipſo Summæ veſtibulo. 1. nempe 1. quæſt. 1. art. 8. *Dicendum*, inquit, *quòd ſicut aliæ ſcientiæ non argumentantur ad ſua principia probanda, ſed ex principiis argumentantur ad oſtendendum alia in ipſis ſcientiis: ita hæc doctrina non argumentatur ad ſua principia probanda, quæ ſunt articuli fidei: ſed ex iis procedit, ad aliquid aliud probandum, ſicut Apoſtolus primæ ad Corinthios 15. ex reſurrectione Chriſti argumentatur ad reſurrectionem communem probandam. Sed tamen conſiderandum eſt in ſcientiis philoſophicis, &c. Unde ſacra doctrina, cùm non habeat ſuperiorem, diſputat contra negantem ſua principia, argumentando quidem, ſi adverſarius aliquid concedat eorum, quæ per divinam revelationem habentur: ſicut per autoritates ſacræ Scripturæ diſputamus contra hæreticos: & per unum articulum contra negantes alium. Si verò adverſarius nihil credat eorum, quæ divinitus*

revelantur : non remanet amplius via ad probandum articulos fidei per rationes, sed ad solvendum rationes, si quas inducit contra fidem. Hactenus Thomas. Hæc si consideraſſet Epiſcopus, non ſecundum fatuitatem ſuam, ſtultas quæſtiones hac coronide obſignaſſet pag. 67. *Velim mihi in hac re dicas ſicut æquum eſt: Hæc dicit dominus in Scripturis: nec ita dicit, ut ſit opus Oedipo, ſed ut ita poſſit fundare Chriſtianam fidem, ut non tantum illi, qui Scripturas negant, convincantur, ſed fidelis quilibet fidei divinæ, quam Scripturis adhibere meditatur, fundamentum, & radicem quærens, ſine fluctuatione poſſit acquieſcere, ſine hæreſi, non poſſit aſſenſum detrectare.* Quaſi, verò, aut Voetius, aut angelus aliquis cæleſti vera etiam eloquentiâ inſtructus, alicui fidem inſtillare poſſit, ſi Deus non cooperetur, & ei cor aperiat. Ita tamen ineptit Ianſenius, ut ſcrutis ſuis ſplendorem, & ficulnis queſtiunculis robur conciliet. Quod ſi ergo contemneremus eum, & cum Sceptico-Libertino-Atheis interrogationibus Morboniam ablegaremus: nihil indignum aut religione, aut perſona noſtra faceremus. In præſens tamen ſuccurremus ejus infirmitati, ea lege ut paria faciat, & reſpondeat ad quæſtiones, quas infra proponemus. *Quintò.* Scriptura lux eſt, & lucerna. Pſ. 119. v. 5. 2 Petr. 1. v. 19. Quis verò, niſi demens, quando videt lucem, aut Solem, quærit aut diſputat, an illud quod oculis percipit luce illuſtratum ſit; aut poſtulat, ut per ipſam lucem probetur, lucidum eſſe, hoc ipſum quod videt. Si quis ita ineptiret, à pueris etiam exploderetur. Et tamen hoc facit Ianſenius; Scripturæ lucem, ex Scriptura vult probari. Si ea lux eſt, & lucet videntibus, neceſſum eſt hoc agnoſcat, aut fateatur cæcitatem ſuam: aut ſi nolit præ faſtu, argumentis probet divinum hunc Solem, Scripturam nempe, tenebras eſſe. Non verò tantùm aliqua particula Scripturæ lux eſt, ſed tota quanta, quanta eſt. Egregiè Auguſtinus ad d. Pſal. 119. quæ illi 118. eſt. *Quòd itaque,* inquit, *hic ait Propheta, Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis, verbum eſt quod Scripturis ſanctis omnibus continetur.* Vt autem ſolis lux, maculas in ipſo ſole prodit, & ſui ſplendorem clariùs patefacit, ita & Scripturâ. Lux eſt, quæ non tantùm detegit tenebras, ſed etiam ſeipſam: adeo ut ipſa ſimul tenebras prodat, & lucem ſibi inſitam, atque ex ea argui, & detegi poſſint omnes maculæ, quibus obſcurari videtur. Quemadmodum in Ianſenii ſtultis quæſtionibus, quibus eam obnubilare ſtuduit, ξὺν Θεῷ oſtendemus. *Sextò.* Summa omnium quæſtionum (quæ nempe alicujus pretii, aut valoris ſunt ut 1. 2. 3. 4. 6. 7. 8. 10. 12. 15. 19.) huc redit ut ex Scriptura oſtendatur libros canonicos eſſe reapſe divinæ authoritatis, nec eam competere iis, qui vulgò apocryphi vocantur. Quamvis verò à multis ex Theologis noſtris, nominatim Chemnitio, Zanchio, VVittakero, Kimedoncio, Rainoldo, Chamiero, Riveto, & noviſſimè Meſtreſato ſolidiſſimè hoc ſit præſtitum, & jure ego, qui rem actam haud libenter ago, ſuperſedere poſſem, tamen quia impudentia adverſarii me cogit, rem nec lectori ingratam, nec eccleſiæ inutilem me præſtiturum opinor, ſi hoc paucis iterum fuero aggreſſus.

II. Principio eſt internum teſtimonium Spiritus ſancti, quo cuique fideli obſignatur veritas, & αὐτοπιςία ſacræ Scripturæ: hoc teſtimonium inſitum vocatur, & de eo Iohannes dicit 1 Ioh. 2. verſ. 20. *Vos unctionem habetis à Sancto illo profectam, & noſtis omnia.* Ejuſque reſpectu Scriptura fidelibus dicitur eſſe, *potentia Dei ad ſalutem,* Rom. 1. verſ. 16. Scio ridere hoc teſtimonium Papanos ſanniones, nec mirum? tam expertes enim plerique ex iis Spir. ſancti ſunt, quàm fidei: ut ut tamen in omnes partes ſe vertant, & Sancto obnitantur, doctiores tamen quique inter eos fateri, & agnoſcere hoc teſtimonium coguntur. Melchior Canus lib. 2. loc. comm. cap. 8. *Id ſtatuendum eſt,* inquit, *authoritatem humanam, & incitamenta illa omnia prædicta, ſive alia quæcunque adhibita ab eo, qui fidem proponit non eſſe ſufficientes cauſas ad credendum, ut credere teneamur, ſed præterea opus eſſe interiori cauſâ efficiente, id eſt, Dei ſpeciali auxilio moventis ad credendum. Docent id D. Thomas ad Rom. 10. lect. 2. ac D. Auguſtinus lib. 1. retract. cap. 21. & aliàs ſæpe. Quin ſacræ literæ id quoque docent: quàm ſpecioſi, inquit, pedes Evangelizantium bona, ſed non omnes obediunt Evangelio: Eſaias enim dicit, Domine quis credidit auditui noſtro,*

&

thores reverendarum chartarum leones, elephantos, & gigantes esse, nemo tamen tibi credet. Prælongæ aures, ac rauca & infausta vox, nec occultari, nec fucum tegere possunt. Progreditur cornicula: *Talibus deliciis miseram plebeculam, & suos auditores ministri dementare solent, ut cùm vix ridiculi sint mures, formidabiles leones esse videantur.* Qui sunt hi ministri? Satanæ credo, Loyolę pulli, ac indocti, impudentesque monachastri. Si potes cornicula, aut tu qui eam alis, Fromonde, ostendito, & laudato vel unum ex ministris nostris qui fucum faciat auditoribus. Appello ad tuam, & omnium gregalium tuorum conscientias, an non præstantissimus Rivetus per omnia partes modesti, accurati, & docti disputatoris impleverit? Iudica si potes κρηστφύγετα, cryptas, & diverticula (quæ omnibus lineis in tua crisi occurrunt) in ejus scriptis. Quid tergiversaris? Non tinnulis verbis, sed rationum momentis adversaria argumenta oppugnanda sunt. Sed audi tandem, Lector, Corniculæ consilium: *Si me audis,* inquit, *Voetium contemnes, & eodem loco eum, quo Bayllius, & Coffetæus Rivetum, post unam responsionem, excipies, non iterato scripto, sed silentio, justoque contemptu; & in eo præceptum Apostolicum servabis: Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita.* Archimedæum εὕρηκα! Miror quod non secutus sit Iansenius: nisi forte inexperto Fromondo manus prurierint. Acquiescimus in silentio adversariorum. Trophæum hoc nostrum est. Quia disputationes eorum solis mendaciis, & calumniis constant, unâ responsione in tot partes dissiliunt, ut ne ipse quidem mendacii pater diabolus eas recolligere, & unire iterum possit. Credo in posterum obsequentiorem suæ corniculæ fore Fromondum, nec iterum in arenam proditurum esse. Quia silentio excipiet meum scriptum, canite vos Lovanienses cives Iô Pæan. Vtinam ars hæc nota fuisset ante centum annos, quanta chartæ fuisset vilitas! Scripturientes monachastri, & doctorculi tantum palloris, & maciei non contraxissent. Vermibus etenim facta est injuria: si enim silentio vindicassent oppugnatores sui ventris, & coronæ Papæ, cuti curandæ, & corpori saginando diligentius vacare potuissent. Sed cur ad stabilimentum hujus somnii detorquetur Scriptura? Probetur antè Rivetum, Voetium, &c. hæreticos esse. Scio clamabit Fromondus: *factum est hoc centies millies.* Sed quis ei credat? Progredior: aurem enim vellit Augustinus præf. in libr. de Civit. Dei: *Nihil est,* inquit, *neque gravius, neque insuavius quàm stulta refutare prudenter: quæ si tantum indices, pro stultis rejicientur: sin operam in eorum natura declaranda insumas, non tam contemnenda reddas, quàm minùs apud quosdam facias stulta.*

V. Dein invadit nugator eruditissimum virum Theodorum Simonis, cumque Labeoni Horatiano comparat ipse maximus scilicet Labeo, & stultorum Doctorum alpha. Non paro patrocinium viro docto, faciet enim hoc ipse. Quæ de Adelmanno & Algero pag. 284. garrit, indigna responsione sunt. Retulit eos inter chimæricos Scriptores Voetius pag. 527. quòd chimærica, absurda, malè cohærentia, & semet conficientia sint scripta, quę sub eorũ nomine circumferuntur. Si quis mihi non credat adeat, & evolvat ea ipse. Postea patrocinium parit nugis suis, quas contra VViclefum in Labyrintho ex Concilii Constantiensis actis proposuit. At quis æquè ridiculum novit disputatorem? Ipse per omnia non vult recipere authoritatem dicti Concilii, & eâ obruere studet sententiam pientissimi VViclefi de punctis & atomis. Quasi verò concilium, quod ipse fatetur in theologicis decisionibus errasse, in Philosophia errare non potuerit. Sed ita ei placet, talibusque emblematis exornat scripta philosophica, quę si quis expurgare vellet, plus quàm duæ tertiæ partes iis detraherentur. Postremò arguere studet Voetium, quòd Cyrillum Patriarcham Constantinopolitanum dixerit alienissimum esse à papali scismate, & amicum non tantum, sed etiam consortem Ecclesiarum Belgicarum. Sed quibus testibus, & argumentis eum redarguit? λόγοις, & perfidia. Fingit Voetium inde probare syncretismum ejus cum nostris Ecclesiis, quòd Oratori ordinum ad Portam Othomannicam gratulatus fuerit de captis VVesalia, & Sylva-Ducis, cùm hoc tantùm historicè retulerit in Desp. Causa p. 658. & 710. argumentumque præ cæteris sumat ex epistola Dn. Cornelii Hagen Ordd. legati ad

portam Othomannicam, nec non utroque loco ableget Lectorem suum ad Appendicem Myster. patr. Ies. Si tantum candoris & prudentiæ in te esset, Fromonde, quantum ineptiarum, ac impudentiæ inest, adiisses laudatum à Voetii tractatum, & à maledicendo tibi temperasses. Si vir bonus haberi velis, adito adhuc eum, & ad mentis sanitatem redi. Invenies ibi quàm subdolis, & verè diabolicis machinationibus Loyolitæ innocuum virum circumvenire studuerint, & quod patrocinium ei præstiterint legatus regis Britanniæ, & Ordinum. Lege hæc, & si audes, somnia ac deliria voca. Addo ego iis quæ ibi leguntur, ex luce rerum postea gestarum. Quod per Loyolitas, eorundemque impias machinationes ante annum optimus senex in exilium sit actus, ejusque sedem grandi pretio emerit Anastasius Patalaura; qui tamen hoc tempore exulat revocato Cyrillo, cui adjutor datus est Heracleensis Metropolita. Refelle hęc, Fromonde, aut si nequis, vera esse fatere, teque impudentem calumniatorem. Quod ad Ieremiam Patriarcham, qui ante septuaginta, aut præter propter annos cum Augustanæ Confessionis theologis, communionem colere noluit, nihil hoc ad Cyrillum, aut fidam Voetii narrationem. Quæ enim bestialis æquè consequentia an hæc; Ieremias in pretio habuit Papam, ergo etiam Cyrillus. Mirarer si puer quis tam ineptè argutaretur, in Fromondo novum non videtur omnis ejus eruditio, & subtilitas ejus notæ est, quodque trisulcum putat telum, est

Κωφὸν γὰρ βέλος ἀνδρὸς ἀνάλκιδος οὐτιδανοῖο.

Lætor verò, & gratias maximas Deo ago, quod eo auspice, secundum veritatis cælestis filum, tandem me teretismatis dicaculæ, & insipidæ hujus Criseos expedivero.

CAPVT XLVII.

Probatur authentia & divina authoritas sacræ Scripturæ, ex ipsa Scriptura. Respondetur ad triginta tres sceptico-Libertinas Iansenii quæstiones. Solidè ostenditur Scripturæ authoritatem non dependere à traditione.

Perfunctum me laboribus omnibus putabam, & jam de loco despiciebam, ubi stylum suspenderem. Sed ecce, inter hæc aurem vellicant promissa, quæ supra aliquoties criticorum ineptissimo dedi. Spicilegia in Iansenii Spongia legere compellor, ne clamosus Fromondus ilia rumpat, & apud pueros, ac aniculas clamitet nos conspectum ferre non posse Gorgonum, quas ex luto & stipulis efformavit Iansenius. Quid agas his hominibus? E cucorum gente sunt: amant τὸν δ' ἀπαμειβόμενος. Si digitos in authores intendamus, qui ante nos operam, quam efflagitant, præstitere abundè, rident. Ipsi contra, cùm tenentur, ad nescio quem Volusium & Tanusium nos ablegant, hoc est, jubent apud Cimmerios lucem quærere. Sed age? excutiamus quæstiones XXXIII. quas cap. 8. Spongiæ suæ proposuit D. Iansenius. Primò autem generatim, dein singulatim ad quamque respondebimus.

I. *Primò.* Omnes hæ quæstiones, ut ut argutæ & subtiles idiotis videntur, indignæ sunt homine Christiano, nedum Doctore Theologiæ, & Leerdamensi Iansenio, jam Episcopo Iprensi. Commodatæ enim sunt ab Atheis, Libertinis, Enthysiastis, ac quotquot hostes Scripturæ sunt. A quibus talibus machinis, & armis oppugnatur Spiritus sanctus in Scripturis loquens, ne compellantur ei obsequi. Si quis mihi non credat, adeat Bellarminum, & princeps caput ejus controversiarum legat. Sed ut desperatio omnia suadet, & nonnunquam etiam hostilia insignia gestare compellit: ita & Papani Gigantes: post oppugnatum diu, sed irrito conatu Sp. sanctum, cum ad extremas angustias se redactos esse viderent, ne arcem malè sanæ Ecclesiæ dedere cogerentur, suppetias advocarunt Atheos, & Libertinos, quos alias videri volunt odisse. Contra Scripturam clamare,

& brachium Domini cui revelatum est. Item, nolite murmurare invicem, nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum. Est scriptum in Prophetis, omnes erunt docibiles Dei, omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me: & inferius quibusdam discipulis dicentibus, durus est hic sermo, & quis potest eum audire? propterea, inquit Dominus, dixi vobis quòd nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo. Et alio loco, Cùm autem tanta signa fecisset coram iis, non credebant in eum, ut sermo Esaiæ impleretur, domine quis credidit, &c. Externæ igitur omnes, & humanæ persuasiones non sunt satis ad credendum, quantumcunque ab hominibus competenter ea, quæ sunt fidei, proponantur. Sed necessaria est insuper causa interior, hoc est divinum quoddam lumen incitans ad credendum, & oculi quidam interni Dei beneficio ad videndum dati. Viderunt, inquit Moses, oculi tui signa illa, portentaque ingentia, & non dedit tibi Dominus cor ad intelligendum, & aures ad audiendum, nec oculos ad videndum. Hoc suâ quoque voce dilucidè confirmavit Christus, Petro, inquiens, Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cælis. Certè Petrus audierat Iohannis Baptistæ testimonium, quo apertâ voce clamaverat, Christum esse filium Dei: multa insuper Christi miracula viderat, & tamen post hæc omnia, non aut testimonio, aut authoritati Iohannis, non miraculis visis fidei confessionem Christus assignat, sed divinæ revelationi. Hactenus Canus. Similiter Bellarm. in concionibus habitis Lovanii, & editis Coloniæ 1615. conc. de lumine fidei. *Quis in momento,* inquit, *Paulo persuasit id quod antea nec verba, nec miracula persuadere potuerant? Certè non aliud quàm unctio Sp. sancti: unctio docuit eum, internum doctorem ac testem habuit eum de quo Beatus Iohannes dicebat, Qui credit in filium Dei habet testimonium Dei in semetipso. Non legistis quid Beatus Augustinus (lib. 11. confess. cap. 3.) de hoc testimonio dicat? Audiam, inquit, & intelligam quomodo in principio fecisti cælum, & terram. Scripsit hoc Moses, scripsit, & abiit, transivit hinc ad te, neque enim nunc ante me est: Nam si esset, tenerem eum, & rogarem eum, & per te obsecrarem ut mihi ista panderet, & præberem aures corporis mei sonis erumpentibus ex ore ejus: & si Hebræâ voce loqueretur, frustra pulsaret sensum, nec modò mentem meam quicquam tangeret: si autem Latinè, scirem quid diceret: sed unde scirem an verum diceret? quod si & hoc scirem, num ad illo scirem? intus utique mihi, intus in domicilio cogitationis, nec Hebræa, nec Græca, nec Latina, nec Barbara veritas sine oris ac linguæ organis, sine strepitu syllabarum diceret, verum dicit, & ego statim certus confidenter illi homini tuo dicerem, verum dicis. Hoc igitur est lumen fidei, Auditores, testimonium quoddam Dei, quo intus in domicilio cordis dicitur nobis, ita est, nihil hæsites.* Quid clarius, & magis ad mentem nostram dici posset? Omnium verò evidentissimè Stapletonus advers. VVitaker. pro Ecclesiæ authoritate cap. 3. *Arcanum,* inquit, *hoc divini Spiritus testimonium prorsus necessarium est, ut quis Ecclesiæ testimonio, ac judicio circa Scripturarum approbationem credat, neque absque hoc interno divini spiritus testimonio, etiamsi millies Ecclesia attestetur, commendet, promulget, approbet Scripturas, fides consequetur, aut audienti populo persuadebitur.* Si ergo fatentibus ipsis Papanis DD. ad plenam fidem, quâ recipitur verbum Dei, ut Dei verbum, requiritur internum testimonium Spir. Sancti, & sine eo, ut fatetur Stapletonus, ipsius Ecclesiæ testimonium vanum est, insigniter ineptus est Iansenius, qui plenam, & perfectam persuasionem de divinitate, & infallibili authoritate Sacræ Scripturæ ex ea ipsa peti, & hauriri vult. Fatemur libentissimè præter hoc internum testimonium, quod solum est infallibile, alia esse, quibus homines inducuntur: quæ distinctionis ergo externa testimonia, aut verius Scripturæ *τεκμήρια* vocari possunt. Tantùm abest ut ea negemus, credimus certò de iis quia alicui revelatio divina posset imponere, ea magnam vim ad persuasionem adferre, si intrinseco testimonio Spiritus sancti conjungantur. Eoque libentissimè subscribimus Gregorio de Valentia, qui ita analys. fidei lib. 1. cap. 1. *Sed quia rationi humanæ revelatio ipsa divina non evidenter patet, aliis quibusdam præter revelationem divinam argumentis opus est, quibus homines etiam inducti prudenter sibi persuadeant, doctrinam Christianam veram esse.* Absit autem ut inter hæc argumenta primum statuamus, testimonium Ecclesiæ,

inefficax

inefficax illud prorsus ad convincendos Turcas, Gentiles, &c. inutile etiam jam credentibus est. Alia sunt argumenta, eaque non remota à sacra Scriptura sed ei insita: & ut non ex alio, quàm ipso Livio Asinius Pollio ejus Patavinitatem deprehendebat, ita ex ipsa Scriptura, & in ea deprehenditur illius divinitas, authoritasque augustior, & efficacior omni humanâ. Efficax est Scriptura, imo tam efficax, ut attentè legenti mox liqueat ejus authorem nullum alium quàm Deum esse posse. Iust. Martyr advers. Tryph. *οὐ κενοῖς ἐπιστεύσαμεν μύθοις, οὐδὲ ἀναποδείκτοις λόγοις, ἀλλὰ μεστοῖς πνεύματος θείου, καὶ δυνάμει βρύουσι, καὶ τεθηλόσι χάριτι.* hoc est, *Non vanis fabulis, aut indemonstrabilibus sermonibus credidimus, sed iis qui pleni sunt divino spiritu, & potentiâ luxuriant, gratiâque florent.* Lactant. lib. 3. Divin. Instit. cap. 26. *Quod ergo illi poscente naturâ faciendum esse senserunt, sed tamen neque ipsi facere potuerunt, neque à Philosophis fieri posse viderunt, sola hoc efficit doctrina cælestis, quæ sola sapientia est. Illi scilicet persuadere cuiquam potuerunt, qui nihil persuadent etiam sibi? Aut cujusquam cupiditates oppriment, iram temperabunt, libidinem coërcebunt, cùm ipsi & cedant vitiis, & fateantur plus valere naturam? Dei autem præcepta quia & simplicia, & vera sunt, quantum valeant in animis hominum, & quotidiana experientia demonstrat. Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrænatus, paucissimis Dei verbis tam placidum quàm ovem reddam, da cupidum, avarum, tenacem, jam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam propriis manibus largientem: da timidum doloris, ac mortis, jam cruces, & ignes, & pericula, & taurum contemnet: da libidinosum, adulterum, ganeonem; jam sobrium, castum, continentem videbis: da crudelem, & sanguinis appetentem, jam in veram clementiam furor ille mutabitur: da injustum, insipientem, peccatorem, continuò & æquus, & prudens, & innocens erit, uno enim lavacro malitia omnis abolebitur, tanta divinæ sapientiæ vis est ut in hominis pectus infusa, matrem delictorum stultitiam uno simul impetu expellat, ad quod efficiendum non mercede, non libris, non lucubrationibus opus est: gratis ista fiunt, facilè, citò, modò pateant aures, & pectus sapientiam sitiat.* Origenes *περὶ ἀρχῶν* lib. 4. cap. 1. *Sed & si quis cum omni studio & reverentia, qua dignum est Prophetica dicta consideret, in eo ipso dum legit, & diligentius intuetur, certum est, quòd aliquo diviniore spiramine mentem sensumque pulsatus agnoscet non humanitus esse prolatos eos quos legit, sed Dei esse sermones, & ex semetipso sentiet non humana arte, nec mortali eloquio, sed divino (ut ita dixerim) cothurno libros conscriptos,* &c. Augustinus Volusiano ep. 3. *Quæ tandem mens avida æternitatis, vitæque præsentis brevitate permota, contra hujus divinæ authoritatis culmen lumenque contendat? Quæ disputationes, quæ literæ quorumlibet Philosophorum, quæ leges quarumlibet civitatum duobus præceptis ex quibus Christus dicit totam legem, prophetasque pendere, ullo modo sunt comparandæ, &c. Modus autem ipse dicendi quo sancta Scriptura contexitur, quàm omnibus accessibilis quamvis paucissimis penetrabilis, ea quæ aperta continet quasi amicus familiaris sine fuco ad cor loquitur indoctorum, atque doctorum: ea verò quæ in mysteriis occultat, nec ipsa eloquio superbo, quò non audeat accedere mens tardiuscula, & inerudita, quasi pauper ad divitem, sed invitat omnes humili sermone, quos non solùm manifestâ pascat, sed etiam secretâ exerceat veritate, hoc in promptis quod in reconditis habens. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus operta desiderantur, desiderata quodammodo renovantur, renovata suaviter intimantur: his salubriter & prava corriguntur, & parva nutriuntur, & magna oblectantur ingenia. Ille huic doctrinæ inimicus est animus qui vel errando eam nescit esse saluberrimam, vel odit ægrotando medicinam.* Nec tantùm ita Patres, sed ipsi quoque Papani DD. Bellarm. lib. 1. de Verbo Dei lib. 1. cap. 2. *Certissimas atque verissimas esse Scripturas, nec humana inventa sed oracula divina continere, testis est ipsa Scriptura, cujus si veræ fuerint prædictiones rerum futurarum, ut eventus postea comprobavit, cur vera non sint rerum præsentium testimonia. Verum igitur est quod ait David lib. 2. Reg. cap. 23. Spiritus Domini locutus est per me, &c. Verum quod ait Paulus 2 Tim. 3. Omnis Scriptura divinitus inspirata. Verum denique id quod omnes prophetiæ repetunt, hæc dicit Dominus.* Item Gregor. de Valent. lib. 1. c. 15. *Cùm multa sint in doctrina Christiana quæ ipsa per se illi fidem, atque authoritatem conciliare possunt,*

possunt, tamen mihi maximum illud esse videtur, quod suâ nescio quâ admirabili vi divinè prorsus hominum animos afficit, atque ad virtutem impellit. Est scripta verbis simplicibus, & caret ferè artificio orationis, & ornamentis, nihilominus ita vehementer lectoris mentem commovet, ut nulla alia doctrina. Quod argumento est illius authoritatem omnino divinam esse, non humanam, hæc enim sine verborum arte, & orationis quasi lenociniis ad efficiendum animorum motum non valet. Adjungerem Serarium Proleg. cap. 4. quæst. 5. sed locus nimis prolixus est. Quæ adduxi testimonia sufficiunt. Evincunt enim præter Patres, ipsos etiam Pontificios fateri sacræ Scripturæ divinam & infallibilem authoritatem probari ex ea ipsa, nec necessum esse aut ad Ecclesiam, aut ad traditionem confugere, ut hoc probetur. Evanescit ergo sceptica Iansenii inrerrogatio, cap. 9. (quo bellas quæstiones ad implendam chartam, interpolatas repetit) Spongiæ pag. 68. *Quo enim pacto dubitantibus de Scripturæ divinitate eam ex ipsa Scriptura astruas, de qua dubitant?* Eadem ratione, quemadmodum ex ipso Cicerone probatur eum Asiaticum esse ratione styli, ex ipso Salustio, eum esse Laconicum. Ipsa Scripturæ materia, instrumentales causæ, forma, sive apta omnium partium inter se συμμετρία, & effectus lectionis, meditationis, ac applicationis abundè divinitatem ejus arguunt, & evincunt. Proponatur ipsa Scriptura atheo alicui, aut Gentili, & fatebitur hoc, ad Dei & Scripturæ gloriam. Iansenius, similesque fungi, malunt conscientiæ vim facere, quàm veritati manus dare. Sed si ipse in Indiam ablegaretur, ad convertendos Paganos, quibus quæso argumentis illis Scripturæ authoritatem suaderet? Non existimo eum de Ecclesia, & traditione orationem habiturum, tantundem enim efficeret, ac si lapidibus loqueretur. Aliis argumentis uti deberet, & quidem iis ipsis, de quibus loquimur. Divinitatem Scripturæ ex ipsa Scriptura probare niteretur. Si ipse in tali casu hoc facere deberet, quæ malitia, quæ iniquitas contra conscientiam innatam hanc Scripturæ divinitatem dissimulare. At ita fieri solet, contra Libertinos, & atheos utuntur Papani nostris argumentis, contra nos verò eorum. Si hoc non causæ diffidentiam, & desperationem prodat, sane fateor ignorare me quid sit aut diffidere, aut desperare. Sed de Iansenio, Fromondo similibusque ignorantiæ alumnis mihi haud mirum videtur, sacra justitia eos ad cæcas illas absurditatis, ac blasphemiæ rupes impellit; de Bellarmino Cardinali sæpe admiratus sum, fatetur ille, ut paulò ante ostendimus, Scripturæ divinitatem in ipsa Scriptura inveniri à perscrutantibus, & tamen ubi fides! ubi conscientia! non temperat sibi, quin lib. 4. de Verbo Dei cap. 4. in blasphemas has voces erumpat: *Etiamsi Scriptura dicat libros Prophetarum, & Apostolorum esse divinos, tamen non certò id credam, nisi priùs credidero Scripturam quæ hoc dicit, esse divinam. Nam in Alcorano Mahumeti passim legimus ipsum Alcoranum de cælo à Deo missum, & tamen ei non credimus.* Iudica, Lector, qua conscientiâ Cardinalis ille controversias agitaverit, & scripserit.

III. Sed urgebit Iansenius, aut pro eo Fromondus, ut ex Scriptura doceamus qui libri Veteris Testamenti sint canonici, qui non. Nihil verò facilius? Probabo hoc tam liquidis & certis ex ipsa Scriptura argumentis, ut non possit non quisque, modò humanitatem omnem non exuerit, iis assensum præbere. Christus cùm discipulos Emaum euntes accessisset, & hac invectiva incessisset Luc. 24. vers. 27. O tardi corde ad credendum omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit Christum pati, & introire in gloriam suam? & incipiens à Mose, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso scripta erant. Paulo post versu nempe ejus capitis 44. hoc ita exponit: *Oportet impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosis, & Prophetis, & Psalmis.* Inde ita argumentamur. Omnes libri canonici continentur in lege Mosis, Prophetis, & Psalmis. Libri Apocryphi non continentur in lege Mosis, Prophetis, & Psalmis. Ergo libri Apocryphi non sunt canonici. Quæ consequentia aut certior, aut clarior esse potest, quam hæc est? Eodem argumento utitur Augustinus, ut probet libros Machabæorum non esse canonicos, sed tantùm Ecclesiasticos, hoc est, quorum sobriam lectionem permitteret Ecclesia. Ita autem ille contra Gau-

dent. lib. 2. cap. 23. *Et hanc quidem Scripturam,* inquit, *quæ appellatur Machabæorum, non habent Iudæi sicut legem, & Prophetas, & Psalmos, quibus Dominus testimonium perhibet tanquam testibus suis, dicens, oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege, & Prophetis, & Psalmis de me: sed recepta est ab Ecclesia, non inutiliter si sobriè legatur, vel audiatur.* Hæc Augustinus. Quod ad majorem propositionem, ejus consequentiam nulla sophistica infirmare valet. Et quanquam Scriptura aliquando Mosem, & Psalmos non distinguit, sed sub prophetis comprehendit, nihil tamen decedit argumento. Totum, & omnes partes junctim simul sumptæ, non differunt, aut diversa sunt. Divisioni autem Servatoris nostri consentit divisio Iudæorum, quam sequutus quoque est Hieronymus in Prologo Galeato. Scripturam veteris Testamenti dividunt illi in Legem, Prophetas, & Hagiographos. Inter Hagiographos recensent: *duos libros Paralipomenon, Psalmos, Proverbia, Iob, Ruth, Ecclesiasten, Cantica, Daniel, Hester, Esdram.* Alterum argumentum hoc est. *Omnes libri Canonici sunt scripti à Prophetis, Libri apocryphi non sunt scripti à Prophetis. Ergo libri Apocryphi non sunt canonici.* Majoris consequentia certa est. Quoties Scriptura Novi Testamenti citat quid ex veteri, toties fere Prophetarum quoque mentionem facit, nominatim aliquando etiam Mosis, quod inter Prophetas primus, ac primarius sit. 2 Petr. 1. vers. 19. *Habemus firmiorem sermonem Propheticum.* ibid. v. 21. *Non libidine hominum allata est olim Prophetia.* Rom. 16. v. 26. *Nunc factum manifestum est per Scripturas Propheticas.* Rom. 1. vers. 3. *Quod* (Euangelium) *antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis.* Pro eo dicitur Rom. 3. v. 21. *Comprobatum testimonio legis, ac Prophetarum.* Luc. 24. v. 25. *Quæ loquuti sunt Prophetæ.* Act. 26. vers. 22. *Nec quicquam dicens extra ea, quæ Prophetæ, ac Moses futura prædixerant.* Heb. 1. vers. 1. *Multis modis olim locutus Deus est Patribus in prophetiis.* Et ne quis excipiat de hagiographis; Ipsi Psalmi citantur nomine Prophetarum. Math. 27. vers. 35. *Vt impleretur illud quod dictum est à Propheta* (Psalm. 22. v. 18.) *Partiti sunt vestimenta mea, & super vestem meam jecerunt sortem.* Item Math. 13. v. 35. *Vt compleretur quod dictum est per Prophetam dicentem.* (Ps. 73. vers. 8.) *Aperiam per parabolam os meum,* &c. Sic & Daniel propheta vocatur Math. 24. vers. 15. Stat immota ergo major propositio. Ad minorem quantum, eam nemo sanus, qui unquam Chronologicas tabulas in pariete pictas vidit, inficias ibit. Genebrardus, ut ut ubique ad insaniam Papista est, scribere tamen debuit in Chronolog. lib. 2. anno mundi 3640. *A Malachia ad Iohannem Christi baptistam nulli prophetæ extitere.* Et paulò post: *Malachiam novissimum fuisse Prophetarum (Thalmudici) constanter asserunt.* Applicentur hæc ad Scriptores librorum Apocryphorum, & mox cuivis constabit, quàm sublestæ notæ sint. Tertium argumentum hoc est. *Si Ecclesia Iudaica cui credita fuerunt eloquia Dei, nunquam recepit libros Apocryphos, nec quæ successit ei Ecclesia Novi Testamenti, usque ad hoc seculum, sequitur eos non esse recipiendos. Verum autem prius: ergo.* Antecedentis duo sunt membra. Prius est in Scriptura Rom. 3. vers. 2. *Primarium illud est, quòd eis* (Iudæis nempe) *credita sunt eloquia Dei.* Ad quæ verba Toletus: *Factique*, inquit, *sunt Iudæi depositarii, & custodes Eloquiorum Dei.* Iudæos autem duos & viginti tantùm libros, respondentes literarum numero, agnoscere liquet ex Iosepho libro 1. contra Appion. quem adducit etiam Euseb. l. 3. c. 10. Ad posterius membrum quantum, fatemur illud expressè in Scriptura non haberi, si tamen per omnia secula ad hoc usque probaverimus, Ecclesiam Novi Testamenti nullos alios libros Canonicos agnovisse, quàm qui crediti, & commissi sunt Iudæis, tam solidè illud evicerimus, ac si ex Scriptura probaremus. Habemus enim 1. in Scriptura, Iudæis esse credita eloquia Dei. 2. Ex Ecclesia Veteris & Novi Testamenti esse unam factam, quo sensu ad Ephes. c. 2. v. 14. de Christo dicitur, *quòd utraque unum fecerit, & intergerini parietis septum dissolverit.* Si ergo Ecclesia Novi Testamenti, eadem facta est cum Ecclesia Veteris Testamenti, sequitur eam etiam non habere alias tabulas, & monumenta, quàm habuit prior: nec hoc tantùm, sed etiam non habere jus addendi quippiam, aut detrahendi illis monumentis. Consequentia luce

luce meridianâ clarior est, & innititur Scripturæ. Illud tantum ex superabundanti probabo per omnia secula, veram Ecclesiam (Antichristianam excipio) nunquam jure suo esse abusam, aut alios libros addidisse Canoni Ebræorum, quàm in eo antiquitùs erant. Si enim evicero à tempore Apostolorum usque ad hanc ætatem, libros apocryphos distinctos ratione authoritatis fuisse à libris Canonicis; apodictìcè etiam probavero Papanos esse sacrilegos, qui parem authoritatem iis attribuunt: Iansenium verò cum Fromondo suo Sceptico-Libertino-Atheum. Bellarminus enim dicit lib. 1. de Verbo Dei cap. 20. *Ecclesia quæ post Apostolos fuit, non aliunde didicit, qui libri sint Canonici, & qui non sint, quàm ex traditione Apostolorum.* Reliquum autem est ut examinemus hanc traditionem, ejusque jugem, & non interruptam successionem.

Iudicium Ecclesiæ de libris Apocryphis ab anno Christi 100. *ad* 200.

Occurrit hoc seculo Melito Episcopus Sardensis, is in Epistola ad Onesimum quæ est apud Eusebium lib. 4. cap. 25. enumerat omnes libros Veteris Testamenti, nullamque mentionem facit libri *Iudith, Tobiæ, Ecclesiastici*, aut *Machabæorum.* Subjicit autem hæc Historicus: *Cùm diligenter de omnibus exploraverat, omni investigatione comperit hos libros esse à Veteris Testamenti Canone rejiciendos.* Negare hoc non potuit, aut ausus fuit Bellarminus, eoque lib. 1. de Verbo Dei cap. 20. Melitonem inter eos qui in exponendo Canone Veteris Testamenti, sequuti sunt Hebræos, primo loco collocat.

Ab anno Christi 200. *ad* 300.

Origenes famosissimus inter Patres apud Eusebium lib. 6. Hist cap. 25. ait: *Non est ignorandum viginti duos esse libros in canone Veteris Testamenti, sicut Hebræi tradunt, secundum numerum scilicet elementorum, quæ apud ipsos habentur.* Ac dein omnes ordine recenset, subjicitque ἔξω δὲ τούτων ἐστὶ τὰ τῶν Μαχχαβαίων, hoc est, *Extra horum numerum sunt libri Macchabæorum. Tertullianus* advers. Marcionem lib. 4. cap. 7.

Alarum numerus antiqua volumina signat
Esse satis certa viginti quatuor ista
Quæ Domini cecinêre vias, & tempora pacis.
Hæc cohærere novo cum fœdere cuncta videmus,
Sic quoque Iohannes sic pandit Spiritus ille, &c.

Ab anno Christi 300. *ad* 400.

Hilarius Prol. in Psalm. *Hanc ogdoadis perfectionem etiam in* 118. *Psalmo cognoscere possumus. Namque in octonum numerum per octonos versus secundum Hebræos singularum literarum initia collecta sunt, sed & ipsa virtus Psalmi sacramentum ogdoadis édocet. Sunt autem in eo ogdoades* 22. *Nam octoni versus singularum literarum initiis deputantur: & hoc eâ ratione efficitur, quia psalmus iste perfectum virum secundum doctrinam Euangelicam consummat: ut per omnes viginti & duas Hebræi sermonis literas sub sacramento ogdoadis erudiremur. Et ea causa est, ut in* XXII. *libros lex testamenti veteris deputetur, ut cum literarum numero convenirent. Qui ita secundum traditiones veterum deputantur, ut Mosi sint libri quinque: Iesu Nave sextus: Iudicum & Ruth septimus: primus & secundus regnorum in octavum: tertius, & quartus in nonum: Paralipomenωn duo in decimum sint: sermones dierum Esdræ in undecimum: liber Psalmorum in duodecimum: Salmonis Proverbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum in tertium decimum, & quartum decimum, & quintum decimum: duodecim autem Prophetæ in sextum decimum: Esaias deinde, & Hieremias cum Lamentatione & Epistola: Sed & Daniel, & Ezechiel: & Iob, & Esther viginti & duorum librorum numerum consumment. Quibusdam autem visum est, additis Tobia & Iudith* 24. *libros secundum numerum Græcarum literarum connumerare.*

Athanasius epist. 39. festali. *Sunt*, inquit, *veteris Testamenti libri omnes numero viginti duo, tot enim, ut audivi etiam elementa ab Hebræis esse traditum est. Gen. Exod. Levit. Numer. Deuteron. Iesus Nave. Iudices, Ruth, Regnorum libri quatuor, quorum primus, & secundus in unum librum connumerantur, tertius autem & quartus similiter in unum. Post Paralipomena, Esdræ primus, & secundus similiter in unum librum connumerati, Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Iob, & reliqui Prophetæ*, &c. *Ad*

hos usque consistit vetus Testamentum. Et enumeratis libris Novi Testamenti. *Hi sunt*, inquit, *fontes salutis*, &c. *In his solis pietatis doctrina annunciatur, nemo his addat, aut detrahat*, &c. *Sed & extra hos sunt alii, non in canonem redacti; sed quos legi à Patribus decretum est iis, qui nunc accedunt, & volunt in pietatis, verique cultus ratione initiari Sapient. Sal. Sirach, Esther, Iudith, & Tobias, & doctrina, quæ dicitur Apostolorum, & Pastor, qui tamen non sunt aspernandi.* Eadem habet in Synopsi.

Cyrillus Alexandrinus Catechet. 4. *Earum* (sacrarum literarum) *agnosce duos & viginti libros, cum apocryphis nihil tibi sit commune. Illos solos meditare diligenter quos & in Ecclesia cum parrhesia agnoscimus. Apostoli multò te prudentiores erant, ut & antiqui Episcopi, ac Ecclesiæ præfecti, qui eos tradidere. Tu qui filius es Ecclesiæ, ne transgrediaris terminos.* Et dein ordine omnes libros recenset.

Amphilochius Iconiensis Episcopus, qui etiam teste Socrate lib. 5. Hist. Eccl. cap. 8. Patriarchatum Asianum obtinuit, Seleucum instruens, ad eum inter alia dicit: *Non cuivis libro tutò credendum est, quod venerandum illud Scripturæ sacræ nomen præferat. Sunt enim nonnunquam libri falsis nominibus inscripti, quorum alii quidem intermedii sunt, & doctrinæ veritatis vicini (ut sic loquor) ac finitimi; alii verò spurii, & maximopere periculosi, tanquam falsò signata quædam, & spuria numismata, quæ regum quidem inscriptionem habent, sed nihilominus adulterina sunt, & fraudulenter è materia vitiosè confecta.* dein adjungit. *Propterea tibi libros singulos à divino Spiritu profectos recensebo, atque ut rem omnem dilucidè cognoscas, primùm tibi prisci fœderis libros enumerabo.* Et post eos enumeratos, subjicit; *Hic verißimus est canon Scripturarum divinitus inspiratarum.*

Gregor. NaZianZenus in carminib.

Ὄφρα δὲ μὴ ξείνῃσι νόον κλέπτοιο βίβλοισι
Πολλαὶ γὰρ τελέθουσι παρέγγραπτοι κακότητες.
Δέχνυσο τοῦτον ἐμεῖο τὸν ἔγκριτον, ὦ φίλ', ἀριθμὸν
Ἱστορικαὶ μὲν ἔασι βίβλοι δυοκαίδεκα πᾶσαι
Τῆς ἀρχαιοτέρης ἑβραϊκῆς σοφίης.
Πρωτίστη γένεσις, εἶτ' ἔξοδος, λευϊτικόν τε
Ἔπειτ' ἀριθμοί· εἶτα δεύτερος νόμος
Ἔπειτ' Ἰησοῦς, καὶ κριταί· ῥοὺθ ὀγδόη
Ἡ δὲ ἐννάτη δεκάτη τε βίβλοι, πράξεις βασιλήων.
Καὶ παραλειπόμεναι, ἔσχατον Ἔσδραν ἔχεις.
Αἱ δὲ στιχηραὶ πέντε, ὧν πρῶτός γ' Ἰώβ
Ἔπειτα Δαυίδ,, εἶτα τρεῖς Σολομώντεια
Ἐκκλησιαστής, ᾆσμα, καὶ παροιμίαι
Καὶ πέντ' ὁμοίως πνεύματος προφητικοῦ.
Μίαν μὲν εἰσιν, ἐς γραφὴν οἱ δώδεκα.
Ὠσηέ, κ' Ἀμώς, καὶ Μιχαίας ὁ τρίτος.
Ἔπειτ' Ἰωήλ, εἶτ' Ἰωνᾶς, Ἀβδίας,
Ναούμ τε, Ἀββακούμ τε, καὶ Σοφονίας,
Ἀγγαῖος. εἶτα Ζαχαρίας, Μαλαχίας.
Μία μὲν οἵδε· δευτέρα δ' Ἡσαΐας
Ἔπειθ' ὁ κληθεὶς Ἱερεμίας ἐκ βρέφους
Εἶτ' Ἰεζεκιήλ, καὶ Δανιήλου χάρις,
Ἀρχαίας μὲν ἔθηκα δύο καὶ εἴκοσι βίβλους,
Τοῖς τῶν ἑβραίων γράμμασιν ἀντιθέτους.

Ruffinus in Symbolum, occurrit inter opera Cypriani. *Qui sunt novi*, inquit, *ac veteris instrumenti volumina, quæ secundum majorum traditionem per ipsum Spiritum Sanctum inspirata creduntur, & Ecclesiis Christi tradita, competens videtur in hoc loco, evidenti numero, sicut ex Patrum monumentis accepimus, designare. Itaque veteris instrumenti, primò omnium Moysi quinque libri sunt traditi, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: post hoc Iesu Nave, Iudicum, simul cum Ruth: quatuor post hæc Regum libri, quos Hebræi duos numerant, Paralipomenon qui dierum dicitur liber: & Esdræ libri duo, qui apud illos singuli computantur, & Esther. Prophetarum verò Esaias, Ieremias, EZechiel, Daniel: præterea duodecim Prophetarum liber unus, Iob quoque, & Psalmi David singuli sunt libri, Salomonis verò tres Ecclesiis traditi, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum. In his concluserunt librorum numerum Veteris Testamenti. Novi verò quatuor Euangelia, &c. hæc sunt quæ Patres intra Canonem concluserunt, ex quibus fidei nostræ assertiones constare voluerunt. Sciendum quoque est, quòd & alii libri, qui non Canonici, sed Ecclesiastici à Majoribus appellati fuerunt, ut est Sapientia Salomonis, & alia Sapientia quæ dicitur Iesu Syrach, qui liber apud Latinos hoc ipso generali vocabulo Ecclesiasticus appellatur, quo vocabulo non author libelli, sed Scripturæ qualitas cognominata est. Ejusdem ordinis est libellus Tobiæ, & Iudith, & Machabæorum libri.*

Epiphanius libro de Mensuris & Ponderibus catalo-

catalogum librorum Sacrorum pertexens ait: *tantùm esse viginti duos veteris Testamenti, quos secundum alios numerari dicit viginti septem pro numero literarum Hebraicarum, & quibus quinque duplicantur*. de Apocryphis verò ait: *Vtiles quidem sunt, & commodi, sed in numerum receptorum non referuntur, quare neque in Testamenti arcam repositi sunt.*

Hieronymus in præf. lib. Salomon. *Sicut Iudith, & Tobiæ, & Machabæorum libros legit Ecclesia, sed eos inter Canonicas Scripturas non recipit: sic & hæc duo volumina Sapientiæ Salomonis & Syrach legit ad ædificationem plebis, non authoritatem dogmatum confirmandum.* Vt jam non adducam prol. Galeatum de quo constat.

Concilium Laodicenum, de quo Baron. ait tom. 4. in Appendice pag. 789. *Concilium est antiquâ nobilitate percelebre, Græcorum ac Latinorum scriptis memoriæ commendatum.* Illud autem ita sanxit Can. 59. Ὅτι οὐ δεῖ ἰδιωτικοὺς ψαλμοὺς λέγεσθαι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, οὐδὲ ἀκανόνιστα βιβλία, ἀλλὰ μόνα τὰ κανονικὰ τῆς παλαιᾶς διαθήκης. hoc est, *Non oportet in Ecclesia legere Psalmos proprios, neque libros non canonicos, sed canonicos tantùm Novi, & Veteris Testamenti.* Et postea Canone 60. enumerantur soli illi libri qui sunt in Canone Hebræorum.

Ab anno Christi 400. ad 500.

Augustinus aut quicunque est author libri de mirabil. sacræ Scripturæ lib. 2. cap. 34. *In Machabæorum libris etsi aliquid Mirabilium numero inserendum conveniens fuisse ordini inveniatur, de hac tamen nullâ curâ fatigabimur, quia tantùm agere proposuimus ut de divini Canonis Mirabilibus exiguam expositionem tangeremus.* Idem Aug. contra secund. Epis. Gaudent. lib. 2. cap. 23. *Scriptura quæ appellatur Machabæorum recepta est ab Ecclesia non inutiliter si sobriè legatur, vel audiatur, maximè propter illos Machabæos, qui pro Dei lege indigna perpessi sunt.*

Iunilius Afer qui vixit circa annum 450. non ut Bellarminus vult circa annum 545. scribens ad discipulum Augustini de partibus divinæ legis, ita eum loquentem introducit. *Quare hi libri* (Iudith nempe, & Machabæorum) *non inter Canonicas Scripturas currunt?* Resp. M. *Quoniam apud Hebræos quoque, super hac differentia recipiebantur, sicut Hieronymus, cæterique testantur.*

Ab anno Christi 500. ad 600.

Isidorus Hispalensis Prænot. Elucidat. de script. & Script. Sacr. cap. 6. *Sunt præterea alii quidam libri, ut Sapientia Salomonis, liber Iesu filii Syrach, & liber Iudith, & Tobiæ, & libri Machabæorum, qui leguntur quidem, sed non scribuntur in Canone.*

Ab anno Christi 600. ad 700.

Gregorius Magnus Epis. Romanus agens de libris Machabæorum lib. 19. in Iob cap. 17. dicit: *De qua re non inordinatè agimus, si ex libris licet non Canonicis, sed tamen ad ædificationem Ecclesiæ editis, testimonium proferimus.* Quæ autem de libris illis fuerit opinio Gregorii, docet nos ipse Catharinus opusc. de lib. Canon. *B. Gregorius*, inquit, *authoritate ut opinor Hieronymi motus concedere videtur illos non esse Canonicos, cùm tamen de iis producat testimonia.* Item Occam Dial. part. 3. tract. 1. lib. 3. cap. 16. *Secundum Gregorium in Moralibus liber Iudith, Tobiæ, & Machabæorum, Ecclesiasticus, atque liber Sapientiæ non sunt recipiendi ad confirmandum aliquid de fide.*

Ab anno Christi 700. ad 800.

Ioannes Damascenus lib. 4. Orthod. cap. 18. *Scire*, inquit, *operæ pretium est, quòd viginti duo sunt libri Veteris Testamenti secundum elementa Ebraicæ vocis.* Dein enumerat eos, omissis prorsus Apocryphis. Imo addit: *Sunt alii duo Sapientia Salomonis, & Sapientia Iesu filii Sirach, atque hi boni sunt, præclarique & honesti, sed non numerantur, neque ponebantur in arca.* In Græco est: ἐνάρετοι μὲν καὶ καλαί, ἀλλ᾽ οὐκ ἀριθμοῦνται, οὐδὲ ἔκειντο ἐν τῇ κιβωτῷ. Quicquid verò alii obloquantur, ingenuè fatetur Canus lib. 2. loc. comm. cap. 10. Damascenum secutum esse opinionem Hieronymi.

Ab anno Christi 800. ad 900.

Nicephorus Episcopus Constantinopolitanus extat in operib. Pythæi τῆς παλαιᾶς βιβλία κβ.

Alcuinus adversus Elipantum Episcopum Toletanum lib. 1. col. 941. *In libro Iesu filii Syrach hæc præfata sententia legitur, quem librum B. Hieronymus, atque Isidorus inter Apocryphas (id est) dubias scripturas deputatum esse, absque dubitatione testantur. Qui etiam liber non tempore Prophetarum, sed Sacerdotum, sub Simone Pont. Maximo, regnante Ptolomæo Euergete conscriptus est.*

Strabus Fuldensis author *Glossæ ordinariæ*, vixit circa annum 840. teste Trithemio, in initio Præfationis præmissæ Bibliis: *Quia multi, qui ex eo, quòd non multùm operam dant sacræ Scripturæ, existimant omnes libros, qui in Bibliis continentur, pari veneratione esse reverendos, atque adorandos, nescientes distinguere inter libros Canonicos, & non Canonicos, quos Hebræi inter Apocrypha computant, unde sæpe doctis videntur ridiculi.* Et ne quis decipiatur, ad initium cujusque libri Apocryphi annotat, cujus notæ, & commatis sit. Ita legas apud eum: *Incipit liber Tobiæ, qui non est in Canone. Iudith qui non est in Canone: Sapientiæ qui non est in Canone: Ecclesiastici qui non est in Canone. Incipit primus liber Machabæorum qui non est in Canone. Incipit secundus liber Machabæorum qui non est in Canone.* Quia verò in ordinaria glossa distinctio hæc observata est scrupulosè, facilè quivis judicium facere potest, quæ fuerit eâ ætate publica, & communis fides de libris Apocryphis. Glossa enim hæc quasi universalis erat, & generalissima, teste Paulo Burgensi ad Prologos Lyræ, ubi de Postilla, comparata ad Glossam ait: *Hæc Postilla saltem in his partibus Hispaniæ, & ut credo Galliæ, communior est cæteris citra Glossam ordinariam.*

Ab anno Christi 900. ad 1000.

Est hoc seculum, teste Baronio, obscurum. Et tamen in eo habemus Alfricum Abbatem Malmesburiensem, qui in notis ad Vetus Testamentum Anglo-Saxonicâ linguâ scriptis, expresse excludit à Canonicis libris *Librum Sapientiæ, Ecclesiasticum, & libros Machabæorum.*

Item *Radulphus*, qui secundum Bellarminum floruit 910. lib. 14. in Levit. cap. 1. inquit: *Tobias, Iudith, & Machabæorum, quamvis ad instructionem Ecclesiæ legantur, tamen non habent authoritatem.*

Ab anno Christi 1000. ad 1100.

Petrus Cluniacensis de author. Vet. Testam. epist. contra Petro-Brusianos, (sive l. 1. ep. 2.) expresse rejicit, *Iudith, Tobiam, Sapientiam Syrach, Ecclesiasticum, & libros Machabæorum.* Ita autem eo loco, postquam enumerasset omnes libros Canonicus, loquitur: *Restant post hos libros authenticos, sex etiam libri non rejiciendi Iudith, Tobia, Sapientia, Ecclesiasticus, & duo Machabæorum, qui tametsi ad sublimem illam præcedentium dignitatem pervenire non potuerunt, tamen propter utilem, & necessariam doctrinam ab Ecclesia recepti sunt.*

Ab anno Christi 1100. ad 1200.

Hugo de S. Victore lib. 4. Didascal. cap. 8. *Quomodo ergo viginti duo elementa sunt, per quæ Hebraicè scribimus, omneque loquimur, & eorum initiis vox humana comprehenditur: ita viginti duo volumina supputantur, quibus quasi literis & exordiis in Dei doctrina, tenera adhuc, & lactens viri nostri eruditur infantia.* Idem lib. 1. de Sacram. cap. 8. ait: *Legi quidem hos libros, sed in corpore textus, aut in Canone authoritatis non scribi, ut est liber Tobiæ, Iudith, Machabæorum, Sapientiæ Salomonis, & Ecclesiasticus.*

Richardus de S. Victore eadem pæne ad verbum habet lib. 2. Except. cap. 9.

Ab anno Christi 1200. ad 1300.

Hoc seculo habemus *Hugonem Cardinalem*, & *Bonaventuram*. Quorum ille præf. in Iosuam expresse excludit librum *Tobiæ, Iudith, Machabæorum, Sapientiæ*, hic verò Præf. in Psal. profitetur se Hieronymi sententiam sequi.

Ab anno Christi 1300. ad 1400.

Præter Guilelmum Occam supra laudatum, hac ætate orthodoxam opinionem secutus est, ac docuit *Nicolaus de Lyra* præfat. exposit. in Tobiam, ubi ita loquitur: *Postquam auxiliante Deo scripsi super libros sacræ Scripturæ Canonicas, incipiendo à principio Geneseos, ac procedendo usque ad finem Apocryphorum, de ejusdem confisus auxilio super alios intendo scribere, qui non sunt in Canone, scilicet liber Tobiæ, Ecclesiasticus, Iudith, Tobias, & libri Machabæorum.* Et

postea:

postea: *Considerandum, quod hi libri, qui non sunt de Canone, recepti sunt ab Ecclesia, & ad morum informationem in ea leguntur, tamen eorum authoritas ad probandum ea, quæ in contentionem veniunt, minus idonea reputatur.* Item in lib 1. Esdræ cap. 1. *Libros Tobiæ, & Iudith, & Machabæorum, licet sint historiales, tamen intendo eos ad præsens pertransire, quia non sunt in Canone apud Iudæos, neque apud Christianos.*

Ab anno Christi 1400. *ad* 1500.

Alphonsus Tostatus Abulensis Episcopus præfat. in lib. Paralip. quæst. 2. loquens de Apocryphis, dicit: *Quanquam isti libri ab Ecclesia recipiantur, nullius authoritatis solidæ sunt, ideo ad confirmandum, & probandum ea, quæ in dubium venerint inutiles sunt*, &c.

Dionysius Carthusianus prolog. in Ecclesiast. *Denique*, inquit, *liber iste, non est de Canone, id est inter Scripturas Canonicas computandus quamvis de ejus veritate non dubitatur.* Idem distinguit manifeste Canonicos ab Apocryphis in princ. Comment. in Genesin. fatente Pererio in Daniel lib. 16. p. m. 742. Idem etiam sensit *Thomas VValdensis* doct. fidei lib. 2. art. 2. circa initium, nec non *Antonin.* part. 3. tit. 18. cap. 6. juxta finem.

Ab anno Christi 1500. *ad* 1600.

Quanquam hoc seculo singulari Dei beneficio veritatis sol illuxit, Christique Ecclesia caput extollere cœpit, tamen in medio papatu extitere plurimi, qui cogente conscientiâ, neglectis Papæ decretis, orthodoxam & communem veritatem de libris Canonicis professi sunt. Inter eos primus locus debetur *Cardinali Ximenio*, cujus auspiciis prodierunt Biblia Complutensia, circa annum 1501. Ille in præf. libr. Apocryph. disertè ait *eos esse libros extra Canonem, quos Ecclesia potius ad ædificationem populi legat, quàm ad Ecclesiasticorum dogmatum authoritatem confirmandam.* Vnde & concludit; *libros istos extra Canonem esse.*

Cajetanus Cardinalis in fine lib. Hist. Vet. Test. *Reliqui* vi. *Iudith, Tobiæ, Machabæorum libri, cum Sapientia, & Ecclesiastico à Divo Hieronymo inter apocrypha locantur. Nec turberis (Novitie) si alicubi reperias libros istos inter Canonicos supputari vel in sacris Conciliis, vel in sacris Doctoribus. Nam ad Hieronymi lineam reducenda sunt tam verba Conciliorum, quàm Doctorum, sic ut libri isti non sint Canonici, id est, regulares, ad firmandum ea quæ sunt fidei, possunt tamen dici Canonici, id est regulares, ad ædificationem fidelium.*

Ludovicus Vives de tradenda discipl. lib. 5. *Accedunt*, inquit, *jam libri Regum, Tobiæ, Iudith apocryphi, Esdras cujus in quatuor libros divisi, priores duo ab Hebræis agnoscuntur in Canone, posteriores Apocryphi sunt.*

Arias Montanus in frontispicio Bibliorum edit. Antverp. apud Plant. anno 1584. *Accesserunt*, inquit, *& huic editioni libri Græcè scripti, quos Ecclesia Orthodoxa Hebræorum Canonem secuta, inter Apocryphos recenset.*

Vides opinor Fromonde, & videbit etiam Iansenius tuus, ni talpa sit, Iudæorum fidem in servando deposito Scripturarum, quam prædicat Apostolus Paulus, secutam esse meliorem Christianorum partem, nec Antichristi fulmine percelli potuisse, quo minùs recederet à traditione, fundatâ in Scripturis, ac confirmatâ omnium seculorum calculo. Si clametis hanc traditionem esse, verbum contra non faciam. Ferre possum verbum Traditionis, modò certò de ea mihi constet, eam radicatam in Scripturis esse. Credo ego & mecum omnes orthodoxi, perfectum esse Hebræorum canonem, sacrilegium verò esse ei infarcire libros Apocryphos, quia Paulus dicit, quòd Iudæis sint credita eloquia Dei. Paulo credit totus Christianus orbis, & ego ei fidem derogarem? Absit. Verè Bellarm. lib. 4. de Verbo Dei cap. 9. *Nihil est de fide, nisi quod Deus per Apostolos, aut Prophetas revelavit, aut quod evidenter inde deducitur.* Evidenter Scriptura dicit Iudæos habuisse eloquia Dei, inter ea verò non retulerunt libros Apocryphos. Ergo illi sunt supposititii, spurii, & inutiles ad confirmandum fidei dogmata. Quæ consequentia verior, & evidentior esse potest? Si tali, Fromonde, argumento mihi aut *purgatoriũ*, aut *indulgentias*, aut simile Antichristianum dogma probaveris, spondeo me non alienum à Papismo fore. Si dicat Iansenius (ut eum facturum auguror) Ecclesiam jus habere mutandi, & augendi canonis,

nonis, velim ut ad hoc probandum Scripturam adducat, cui manus dabo, ubi ex ea aut clarum testimonium, aut solidam rationem attulerit. Interea amplectar dictum Thomæ VValdensis, qui contra VVicleffum tom. 1. l. 2. art. 2. cap. 20. ait: *Transit hora, non potest crescere jam canon.* Quod & multis probat *Gerson de vit. spirit. lect. 2. coroll.* 7. Sed tempus est ut ad singulas Iansenii quæstiones accedam. Quia verò sine judicio, & ordine collectæ sunt, nonnunquam binas, ternasve, ejusdem argumenti conjungam, ne cogar sæpius idem scribere, & Lectori tædium oboriatur.

Prima quæstio, conjuncta cum tertia.

1. *Primò ex qua Scriptura probes errasse in fide Marcionem, qui teste Epiphanio epistolas ad Hebræos, ad Titum, & utramque ad Timotheum delevit ex canone.*

3. *Ex qua Scriptura evincas omnes Epistolas Pauli, ut divinas esse recipiendas adversus Ebionæos, qui eum tanquam Apostatam legis recusabant.*

Resp. Aliquas Epistolas Pauli esse ut canonicas recipiendas probatur ex epistola canonica, & indubitatæ authoritatis. Ita enim de iis Petrus ep. post. cap. 3. v. 15. & 16. *Sicut & charus frater noster Paulus pro sibi data sapientia scripsit vobis: ut qui in omnibus fere Epistolis loquatur de istis.* Ex Scriptura ergo contra Ebionæos constat, quasdam Epistolas Pauli, ut canonicas esse recipiendas. Scio, scepticus Iansenius, clamabit æque hoc sibi videri incertum, se enim tam fluctuare circa Petrum, quàm Paulum: confugiendum ergo esse ad traditionem. O hominem miserum! Plus ne erit tribuendum communi famæ, quàm Christi Apostolo? Dicis te ideo credere Pauli Epistolas esse Canonicas, quia hoc per manus à majoribus est traditum. Sed unde tibi constat traditionem illam certam esse. Et illa ipsa turbat animum. Ex quibus instrumentis mihi probabis, primum authorem hujus traditionis (ut loqueris) non fuisse falsum. Fortè fuit Papias, aut similis quis, qui imposuit sub specie traditionis rudibus, & simplicibus Christianis. Sed do tibi, quia ita vis, mi Ianseni, ex traditione sola constare Pauli Epistolas esse divinas. Quomodo tu iis fidem adhibere poteris: Ni eas ipsas in se divinas esse cognoscas, quia ab Apostolo dictante Spiritu sancto sunt scriptæ, haud magis poteris conscientiam tuam iis subjicere, quàm scriptis Platonis, aut Aristotelis. Audi quid Bellarminus tuus dicat lib. 3. de Iustificat. cap. 8. *Non potest aliquid certum esse certitudine fidei, nisi aut immediatè contineatur in verbo Dei, aut ex verbo Dei per evidentem consequentiam deducatur. Fides enim non est, nisi verbi divini authoritate nitatur.* Necesse ergò est fatearis Pauli Epistolas in se divinas esse, ni velis Ebionæus haberi: aut traditionem humanam juxta Scripturam colloces, & divinæ adæques. Sed dices traditionem suadere? quid tum. Ex nostris id quoque nemo negat. Interea non ideo tamen credimus Pauli Epistolas esse divinæ, ac infallibilis authoritatis. Alia sunt, quæ nobis persuadent. Author earum est Apostolus, & quæ scribit sunt divina, ac per quem scripsit est Spiritus Sanctus. Et ut de earum authoritate nullum superesset dubium, Petrus calculo suo eas confirmat. Quemadmodum autem Iansenius ideo credit bullam Episcopatus reapse datam & concessam sibi esse ab Vrbano VIII. quia videt ejus sigillum, & quod præcipuum est, manum secretarii, ita etiam ni atheo-Libertinus esse velit, credere debet Pauli Epistolas esse Canonicas, quia hoc Apostolus Petrus, qui inter scribendum assistentem sibi habuit Sp. Sanctum, scripsit, ac testatus est. Sed dicet, etiamsi Petrus testetur in genere quasdam Epistolas Pauli esse Canonicas, tamen hanc, aut illam Canonicam esse, ex traditione est. Nihil minus. Alia sunt κριτήρια. De quibus videri potest Euseb. lib. 3. Hist. Eccl. cap. 21. Quo loco disputans de authoritate Epistolæ primæ Iohannis; quatuor hæc adfert. 1. Phrasin. 2. Γνώμην. 3. Περιέχον. & quarto demum loco Ecclesiæ judicium, quæ est custos librorum Canonicorum.

Secunda quæstio, juncta decimæ sextæ.

2. *Ex quo Scripto verbo asseras falli in fide Ebionem, Marcionem, Valentinum, Cerinthum? quorum primus solum Mathæum ut divinum recipit: secundus solum Lucam: tertius solum Iohannem: quartus solum Marcum.*

16. *Ex qua Scriptura demonstres nostra potius esse vera Euangelia, quàm Euangelium secundum Ægyptios, quo usus est Tatianus, & à Clemente videtur magni fieri, vel secundum Apostolos, quod incorruptissimum Manichæis visum est, vel secundum Mathiam, & secundum Iacobum, quæ à quodam Lenero scripta fuerant, vel secundum Thomam, de quibus Innocentius, vel secundum Hebræos ab Ebionitis admissum, vel secundum Iudam Iscarioten.*

Resp. QVæstiones si quæ indignissimæ Iansenio, qui quondam inter Lovanienses cathedras Scripturam interpretatus est. Scire debuisset quaternarium Euangelistarum numerum, quàm bene jam non disputo, à suis probari ex Apocalypf. cap. 4. verf. 6. & seq. & Iesuitam Riberam Comm. in Apoc. 4. num. 39. cum stomacho invehi in Lyranum, quod ausus fuerit obloqui receptæ Patrum allegoriæ. Quod verò ad supposititia Euangelia, audiat Iansenius de iis Patres apud Euseb. lib. 3. Hist. Eccles. cap. 19. ubi præter id: *quòd Scripturas illas nemo ex Scriptoribus Ecclesiasticis, qui continuatâ temporum successione ab Apostolis huc usque vixerunt, usquam in suis scriptis in memoriam redigere conatus est.* Quod argumentum non negligunt: addunt sequentia: *Quin etiam dictionis, & loquendi forma, longè à stylo, & dicendi consuetudine Apostolorum discrepat. Sententia porrò & institutum eorum quæ in illis libris traduntur (quod toto propè cælo ut dicitur à vero, orthodoxoque sensu, & opinione abhorreat) planè, perspicueque ostendit ea callida solùm hæreticorum esse commenta.* Vt autem Phrasis Ciceronis, aut Xenophontis, Ciceronis & Xenophontis index est, ita etiam Phrasis Apostolica apostolos authores arguit. Nec tantùm ex stylo, sed ex materia quoque judicarunt. Gregorius Magn. Præf. in lib. Iob. *In Psalmo 44. Lingua mea (inquit Propheta David) est calamus scribæ velociter scribentis: cùm ergo rem cognoscimus, ejusque rei Spiritum sanctum authorem tenemus, cùm scriptorem quærimus, quid aliud agimus, nisi quærentes literas de calamo perscrutamur.* Fatetur hoc ipse Medina lib. 2. cap. 4. apud Eder. Oecon. Biblior. lib. 3. pag. 322. *Si quæratur,* inquit, *cur Marcum, & Lucam, qui, non ut cæteri, ipsius Christi, sed tamen Pauli & Petri discipuli fuerunt, Euangelistas admittimus; ratio prima est, quòd sancti Patres, veri judices rerum, non dignitatum, non tam personam, & titulos, quàm verum Spiritus Sancti afflatum quærebant.* Pyrrhonica Iansenii effugia jam antè examinavimus.

Quæstio quarta.

4. *Vbi scriptum sit, omnia in veteri Testamento, Euangeliis, & Epistolis, esse Christo in auctoribus loquente scripta, & non quædam spiritu humano, ut olim aliqui voluerunt apud Hieron. & Epiphanium?*

Resp. VAh Christianum ita quærere? Est hoc principum Christianismi, quod ante omnia credendum est. Præclarè Augustinus lib. 6. Confess. cap. 5. *Persuasisti mihi, ô Deus, non qui crederent libris tuis, sed qui non crederent esse culpandos. Nec audiendos esse, si qui fortè dicerent, Vnde scis illos libros unius veri Dei Spiritu esse humano generi ministratos.* Si opponerem Iansenio clara, & evidentia Scripturæ testimonia 2 Timoth. 3. verf. 16. 2 Petr. 1. verf. 21. rideret me scio, & sarcasticè quæreret unde mihi constaret verum dicere Petrum & Paulum apostolos. Mitto ergo eum. Nec margaritas immundis ejus pedibus objicere volo. In Scholis sæpe audivi, contra negantem principia non esse disputandum. Dn. Episcopus, teste Fromondo, decies legit Augustinum, non dubito quin incideret in duos libellos, quos scripsit contra adversarium Legis, & Prophetarum. Inveniuntur Tom. 6. ejus Operum. Si eorum oblitus sit, repetat quæso lectionem, & opusculum illud contra se scriptum esse cogitet.

Quæstio quinta.

5. *Ex qua Scriptura probes ullam esse Scripturam divinitus inspiratam, ut neophytus argumentis Svvenckfeldii & Libertinorum fluctuans, & ex castris eorum rediens, ad credendum fide divinâ firmetur.*

Resp. QVantus fungus es, Ianseni, accessisses Bellarminum tuum, ille tibi suggessisset Scripturæ loca, quibus obruendi sunt Libertini: qui æquè absurdi sunt ac tu: cum enim Scripturæ hostes sint, & omnia Dæmonio intrinseco accepta referant, tamen ex Scripturis orthodoxos adoriuntur, assiduò crepantes hanc Pauli sententiam 2 Cor. 3. *Litera occidit, Spiritus vivificat.* Adi quæso, mi homo, præceptorem tuum lib. 1. de Verbo Dei cap. 2. Invenies ibi testimonia ex Scripturis abunde. Inter alia illic leges: *Regula Catholicæ fidei, certa notaque esse debet; nam si nota non sit, regula nobis non erit: si certa non sit, ne regula quidem erit.* Rectè. Funditus hæc evertunt tuas quæstiones, & stultitiæ egregiè arguunt.

Quæstio sexta.

6. *Ex qua Scriptura demonstres, priscis Græcis Apocalypsin Ioannis, & Latinis Epistolam ad Hæbræos esse divinos libros, cùm olim illi de illa contra Latinos, hi de ista contra Græcos dubitaverint? Et ex qua Scriptura dubitatio illa à Luthero, Brentio, Kemnitio, recens iterum de utraque suscitata sopietur, si fortasse Voetium assererent hac de causa esse hæreticum.*

Resp. QVæstio similis præcedentibus, nisi quòd eò deformior est, quia saburrata calumniis in Lutherum, Brentium, ac Kemnitium. Fateor Lutherus in prima editione Testamenti vernaculi anno 1526. editi instar Erasmi, ut nihil jam dicam de antiquis fluctuavit an *Apocalypsin*, cum duabus Epistolis posterioribus *Iohannis, Iacobi*, item & *Iudæ* canoni Apostolico accensere deberet: cæterum in altera editione anni 1535. longè sanius de iis judicavit, neque qui *Lutherani* vulgò vocantur, quicquam amplius de authoritate horum librorum dubitant. Tacuisset ergo hæc Iansenius, ni prorsus depuduisset, nec immerito suo *Kemnitium*, qui nunquam de horum librorum authoritate dubitavit, perstrinxisset. Quærit primò de Authoritate Apocalypseos. Sed si eam ego negem, an suffecerit, si clamet ex traditione, & tacito Ecclesiæ consensu liquere, eam esse canonicam? Minimè. Ideo dicam eam esse θεόπνευστον, 1. Quia scripta est ab Apostolo. 2. Quia author testatur eam se à Christo accepisse, & jussu angeli scripsisse. Apocal. 1. vers. 1. *Secundò*, agit de Epistola ad Hebræos. Velim autem ex traditione sola Iansenius eam probet esse divinam. Traditionem, traditioni: Episcopis Græcis Romanos opponerem. Et successionem traditionis usque ad modernos Socinianos deducerem, ex quibus *Georgius Eniedinus* eam nuper oppugnare est aggressus. Aliis ergo argumentis necesse est suadeatur divina Epistolæ hujus authoritas. Quanquam autem viri docti & olim, & hodie disputarunt de authore hujus Epistolæ, de eo non movebimus litem, modo constet esse Canonicam, quamvis etiam probari possit, eam esse Paulinam. 1. Propter plurimas phrases, quæ in aliis Pauli epistolis occurrunt. 2. Quia Epistola hæc voto Paulino obsignatur. Heb. 13. vers. ult. *Gratia sit cum omnibus vobis, Amen.* Illud autem indubitatum Σημεῖον est, ut ipse innuit 2 Thess. 4. vers. 17. 18. 3. Paulus expressè facit vinculorum suorum mentionem cap. 10. vers. 34. dein spem facit se brevi ex iis dimissum iri. cap. ult. vers. 19. & vers. 23. Timothei meminit. Verisimile autem est hanc Epistolam Româ ad Iudæos Ierosolymitanos à Paulo esse scriptam, quia cap. ult. vers. 24. Hebræos salutat nomine eorum, qui sunt ἀπὸ τῆς ἰταλίας. Vnde non prorsus vani sunt, qui existimant Petrum præ cæteris innuisse hanc Epistolam in calce Epist. poster. quia æque illam, ac priorem scripsit ad Hebræos dispersos per Pontum, Asiam, &c. quod liquet ex cap. 3. vers. 1. *Hac jam alteras literas vobis scribo dilecti.* Hæc argumenta magis suadent, quàm traditio, & Ecclesiæ consensus, quæ tantùm inter argumenta externa, aut potius motiva referimus.

Quæstio

Quæstio septima.

7. *Vbi scriptum sit Epistolam Iacobi esse divinam, cùm Lutherus patriarcha vester putet esse stramineam, Erasmus, non redolere Apostolicam gravitatem?*

Resp. QVorsum vir Dei Lutherus iterum maledictis incessitur? Erravit aliquando, homo enim erat. Agnoscit, corrigit, & deprecatur errorem suum. In præf. enim operum suorum his verbis obtestatur lectorem: *Oro ante omnia pium lectorem, ut ista legat cum judicio, & multa miseratione, & sciat, me aliquando fuisse monachum.* Vt nihil dicam de Erasmo, qui quamvis in hac opinione esset publicè salutabatur dilectus filius à PP. Leone X. Adriano VI. & Clemente VII. Si Papani νυκτικόρακες judicii, & modestiæ guttulam reliqui haberent, dissimularent hunc fervidi viri errorem: nec magis in Lutherum, quàm Cajetanum Cardinalem debaccharentur, qui non erubuit scribere authorem Epistolæ ad Hebræos, *non solum errasse in verbis, sed etiam in sensu, & sententia Scripturarum.* Sed unde constat Iacobi Epistolam esse divinam? non ex traditione tantùm, sed materia, quæ divina est, & examussim respondet reliquis libris canonicis; modò habeatur ratio temporis, quo scripta est, & eorum, ad quos. Adhoc æquè certus sum Epistolam hanc esse Canonicam, quia præfert nomen Scriptoris canonici, & omnia requisita libri canonici habet, quàm Iansenius acquiescere potest in bulla Vrbani VIII. qua Iprensium præsul statuitur.

Quæstio octava.

8. *Ex qua Scriptura persuadeas S. Gregorio NaZianZeno librum Ester, quem recipitis, esse scriptum divinitus, cùm clarè post canonem suum illo libro carentem dicat:*

------------ Ecce omnes habes.
Si quid præter has fuerit non est genuinum.

Resp. AGnosco ridiculam Bellarmini simiam. Quasi verò Nazianzenus συνεκδοχικῶς librum Esther, more quorundam Hebræorum sub Esdra non comprehenderit. Dixisset eadem opera Cardinalis Nehemiam ab eo excludi, quia expresè non enumerat. Christianus poëta, quia sectari voluit illos Iudæos, contentus fuit, more & exemplo eorum, Esther, Nehemiam, & Esdram unius Esdræ nomine complecti. Ita etiam sentiebant Paula, ac Eustochium, quum sibi ab Hieronymo librorum Esdræ, Nehemiæ, & Esther interpretationem dari postularent. Vt ipse Hieronymus præf. in Esdram innuit. Et sic in fumum abjt Iansenii quæstio.

Quæstio nona.

9. *Ex qua Scriptura constet, errare Iudæos, qui librum Iob in suo Thalmud ex canone expungunt. Et Martinum Lutherum Prophetam vestrum, qui non credit omnia sic esse gesta, prout narrantur.*

Resp. QVæstio hæc quia consuta est ex meris calumniis, sponte sua dissolvetur, si illas ostenderimus. 1. Summã injuriam Luthero facit Bellarminus (ex quo hæc conscribillavit Iansenius) quando de ejus doctrina & religione judicet ex Convivalibus sermonibus. Extant ejus libri, & scripta, quæ vivus ipse edidit, & aliquoties sub incudem revocavit. Convivales sermones, quia nullo judicio, aut fide consarcinati sunt, ab indocto, & inexercitato aliquo sciolo, Lutherum nec accusare, nec defendere possunt. Sed ne convivales quidem Sermones Lutheri doctrinæ notam inurunt. Dixisse fertur, *se non credere omnia in libro Iobi sic esse gesta, prout narrantur.* Quid hic peccatum est? Quis in parte priore capitis primi, ubi de comparitione filiorum Dei agitur, negare ausit necessariò hypotyposin parabolicam admittendam esse? Verè Lyranus in præf. lib. Iobi: *Quædam*, inquit, *historicè hic dicuntur, & allegoricè, & moraliter: quædam nequeunt ad literam accipi, quia erronea essent, vel impossibilia, vel à se invicem discordantia.* 2. Mendacium Bellarmini, & stolida Iansenii imprudentia est, quòd Iudæi in Talmude librum Iobi ex canone expunxerint. Nunquam hoc probabitur. Si hoc verum esset, monuissent sane Ralbag, & Aben Esra, in Commentariis ad Iobum. Quis enim existimet eos ausos fuisse contradicere

Thalmudi, de quo Targum in Cant. 1. dicit, quòd Deus nocte in eo studeat. Quid quod Masorethæ quandocunque agunt de libris Scripturæ, eosque enumerant: Hagiographos, hoc ordine recenseant: *Ruth, Liber Psalmorum, Iob, Proverbia*, &c. ut videre est in libro בבא בתרא *Bava bathra* cap. 1. fol. 14. Masora autem Thalmude est posterior. Sed quæret quis: an ergo fallitur Bellarminus? Adducit enim lib. 1. de V. D. cap. 5. ipsum Thalmud? Fallitur. Sciolus quis miserè ei imposuit. Parte enim 4. tract. 3. quam ipse citat, contrarium docetur. Agitur ibi fusè de Canone, & quidem folio 18. pag. altera hæc leguntur: כתובים רות וספר תילין ואיוב וכולי סידרן סל *Ordo ipsorum hagiographorum Ruth, & liber Psalmorum, & Iob*, &c. Et deinde paucis interjectis מסה כתב ספרו ופרסת בלעם ואיוב *Moses scripsit librum suum, & sectionem Bileam, & Iobum.* Sed quæ erroris occasio? fol. 19. ejusdem Cod. pag. 2. proponitur sententia cujusdam, qui Iobum unquam extitisse negabat. At mox illa eadem pag. refellitur. Quis autem nisi fatuus concludat inde, Iudæos in Thalmude negare authentiam libri Iobi? Demus verò omnes Iudæos negare, Christianis tamen nobis sufficere deberet authoritas sacræ Scripturæ Ezech. 14. 1 Cor. 3. Iacobi 5. Inspice Bellarminum tuum, Ianseni, & sape.

Quæstio decima.

10. *Vbi scriptus sit articulus ille fidei, quòd libri Sapientiæ, Tobiæ, & Ecclesiastici non sint Canonici, ut vos creditis: & quod errant Catholici, qui contrarium fide divinâ credunt.*

Resp. QVem non misereat hujus hominis? Petit ut nos probemus ex Scripturis libros Sapientiæ, Tobiæ, & Ecclesiastici non esse Canonicos, quasi verò ille, cum sublimi suo Fromondo antithesin probare non debeat? Affirmanti incumbit probatio. Aut si ex Scriptura se hoc probaturum desperet: probet saltem ex jugi, & non intercisa traditione, quemadmodum nos antè contrarium confirmavimus. Addit Catholicos, (caudatos nempe) credere fide divinâ eos libros esse canonicos. Quàm hoc absurdum? Supra ex Cardinale Bellarmino audivimus, nihil esse de fide, quod non sit scriptum apud Prophetas, & Apostolos. Necessum ergo est, Iansenius probet, aut apud Prophetam, aut Apostolum aliquem horum librorum authoritatem confirmari. Sed quando hoc faciet?

Quæstio undecima.

11. *Ex qua Scriptura constet, argumenta, quæ contra illos libros opponuntur, non posse solvi, sicut alia gravissima quæ contra alios utrisque communes opponuntur, solvi possunt ac debent.*

Resp. IAnseni ex eadem scriptura probatur invictum robur eorum argumentorum, ex qua futilitas, & infirmitas tuarum quæstionum arguitur. Ideo indissolubilia sunt illa argumenta, quia maximi ex tuis Doctoribus præter coccysmos contra ea nihil adferre possunt. Si non credas, experire. Contra quemque librum unicum tantum argumentum adferam. Tenta, an ea possis solvere. Contra librum Tobiæ hoc esto. *Quicunque liber docet Magiam, ille est Apocryphus: Liber Tobiæ docet Magiam.* Ergo. Minor probatur ex cap. 6. ubi dicit angelus quòd particula cordis piscis capti in fluvio Tigride carbonibus imposita ejiciat omne genus dæmoniorum, sive à viro, sive à muliere, ita ut ultra non accedat ad eos. Vbi præter præceptum magicum Apocryphus author angelo qui peccare non potest, duo amplius mendacia affingit. 1. Quòd dicat fumo isto ejici omne genus dæmoniorum, contra doctrinam Christi Math. 17. v. 21. 2. Quòd dæmonia semel ejecta non redeant: quod ex diametro adversatur Christi admonitioni. Math. 12. v. 43. Contra Ecclesiasticum hoc argumentum propono. *Quicunque scriptor prophetica dicta interpretatur secundū errorem Scribarum & Pharisæorum, & non secundum veram interpretationem Christi, is inter scribendum non est actus à Sp. Sancto, ac consequenter est apocryphus. Atqui hoc facit author Ecclesiastici. Ergo.* Majoris consequentia est hæc, quia Sp. Sanctus sibi non potest contradicere. Minor ita probatur. Malach. 4. vers. 5. occurrit hæc promissio: *Ecce ego missurus sum vobis Eliam prophetam,*

prophetam, antequam veniat dies Iehovæ maximus, & reverendus: ut convertat cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres ipsorum; ne veniens percutiam terram anathemate. Locum hunc angelus Gabriel Luc. 1. v. 17. & Servator noster Marc. 9. cap. 11. de Iohanne Baptista qui in spiritu Eliæ antecessit Messiam interpretatur: author vero Ecclesiastici cum Pharisæis, & Scribis de Elia ipso. Ita enim de eo loquitur cap. 48. v. 10. *Qui conscriptus es fore redargutioni in sua tempora, ut sedares iratum judicium Domini furore conjunctum, ut converteres cor patris ad filium, & constitueres tribus Iahakobi.* Argumentum hoc si solveris Ianseni, Apollinem te putabo. Accipe etiam unum, contra librum Sapientiæ. *Quicunque liber est Græcè scriptus ab authore qui non fuit Propheta, ille est apocryphus, nec pertinet ad libros canonicos veteris Testamenti. Talis autem est liber Sapientiæ.* Ergo. Si D. Episcope argumenta hæc solidè solveris, *credam ea solvi posse.* Interim memento, me tantùm specimen rationum contra quemque librum tibi ostentare, plenam messem si desideres, adi Cl. Rainoldi prælectiones de libris Apocryphis, invenies in iis materiam exacuendi ingenii.

Quæstio duodecima.

12. *Vbi scripserit Sp. Sanctus nullos libros veteris Testamenti esse canonicos, nisi qui in Iudæorum canone continentur.*

Resp. EX qua traditione id confirmes, Ianseni. Ex Scriptura infallibili argumento illud probavi supra. Cedes illi, si non obduratus sis contra veritatem. Si mihi æquè valida ratione ex Scriptura probaveris Ecclesiam jus habere, libros quos neque Ecclesia Iudaica, neque primitiva Christiana, pro canonicis recepit, canonizandi, promitto me non procul fore à Papismo.

Quæstio decimatertia.

13. *Ex qua Scriptura constet, minùs esse scriptos libros veteris Testamenti lingua Græca sub Imperio Græcorum, quàm Caldaica sub Imperio Chaldæorum, & Hebraica, sub Repub. vel regno Iudæorum.*

Resp. QVæstio si quæ alia, digna sapientiâ & eruditione Iansenii. Ipse solutionem videbit, si mihi responderit, cur libri Prophetarum non sint scripti aut linguâ Arabicâ, aut Turcica, cum tamen utraque hodie frequentetur in Palæstina. Supra ex Genebrardo audivimus ultimum Prophetarum fuisse Malachiam, ille autem ducentis, aut præter propter annis præcessit Ptolomæum Philopatridem, qui primus partim per Ægyptios, partim per Græcos, Iudæos opprimere aggressus est. Si mihi non credat Iansenius adeat Chronologos, & nisi depuduerit, rubore perfundetur. Quod si dicat se respicere præcedentia secula, idem est ac si quæreret, cur Cicero in Romana curia, & pro rostris Græcè non peroraverit, aut Demosthenes Athenis Latinè.

Quæstio decima quarta juncta vigesimæ tertiæ.

14. *Ex quo Scripturæ loco probes, Iudæos Canonem suum non auxisse libris adulterinis, vel genuinis mulctasse, & ita adulteratum canonem ad nos non esse transmissum.*

23. *Ex qua Scriptura probas Iudæos velut hostes Christianorum, nihil in veteri Testamento de industria violasse, & Canum, quem toties honorificè citas, esse hæreticum, quia hoc dicit.*

Resp. IVdæos usque ad tempora Apostolorum fideles fuisse custodes librorum Canonicorum, probavimus supra, ex ep. ad Roman. cap. 3. v. 2. Addi potest alterum Apostoli testimonium, quod occurrit eadem epistolâ cap. 9. vers. 4. ubi dicit, *Israëlitarum esse adoptionem, & gloriam, & pacta, & legis constitutionem, & cultum, & promissiones.* Quis autem dubitet, Apostolum tali elogio eos condecoraturum non fuisse, nisi perspexisset eorum fidem, ac diligentiam in servando deposito à Deo credito. Si autem Scripturam aut mutilassent, aut additionibus, ac somniis suis onerassent, quis credat hoc dissimulaturum fuisse benedictum Servatorem nostrum, qui Doctoribus eorum omnia vitia, quæ in iis luxuriabant, proponit, & specificè de singulis arguit? Post tempora verò Apostolorum, eos libros Canonicos, nec mutilasse, nec deturpasse, quis tam bardus est, ut ex Scriptura sibi probari postulet.

Sufficit illud ex Scriptura apodicticè ostendi Apostolos probare non tantùm Iudæorum fidem in conservandis Scripturis, sed etiam sequi: ac primitivam Ecclesiam eosdem libros, qui eousque à solis Iudæis erant possessi, accepisse, probasse, & suos fecisse. Demus autem, quòd tamen falsissimum est, Iudæos postea Scripturam V. T. aut corrupisse, aut ei deliramenta sua addidisse: nihil tamen ejus autenthiæ decedet: quia à Christi usque tempore Ecclesia non Papana, sed Catholica quæ ex Scripturis edocetur de Iudæorum fide, custos fuit librorum Canonicorum. Quicquid vero garritur à papicolis de Iudæorum perfidia in corrumpendo V. Testamento, exploditur ab iis, qui judicio, ac eruditione inter eos excellunt, nisi quos forte amor Papæ excæcavit. In hac opinione asserenda, contra suorum inscitiam constantes fuere *Driedo* de Dogmatib. Eccles. 1. 2. *Arias Montanus* præf. in Bibl. Interl. *Andradius* Defens. Concil. Trident. l. 4. *Bellarm.* lib. 2. de Verbo Dei cap. 2. *Marinus* præf. in arcam Noæ. *Ludovic. de Tena* lib. 1. de Script. Diff. 3. Sect. 4. Vt silentio jam prætercam *Bannem, Pagninum, Cajetanum, Hier. ab Oleastro, Senensem, Acostam, Lorinum, Sanderum, aliosque.* Testimonia eorum post Cl. Rivetum & D. Amamam non exscribo, quia actum non libenter ago.

Quæstio decimaquinta.

15. *Vbi scriptum sit, quod illa opera, quæ nomen Euangelistarum, & Apostoli Pauli præ se ferunt, sint verè ipsorum, & non potius esse veram Fausti Manichæi sententiam, quà dicit se sæpe probasse, quòd nec ab ipso Christo hæc sunt, nec ab ejus Apostolis scripta,* &c.

Resp. QVæ quæstio sceptica est, si hæc non est? Dic mihi, bone Ianseni, unde tibi constet libros qui Platonis nomen præferunt, esse Platonis. Non opinor tam vesanum te fore ut ad traditionem confugias? Nunquid dices, te ideo non dubitare, quin Plato eorum author sit, quia ejus nomen ac epigraphen in ipsis libris vides? Quod de profanis authoribus fateris, ne neges de Scriptoribus θεοπνεύστοις. Miror vero Dn. Episcope te, qui in Augustino maciem, si Fromondus non fallit, contraxisti, non observasse quomodo vesaniam illam Manichaicam, quæ etiam te inquietat, effurcillet lib. 32. contra Faust. Manich. cap. 21. Quo loco meminit quidem traditionis continua successione traditæ, sed quæ tamen à Scriptione sumat initiũ. Talem nos libenter admittimus: quia testatur cum sensibus nostris. Sed audiamus Augustinum: *Hic*, inquit, *jam si quæratis à nobis unde sciamus Apostolorum esse istas literas? Breviter vobis respondemus, Inde nos scire, unde & vos scitis literas illas esse Manichæi, quas miserabiliter huic authoritati præponitis. Si enim & hinc vobis aliquis moveat quæstionem, & scrupulum contradictionis impingat dicens, libros quos profertis Manichæi, non esse Manichæi, quid facturi estis? nonne potius ejusdem deliramenta ridebitis, qui contra rem tantâ connexionis, & successionis serie confirmatam, impudentiam hujus vocis emittat? Sicut ergo certum est illos libros esse Manichæi, & omnino ridendus est, qui ex transverso veniens tanto post natu, litem vobis hujus contradictionis intenderit: ita certum est Manichæum, vel Manichæos esse ridendos, aut etiam dolendos, qui tam fundatæ authoritati à temporibus Apostolorum, usque ad hæc tempora certis successionibus custoditæ, atque productæ audeant tale aliquid dicere.* Nota. *Fundatæ authoritati*, dicit Pater. habet enim in ipsis Scripturis fundamentum.

Quæstio decimaseptima.

17. *Ex qua Scriptura conficias libros illos antiquissimos, qui à doctissimis viris pro sacris habiti sunt, non esse Canonicos, ut inter cæteros librum Hermetis, qui ab Origine scriptura valde utilis & divinitus inspirata judicatus est, & à plurimis antiquis in probationem adhibitus. Omitto acta Pauli, epistolam Barnabæ, & Clementis, quib. Clemens Alexandrinus usus est, aliaque non pauca.*

Resp. ITa Ianseni, ex ipsa Scriptura hoc probo, quæ ut regula rectissima, quicquid curvum, & scævum est manifestat, ac arguit. Aliter catuli olent, aliter sues. Libri illi si comparentur cum libris Canonicis, mox eorum errores, & nævi patefiunt. Quia autem discrepabant à regula fidei, & Apostolorum, à Patribus ut

ut apocryphi sunt rejecti. Si dubites, audi Augustinum, is ita lib. 1. de Consens. Euangel. cap. 1. *Cæteri autem*, inquit, *homines qui de Domini, vel Apostolorum actibus aliqua scribere conati, vel ausi sunt, non tales vel suis temporibus extiterunt, ut eis fidem haberet Ecclesia, atque in authoritatem canonicam sanctorum librorum, eorum scripta reciperet: nec solum quia illi non tales erant quibus narrantibus credi oporteret, sed etiam quia scriptis suis quædam fallaciter indiderunt, quæ Catholica, atque Apostolica regula fidei, & sana doctrina condemnat.* Augustino astipulatur Stapletonus de princip. fid. lib. 9. cap. 11. *Apostolus Paulus*, ait, *docet haberi in toto corpore Ecclesiæ donationes differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei, id est, ut nulla audiatur Prophetia, nulli credatur spiritui, nihil vel scriptum, vel non scriptum admittatur quod rationi, proportioni, & regulæ fidei ipsius repugnet. Hoc Apostoli consilium seu oraculum diligenter secuti magistri Ecclesiarum, nihil pro Scripturis verè divinis agnoscere voluerunt, quòd ab analogia & regula fidei acceptæ & ab Apostolis traditæ vel latum unguem discreparet. Sanè juxta illud Apostoli, si quis euangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit: sed contra, juxta acceptam fidei regulam, Scripturas aliquas pro divinis non raro acceperunt. Hujus rei necessitatem docens Clemens Alexandrinus ostendit ideo hæreticos Scripturas ipsas repudiare interdum, quia hanc fidei regulam non tenent, Catholicos autem ex eadem Scripturâ demonstrare.* Rectè. Quis autem ita cum ratione insanit, ut illud ex Scriptura educi, & probari non dicat, quod ex ea arguitur, & refellitur?

Quæstio decimaoctava.

18. *Quo Scripturæ testimonio probes, omnes libros Canonicos, extra quos nihil fide credendum est, esse superstites, cùm in Scripturis gesta Davidis à Samuele, Nathan, Gad; gesta Abia ab eodem Addo; gesta Iosaphat à Iehu conscripta memorentur: legamus item, Salomonem tria millia parabolarum, & carmina quinquies mille locutum, quorum tamen parum superest. Ex qua Scriptura probes, nihil in illis libris fide credendum fuisse comprehensum: neque quicquam ex eis traditione ad nos transmissum?*

Resp. NI Iansenius, aut ex Scriptura, aut (quod ei ultrò largimur) ex constanti, & non intercisa traditione probaverit, libros, quos enumerat aliquando canonicos fuisse, egregiè se deridendum propinabit. Ex canonicis enim libris, quem perire, aut intercidere est ἀδύνατον, Eoque tria illa millia parabolarum Salomonis, & ejusdem quinquies mille carmina, in canone non comparent, quia canonicam authoritatem nunquam habuerunt. Ea verò à Salomone esse aut scripta, aut dictata, non est absurdum: quia nec à ratione alienum est, Scriptores canonicos, præter scripta canonica, divinâ authoritate prædita, alia etiam non eâ authoritate pollentia, aut scribere, aut dictare. Rectè Stapletonus in Defens. Eccl. autor. contra VVittak. lib. 1. cap. 2. *Aio igitur*, inquit, *idcirco hæc tam varia Salomonis, & Davidis scripta periisse, quia non erant hujusmodi, ut in canonem recipi mererentur.* Vt enim Salmeron dicit Prolegom. 9. can. 4. *Si Canonici ejusmodi libri extitissent, Ecclesia non fuisset Depositi sibi à Deo traditi fidelis custos, juxta illud 1 Tim. 6. O Timothee depositum custodi. Cumque liber Canonicus nihil aliud sit, quàm certa regula credendi, & vitam legi Dei conformem instituendi, facere jacturam unius libri Canonici nihil aliud esset, quàm regulam vivendi juxta Dei præceptum amittere.* Ineptias autem suas, & supinam ignorantiam prodit Iansenius, parabolis & carminibus Salomonis adjungendo *gesta Davidis scripta à Samuele, Nathan, Gad; gesta Salomonis à Nathan, Abia Silonite, & Addo.* Negamus ea intercidisse. Quæ enim de illis referuntur in libris Chronicorum inserta sunt libris Samuelis, & Regum. Nec tantùm ita nos statuimus, sed ipsi etiam Papani DD. Paulus Burgensis addit ad c. 29. 1 Chronic. *Liber* (inquit) *1 Regum rationabiliter attribuitur Samueli, eo quod fuit ipse principalis Propheta contemporaneus Sauli. Similiter potest attribui 2. & 3. Regum Nathani prophetæ, seu Gado, qui fuerunt contemporanei Prophetæ David, & etiam Salomoni.* Item Sixtus Senensis lib. 2. Bibl. Sanctæ cap. 22. *Liber Samuelis partim à Samuele Propheta, partim à Nathan, & Gad Prophetis creditur esse conscriptus; Samuel enim collegit facta Heli, Saulis, Davidis, ac sui ipsius*

ipsius gesta, quæ in primo Regum usque ad mortem suam, hoc est, usque ad caput 25. referuntur. Nathan verò, & Gad Prophetæ, scripserunt libros Regum, à morte Samuelis usque ad finem lib. 2. quod satis apertè indicare videtur primus liber Paralipom. Genebrard. Chronol. lib. 1. anno Mundi 3066. *Samuel*, inquit, *scribit librum Iudicum, Ruth, & maximam partem primi Regum, quem ejus nomine alius ad regnum usque Salomonis perduxit. Heb. Baba Bathra cap. 1. nempe; Nathan, & Gad. Videns R. Mose Kimhi.*

Quæstio decimanona.

19. *Cujus Scripturæ auctoritate probes, omnes illos Sacræ Scripturæ libros, quibus olim antiqui usi sunt, alios per trecentos, alios per bis mille, & amplius annos incorruptos, sine additione, sine diminutione per tot describentium manus usque ad tempora S. Hieronymi pervenisse, nec illis contigisse per hæreticos, id quod Euangelio Lucæ per Marcionem contigit, in plus quam 20. locis, teste Epiphanio, & quod Epistolis Pauli, per eundem Marcionem, & Basilidem, qui ex eis quidquid contrarium suo dogmati viderant, eraserunt, teste Hieronymo.*

Resp. EX iis Scripturis, Ianseni, hoc probamus, in quibus Sp. Sanctus de Deo earum authore testatur, quod eas conservet & ab interitu vindicet. Apud Iesaiam cap. 55. vers. 11. testatur Deus, *nullum verbum, quod ex ore suo erat egressum, ad se reversurum vacuum.* Fieret autem hoc, si pro hæreticorum arbitrio, omnia in eo mutari, & variari possent. Adhoc Christus Math. 5. vers. 18. dicit *ne apicem quidem aut jota, periturum ex lege. Imo facilius est cælum, & terram præterire, quàm legis unum apicem excidere.* Luc. 16. vers. 17. Ratio est, *quia verbum Domini manet in æternum.* Esaiæ 40. vers. 8. Si verbum Domini non excidet, sed in æternum stabit, pro libitu, & beneplacito quoque adversariorum castrari, & corrumpi non potest. Liquet hoc manifestius si considerentur, irriti, ac ridiculi conatus eorum, qui hoc tentarunt. De Boderiano confuso divinitus in deturpatione loci famosissimi Gen. 3. diximus supra. Quid quod Deus semper vindices excitavit, qui hæreticorum malam fidem, & dolos detexerunt. Verè Bellarmin. lib. 2. de Verbo Dei cap. 7. *Nunquam*, inquit, *defuere Catholici, qui hæreticorum corruptelas detexerunt, & non permiserunt libros sacros corrumpi.* Et cum maximum periculum immineret V. Testamento à Iudæis obfirmatis, & pertinacibus Christi, & Christianorum hostibus, Deus tamen qui omnium corda in manu suâ habet, eorum animum immutavit, eique scrupulosam religionem pro custodiendo Scripturarum deposito, instillavit: ita ut non tantum eas incorruptas custodierint, sed omnes etiam rationes excogitaverint, quibus in futurum corruptelæ præcaveri possent. Fatetur illud ingenuè Genebrardus in Psal. 21. ubi ita loquitur: *Corruptam autem* [lectionem] *non concesserim, quia Masorethæ religione tracti, & Dei numine, atque providentiâ, literas nusquam attigerunt, sive alterarunt, in punctis duntaxat, & aliis notulis suum judicium, & inventa secuti.* Verè meminit Dei providentiæ, cujus unius consideratio Scripturarum perpetuam integritatem evincit.

Quæstio vigesima.

20. *Ex qua Scriptura probes, Hieronymum tanquam monachum juratissimum, & Papæ cultorem maximum, reliquiarum, & martyrum, ut dicitis idololatram, non violasse Novum Testamentum, & instituto suo aptasse: itemque eum correxisse omnia corrupta loca, quæ magno numero per Novum Testamentum sparsa fuerant, itemque non multa ex inadvertentia, imperitia, malitia reliquisse, maximè cùm se non omnia emendasse testetur.*

Resp. STulta est quæstio, quæ nos nec ferit, nec tangit, sed conciliabulum Tridentinum, furiososque ejus patronos: adhoc eò præcedentibus est deterior, quòd Iansenius orthodoxum Patrem, Hieronymum ad suum Papismum per maledicam inscitiam trahat. Vocat eum *Papæ cultorem maximum.* Si dixisset Antichristi, crederem. Sed ideo credo Papæ fuit cultor, quia Romam Babylonem vocavit. Audiatur ipse, & mendax erit Iansenius. In Epist. ad Euagrium dicit: *Orbis major est urbe. Vbicunque fuerit Episcopus sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Regii, sive Alexandriæ,*

driæ, ſive Tanis, ejuſdem meriti, ejuſdem eſt ſacerdotii. Potentia divitiarum, paupertatis humilitas, vel ſublimiorem, vel inferiorem Epiſcopum non facit. Cæterum omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt. Idem in Epiſt. ad Paulam & Euſtochium nomine Marcellæ: *Et hic puto* (inquit) *locus* (loquitur de Bethlehem) *ſanctior eſt Tarpeia rupe, quæ de cælo ſæpius fulminata oſtendit quod Domino diſpliceret. Lege Apocalypſin Iohannis, quid de muliere purpurata, & ſcripta in ejus fronte blaſphemia, ſeptem montibus, aquis multis, & Babylonis cavetur exitu, contuere. Exite, inquit Dominus de illa.* Addit *reliquiarum, & martyrum, ut dicitis, idololatriam.* Quàm hoſpes eſt in Hieronymo quæſtionarius! ſi eum ut Auguſtinum legiſſet decies, cautius locutus eſſet. Fateor Hieronymus contra Vigilantium, cui nos accenſent Papani, inconſideratè, & fervidè nimis ſcripſit: ſanctis, & eorum corporibus debitos deferri voluit honores, quos tamen Vigilantius iis non negabat. Interim neque eos, neque eorum reliquias ut hodie Papani, adorari cupit. Audi eum ipſum, D. Epiſcope, & erubeſce. Adverſ. Vigilant. *Quis,* inquit, *ô inſanum caput aliquando martyres adoravit? quis hominem putavit Deum?* Et ep. 53. ad Riparium: *Nos,* ait, *non dico Martyrum reliquias, ſed ne Solem quidem & Lunam, non angelos, non archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen, quod nominatur in præſenti ſeculo, & in futuro, colimus, & adoramus, ne ſerviamus creaturæ potiùs quàm creatori, qui eſt benedictus in ſecula.* Hæc pro Hieronymo. Vult autem D. Epiſcopus, pro inſigni ſua ſtoliditate, nos ex Scriptura probare Hieronymi verſionem eſſe authentico textui parem, quaſi verò hoc non incumbat conciliabulo Tridentino, ejuſque executoribus Sixto V. & Clementi VIII. inter quos ſcilicet tam amicè convenit. Si Dn. Epiſcope quid dignum mitrâ, & pedo tuo præſtare velis, proba aut ex Scriptura, aut ex jugi traditione, verſionem librorum canonicorum, ejuſdem authoritatis eſſe cum textu authentico. Item interpretem Hieronymum comparandum eſſe Prophetæ, aut Apoſtolo alicui. Hæc enim ſtatuit, & docet malè ſana tua Eccleſia, non nos, aut orthodoxi.

Quæſtio vigeſima prima.

21. *Si nihil in fonte turbavit: ex qua Scriptura probes, nihil in novo Teſtamento, jam inde ab Hieronymi ætate huc uſque per deſcriptores Monachos ſine numero, per Papas à quibus Scripturas accepiſtis, & quos tanquam Antichriſtos omnia maculaſſe dicitis, fuiſſe adulteratum?*

Reſp. PRobatum id jam ante eſt ad quæſtionem XIX. Verbum ſuum ſibi curæ eſſe oſtendit Deus. Illud ſempiternum fore, non ſemel promiſit. Quis ergo niſi Libertino-Scepticus de eo litem, & controverſiam moveat? Si quæ menda verò per exſcriptores, ſive illi monachi, ſive alii fuerint, in N. T. irrepſerunt, non ſcripturę, ſed iis ipſis imputanda ſunt. Corrigi illa facile potuere ex collatione Codicum. Egregiè, & prorſus ad mentem noſtram Driedo lib. 2. de Script. & dog. Eccl. *Proinde,* inquit, *fidem habemus noſtræ ætatis Græcorum, ac Ebræorum codicibus, his quos comperimus à vetuſtiſsimis ſuis exemplaribus non diſcordare, quemadmodum & ipſis olim fidem habuit Hieronymus taxans Helvidium ſtultiſsimè ſibi perſuadentem quibuſdam in locis Græcorum libros fuiſſe falſatos. Tu mira, inquit, impudentiâ, hæc in Græcis Codicibus falſata contendis, quæ non ſolùm pene omnes Græci tractatores, ſuis in voluminibus reliquerunt, ſed nonnulli è Latinis, ita ut in Latinis habentur, aſſumpſerunt.* Item Sixtus Senenſis lib. 7. Biblioth. *Dicimus,* ait, *eum Græcum codicem, qui nunc in Eccleſia legitur, eundem eſſe quo Eccleſia Græca tempore Hieronymi, & longè antea, uſque ad tempora Apoſtolorum uſa eſt, verum, ſyncerum, fidelem, & nullo falſitatis vitio contaminatum, ſicut continuata omnium Græcorum Patrum lectio evidentiſsimè oſtendit, uno ſemper, atque eodem tenore legentibus, Dionyſio, Iuſtino, Irenæo, Melitone, Origene, Africano, Apollinario, Athanaſio, Euſebio, Baſilio, Chryſoſtomo, Theophylacto, atque aliis ante tempora, & poſt tempora Hieronymi Patribus.* Sentis opinor Ianſeni, te cum tuis indoctis, & inſulſis monachis propriis telis feriri. Quicquid garrias de corruptis fontibus, arguent te tui DD. qui pene ſemper à providentia Dei argumen-

tatur,pro eorum limpiditate. Bonfrer. in Prælog. in Pentateuch. cap. 12. sec. 5. Ludov. de Tena,item Bellarm. l. 2. de Verbo Dei cap. 2. aliique. Quæ autem hic ineptit de Bibliis, quæ à Papis nos vult accepisse,supra in ejus Gnatone Fromondo castigavimus.

Quæstio vigesimasecunda.

22. *Ex qua Scriptura probas 70. interpretes olim non alia magis incorrupta vel verba, vel puncta legisse, quàm nunc legimus, cùm eorum translatio etiam in rebus facillimis tantopere ab Hebraico textu differat, ut vel ex sola translatione Psalmorum Hieronymi videre licet?*

Resp. EX collatione authentici exemplaris, quod ut supra ex ipsis Papanis DD. probavimus, à Iudæis fuit conservatum, dictum factum illud ostendi, ac probari potest. An non Iansenius si in foro litigaret, & adversarius suus falsificatum exemplar alicujus instrumenti judici obtruderet, se ex ipso instrumento illud redarguere statueret, si genuinum & authenticum exemplar ei opponeret? sic existimo. Idem ergo de LXX. Senum versione statuat: redarguitur illa, quando ad fontes examinatur, & ex ipsis fontibus, ac consequenter Scripturâ redarguitur. Quod de verbis,& punctis garrit, vesanum est. Legerunt illi eadem verba, & eadem puncta, & tamen malè verterunt: non enim prophetæ, sed homines erant, de quibus August. Steuchus Eugubinus Episcopus Xisamensis pronunciare non erubuit in Recog. vet. Testam. ad Gen. 4. 7. quòd *non adeo exquisitè Grammaticam Ebræam calluerint.* Quid etiam de eorum versione senserit Hieronymus, malo verbis Martini Martinezii Hispani, quàm ipsius Hieronymi referre. Ita autem ille lib. 1. Hypotypos. c. 4. *In Prophetis* (Hieronymus) *crebrò illorum negligentiam carpit, interdum affirmans literarum similitudine fuisse deceptos, interdum non satis intellexisse quod transferebant. Denique nullibi non adimit iis Sp. Sanctum, nec immeritò profectò.* Videsne bone Ianseni, vanitatem quæstionis tuæ? An non rideres me, si quærerem de vulgata versione, ex qua traditione probare posses, eam ut est à Clemente VIII. castigata, correcta, & interpolata, authenticam esse, cùm tamen in Editione Sixti V. multa aliter legantur. An non ad fontes me respicere juberes, ex quibus ut ut ipse dissimulet, eam tamen correxit Clemens? Ita opinor. Acquiescito ergo in eadem responsione, quam ipse adferres: eadem enim ratio est versionis LXX. senum,ut vulgatæ.

Quæstio vigesimaquarta.

24. *Sed esto,omnia veteris Testamenti integrè ad nos, sicut ab authoribus primùm scripta sunt, pervenerint; Ex qua Scriptura probas, Rabbinos veteres non perperam sacra verba punctuasse, sed in omnibus sensum S. Spiritus assecutos, cùm pro punctorum diversitate in mille formas posit torqueri?*

Resp. QVæstio hæc nec Voetium, nec Ecclesias nostras tangit. Ille puncta fatetur à Sp. sancto esse dictata. Hæ verò nunquam adhuc sententiam suam in quæstione hac Scholastica declararunt. 2. Si autem Iansenius bene versatus fuisset in magistro suo Bellarmino non tam ineptum se præbuisset. Ita enim ille ait lib. 2. de Verbo Dei cap. 2. *Scripturæ Ebraicæ habent suos quosdam errores, qui partim irrepserunt negligentiâ, vel ignorantiâ librariorum, præsertim cùm in Hebræo facile sit errare ob literas quasdam simillimas, &c. Partim ignorantiâ Rabbinorũ,qui addiderunt puncta. Cùm enim possint dictiones Hebraicæ variis modis legi, si punctis careant, non est mirum, si aliquando ipsi quoque in notatione punctorum à vero aberraverint, &c. Cæterùm non tanti momenti sunt ejusmodi errores, ut in iis, quæ ad fidem, & bonos mores pertinent, Scripturæ sacræ integritas desideretur. Plerumque enim tota discrepantia variarum lectionum in dictionibus quibusdam posita est, quæ sensum, aut parum, aut nihil mutant. Errores autem, qui ex additione punctorum acciderunt, nihil omnino veritati officiunt: puncta enim extrinsecus addita sunt, nec textum mutant.* Vtri magis credemus, Iansenio, an Bellarmino? Huic ego malim, longè enim altero doctior, & sapientior fuit. In punctis ordinandis, & subscribendis erraverint Masorethæ, nihil tamen decedit, teste Bellarmino, authoritati textus authentici: haud magis etenim ac eruditi scriptoris libro,

in quem injuriâ operarum παροράματα, & σφάλματα irrepserunt. Sed totum hoc de punctis, ut dixi, sibi needum à nobis concessum, ultrò vendicat. Explorare ante debuisset sententiam nostram; si cum ratione voluisset ineptire. Fateor. Quidam ex nostris Theologis Ebræis, non tamen omnes, multò minus confessiones Ecclesiarum nostrarum, punctorum inventionem Masorethis adjudicant. Movit eos præ cæteris Eliæ Levitæ authoritas. Sed equidem non video, cur ei tantùm deferendum sit. Studio videtur Elias voluisse communem opinionem oppugnare, ac Rabbinis obloqui. Quanquam autem de ipsis punctis, prout hodie vocalium officium obeunt, eorundemque characteribus alicui litem movere nolo, & pertinaciter pro eorum antiquitate certare; ita planè tamen mihi persuadeo Ebræam linguam nunquam vocalibus fuisse destitutam, & non tantum ante Masorethas, sed etiam tempore Prophetarum, earum usum in scribendo extitisse, imo certis etiam characteribus expressas fuisse. Enimvero Hieronymus, quem viri docti pro se laudare solent אוי vocales vocat epist. 145. Quod ad Rabbinos, Eliæ ut qui maximè adversantur, Puncta cum Mose ex monte Sinai descendisse referunt. Nec malè ab iis animæ comparantur, quę si ab initio non adfuisset vocibus, mortuæ & exanimes fuissent. Imo eorum vetustatem probant ex libro Bahir, & Zohar, quæ antiquitate longe ipsum Thalmud excellunt. Libri enim Bahir author perhibetur esse R. Nechonia, qui ipso Salvatore nostro Christo fuit antiquior, ut docet liber Iuchasin fol. 20. & Tzemach David fol. 35. Libri autem Zohar author fuisse dicitur R. Schimeon, ben Iochai, qui diu Thalmudis auspicia antecessit, ut tradunt prædicti libri. Si quis verò horum, & multorum aliorum Rabbinorum testimonia, ut & Eliæ Levitæ argumenta solidè, ac nervosè refutata videre cupit, adeat cap. 9. Tiberiadis magni Iohannis Buxtorfii. Si antiquitus, & ab initio, puncta aut simile quid vocales signans non fuisset receptum, quomodo constare potuisset ratio Genealogiarum, cùm unâ vocali tantùm plurima nomina propria à se distent? Vt nihil jam dicam de confusione multarum aliarum vocum: quibus distinguendis ne ferrea quidem memoria sufficiat. Quid quod viri docti, non vanis conjecturis colligant puncta aut similes vocalium notas usitatas etiam fuisse ætate Servatoris nostri, ex ejùs verbis Math. 5. v. 18. ubi ait: *Ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν, ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς, καὶ ἡ γῆ, ἰῶτα ἓν, ἢ μία κεραία οὐ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου, ἕως ἂν πάντα γένηται.* 1. Quia Mathæus Græcè scripsit, apud Græcos autem jota nunquam otiosum est, sed semper vice vocalis fungitur. 2. Quia utitur voce κεραία. Vertitur autem in Gloss. *κεραία apex.* Et in altero Glossario, *Apices κεραῖαι, ἄκραι συλλαβαί.* Quis verò tam ineptus, ut syllabam quam constitui posse credat sine subsidiaria vocalium opera. Quod viri docti de literarum corniculis, cuspidibus, ac spinis hoc locó dicunt, subtile magis quàm solidũ est. Pluribus de punctis ne ad alia dilabar, hic non disputo: eorum antiquitatem asseruit multis Marcus Marinus Brixianus, sancti Salvatoris Romæ Canonicus, in libro cui titulum dedit Arca Noe; ut alios jam non laudem.

Quæstio vigesimaquinta.

25. *Ex qua Scriptura probas non licere nova puncta subjicere, & ita formare Scripturam ab ea, quâ utimur, diversissimam?*

Resp. PVnctorum mutatione Scripturam diversissimam non posse reddi modò Bellarminus nos docuit: eoque iterum arguitur hic ignorantiæ Iansenius. Non licere autem nova puncta subjicere, ex iisdem Scripturæ locis probatur, quibus Deus legi & verbo suo quid aut addi, aut detrahi prohibuit. Deut. 4. v. 2. *Ne addite ad verbum illud, quod ego præcipio vobis, neque detrahite de eo.* Prov. 30. v. 6. *Ne adjicito ad verba Iehovæ.* Apocalyps. 22. vers. 18. 19. *Si quis adjecerit ad hæc, imponet ei Deus plagas scriptas in libro isto. Et si quis abstulerit aliquid ex verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus è libro vitæ.* Nebulas Dn. Episcopus soli offundet, hoc est, coccysmis suis hæc Scripturæ testimonia eludere poterit, quando secundum mirabilem suam sapientiam probaverit, aut puncta, aut quid iis vicarium, non esse de essentia vocum, easque absque illis legi, & intelligi posse.

Quæstio vigesimasexta.

26. *Vbi scripsit Spiritus sanctus Rabbi David Kimchi, aliosque recentiores Iudæos, & eis Calvinistas melius esse assecutos significationem, qualis tempore Mosis erat, Hebraicorum verborum (unde pendet translationum vestrarum fides) quàm S. Hieronymum, & vestræ peritiæ, plus quàm ipsius esse deferendum.*

Resp. QVis mortalium unquam hominem ineptiorem vidit? Quasi verò nihil verum esse possit, aut in Scriptura habere fundamentum, & ab ea authoritatem nisi totidem verbis in ea sit expressum: & non credendum sit modernis criticis, & literatoribus, qui sexcenta loca in authoribus antiquis correxerunt, & explicarunt, nisi sub hac conditione, si illi ipsi authores, quibus operam suam impenderunt, hoc testentur, ac fidem faciant. Quid fiet autem bono Hieronymo: qui Ebræas literas à Iudæis didicit, & post Septuaginta senes novam versionem cudit? Vnde constat non falli conciliabulum Tridentinum, quòd versionem (quę vulgò sub ejus nomine circumfertur) authenticam esse declaravit? ubi scriptum hoc est, aut ubi comparet traditio, quæ testatur Hieronymum perspexisse magis sensum Spiritus sancti, & rectius Ebræorum vocabulorum significationem, & proprietatem novisse, quàm Septuaginta, aut alios Interpretes? Responde mihi, Ianseni, & soluta erit tua quæstio, quâ fide & certitudine, Doctores Parisienses, versionem Bibliorum Xanctis Pagnini, hoc elogio in Censura sua condecorare potuerint: *Nos Doctores Theologi judicavimus versionem Xanctis Pagnini Lucensis addendam esse ad Biblia Complutensia, ut sit adjumento studiosis linguæ sanctæ, ad cujus proprietatem inter eas quæ hactenus prodierunt ea versio maximè videtur accedere.* Aut si non placeat respondere ad hanc quæstionem: dic mihi ingenuè, quomodo tu Hebraizans scias te nosse significationes, & derivationes aliquarum vocum Ebraicarum, quandoquidem eas didicisti aut è Pagnini lexico, (qui omnia sua pæne hausit ex Davidis Kimchi libro radicum, ut & Vatablus, Montanus aliique ex Rabbinis) aut ex simili aliquo authore, qui si in lingua sancta ulterius quàm tu fuit progressus, plurimùm se Iudæis debere, fateri debet. Responde quæso, & ipse scrupulum tenerrimæ tuæ animulæ eximes.

Quæstio vigesimaseptima.

27. *Ex qua Scriptura probes, significationes antiquas tempore Mosis, & Prophetarum usitatas multorum nominum Ebraicorum non penitus intercidisse per assumptionem linguæ partim Chaldaicæ, partim Syriacæ, sicut quorundam intercidisse magnus ille, & interminabilis conflictus Rabbinorum, & Lexicographorum ostendit.*

Resp. EX qua traditione, mi Episcope, probes tempore Ciceronis hæc vocabula: *Asinum, hircum, cornua, ferulam, fatuum, bucconem*, &c. idem notasse quòd hodie: quandoquidem jam ne Romæ quidem Latina lingua frequentatur, multæque voces barbaræ, ac extraneæ, per Gothorum, VVandalorum, & Hunnorum expeditiones, ac direptiones ei admixtæ sunt. Hodie in nullo terræ angulo frequentatur Latina lingua, & tamen viri docti Latinos authores intelligere possunt: quis tam bardus, ac ineptus est, qui idem non statuat, ac credat de Ebræa lingua? Maximè cum Masorethæ divinitus sint excitati, qui ut voces Biblicas integras, & ab omni vitiorum contagio illibatas servarent, literas omnes Bibliorum numerarunt: & Iudæi, qui per totum terrarum orbem sunt dispersi, in hodiernum usque diem inter se Hebræam linguam frequentent, Mosemque ac Prophetas in synagogis non nisi in originali lingua prælegant. Somnium est, & merum delirium, quod de conflictu Rabbinorum, ac Lexicographorum subjicit. Si ausit exempla, quod temere effutiit, aut ipse, aut per dignum se sectatorem Fromondum, probet. Sed cæcus de coloribus. Rabbinicas, Syriacas, & Chaldaicas linguas, æque perspectas habet ac Iaponicam. Fateor. Lingua Hebręa tempore Apostolorum Syriacismum redolebat: haut magis tamen desinebat esse Hebræa, quàm Belgicum idioma quod Iperis frequentatur, Belgicum est, etiamsi ratione dialecti discrepet ab Idiomate Leerdamensium, aut rusticorum vicinorum.

cinorum. Hinc & Hebraicè locutus dicitur Paulus Act. 22. verſ. 2. quamvis loqueretur, idiomate tum uſitato, hoc eſt, Syriaco-chaldaico-ebraiſmo.

Quæſtio vigeſimaoctava.

28. *Cùm unum verbum Hebraicum ſæpe duas, tres, imo quatuor, aut quinque ſignificationes admittat, multa non niſi ſemel occurrant in Scripturis: Itemque cùm una ſententia ſæpiſſime multos, imo oppoſitos ſenſus admittat, ut ex tanta tranſlationum varietate, & contrarietate manifeſtum eſt: Ex qua Scriptura conſtabit, quæ cui præferenda ſit, & quæ illarum ſit verbum Dei, & non hominum hallucinatio?*

Reſp. QVàm bellus hic apud Lovanienſes Scripturæ interpres fuit? Quas quæſo regulas ſectatus eſt? Traditiones forte dicet. Opinor tamen eum multa in locis adiaphoris, ex ſua opinione protuliſſe, quemadmodum in ipſis locis controverſis nunquam fere non interpretes primæ notæ Maldonatus, Salmeron, Pererius, Toletus, aliique facere ſolent: unde quæſo ſi urgeret aliquis probaret, eam novam ſuam opinionem niti Traditione pro qua tanto cum impetu digladiatur. Maldonatus ad Math. cap. 19. poſt relatas variorum ſententias, & interpretationes: *Vellem*, inquit, *ut unam aliquam interpretationem, ex his, quæ bonos authores habent, ſequi poſſim; ſed fateor, me præter voluntatem meam in novam interpretationem, rationibus majoribus impelli.* Quid ad hæc dicet Epiſcopus? An propria, & peculiaris, adhoc nova Maldonati opinio pro fulcro habere poteſt antiquitatem, ejuſque perpetuam ſucceſſionem? Et tamen ſi viveret Maldonatus, & Ianſenius ei moleſtias exhiberet, pro meritis eum exciperet, ac condignè contunderet. Sed ſi in Scripturis valebit hoc ejus delirium: ſane valere etiam debet in Conciliis, & reſcriptis, ac decretis PP. Quid ergo tot eorum centuriis fiet? Sine numero enim ſunt decreta, & canones Conciliorum, qui inter ſe ex diametro ſunt oppoſiti. Quid ex iis erit ſequendum? Nulla enim eſt traditio, qua confirmari poteſt, hoc potius, quàm illud oppoſitorum valere debere. Quis quæſo tandem hos ſcrupulos eximet? Ianſenius, ſcio, Papam, Papam clamabit. At quid miſellus præſtare poterit? neque enim ſolet ſpiritum Grammaticum à latere ſuo habere. Vides, Epiſcope, in quas difficultates temetipſum præcipites? Dices, me eludere tuam quæſtionem. Minimè. Ejus abſurditatem, & vanitatem duntaxat detegere volo. Quid autem faciendum ſit, ſi vox in ſacris ambigua, aut ἅπαξ λεγομένη occurrat, diſce quæſo ex Corn. à Lapide, Salmerone, aut Ribera, qui regulas interpretandi præmittere ſolent commentariis ſuis. Epiſcopus es, ſufficis emendis illis, nec nobis ſemper vacat abſque didactro te erudire.

Quæſtio vigeſimanona.

29. *Ex qua Scriptura fidem facies, populum Biblia Dordracena linguâ Belgicâ lectitantem, debere credere, quod legat verbum Dei, & non erraverint interpretes ſui?*

Reſp. ÆNigma dignum Leerdamenſi Oedipo. Solvam vero, ſi ante mihi reſponderit, ex qua traditione conſtet Iprenſi populo, ad quem quando vacat, & otium eſt forte aliquando concionem habet, Ianſenium veritatem proferre, & non mentiri: aut ex qua traditione probetur biblia Belgica, ſacerrima, nempe illa Patris Coſteri reſpondere verſioni vulgatæ, & non in multis ab ea recedere. Meditetur quæſo ſolutionem, & difflabit ipſe hujus quæſtionis fumos. Cæterum injuriam grandem nobis facit, quando impingit quòd jubeamus populum credere Bibliorum Belgicorum interpretes non erraſſe. Tyrannidis hujus gloriam Papa, cum conciliabulo Tridentino ſibi vendicet. In ſolis fontibus acquieſcimus: nec ullam verſionem recipiendam eſſe docemus, niſi quæ iis reſpondet. Inculcamus hoc etiam ἀμύστοις. Inter quos non deſunt, qui quamvis deſtituti ſint cognitione linguæ Latinæ, tamen in ſtudium Hebræarum literarum ſedulò incumbunt: quod illis non eſt adeo difficile, quia extat Grammatica, & Lexicon Cl. Amamæ Belgico-Ebræum. Interim & ſimpliciſſimi, ac indoctiſſimi in verſionibus noſtris acquieſcere poſſunt: quamvis enim, quòd ἀδύνατον, examuſſim non reſpondeant per omnia textui originali, per Dei tamen gratiam in locis fundamen-

damentalibus ab ejus veritate nullibi recedunt. Scit verò populus noster se legere verbum Dei, & illud quod legit à Deo per Prophetas, ac Apostolos esse dictatum, æquè certò ac novit lucem esse ortam, quando Sol supra horizontem ascendit, quia non subsistit in sola theoria, sed verbum illud ad praxin dirigere laborat. Verum enim Servatoris nostri verbum est Iohan. 7. vers. 17. *Si quis voluerit, quod ille vult facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.* Sed oppono: decreta conciliorum, bullas, & brevia Papæ Latinè emissa, hæc esse authentica, quæ populus non nisi per interpretem intelligit, quomodo mi homo, ei persuadebis?

Quæstio trigesima.

30. *Ex qua Scriptura probabitur, populo linguæ Hebraicæ, & Græcæ ignaro, non mentiri eos, qui illud venditant, & tradunt, ut verum verbum Dei? Hæc enim fides de utroque isto articulo, nisi præcesserit ex Scripturis, non possunt illud acceptare ut verbum Dei.*

Resp. Sceptica prorsus quęstio. Solutionem, aut ridiculam vanitatem videbis, Ianseni, si responderis mihi ex qua traditione seducto tuo popello constet, PP. bullas, decreta, & decretales Epistolas linguâ Latina esse scriptas. Dices fortè, si reliqui habeas guttulam judicii, quia sentit, & videt. Idem nos dicimus. Scriptura Sol est: quando est ortus, percipitur ejus lux, & calor ab omnibus qui oculos habent: nec quisquam, nisi forte delirus quis scepticus, disputat an Sol ille sit Sol: calor, calor: & lux, lux. Vident, & palpant omnes authenticum Vetus, ac Novum Testamentum Hebraicè, & Græcè exaratum: si fallantur, contra disputa. Clamores tuos levi negotio compescemus.

Quæstio trigesimaprima.

31. *Sed esto, fide constet, etiam ex Scripturis, si libet, vera verba S. Spiritus, veras sententias, non auctas, aut mutilatas, vera puncta, veras significationes ad nos pervenisse: Ex qua Scriptura verum sensum Scripturæ demonstrabis, cùm in propositionibus categoricis, & sæpius apertissimis alium alii sensum exsculpant, ut ex 72. sensibus illius simplicissimæ sententiæ: Hoc est corpus meum, perspicuum est, & Scriptura dicat, quòd indocti, & instabiles Scripturam depravant?*

Resp. NOn opus est, mi Episcope, si controversia sit de Scripturæ interpretatione, ad incertam, & contradictoriam traditionem confugere. Ipsa Scriptura est sui interpres, & judex: & quæ interpretatio illius harmoniæ magis respondet, illa præferenda est. Nec nos tantùm hoc dicimus, sed fateri etiam coguntur ipsi tui DD. Gregor. de Valentia Analys. lib. 8. cap. 5. *Ad eruendam Scripturarum interpretationem dogma latissimè patens hoc erit; loca clariora consulere, & antecedentia, & consequentia perpendere.* Lyran. Præf. in Tobiam: *Sicut in scriptis Philosophorum veritas cognoscitur per reductionem ad prima principia: sic in Scripturis à catholicis Scriptoribus traditis veritas cognoscitur, quantum ad ea, quæ sunt fide tenenda, per reductionem ad sacras literas Canonicas.* Acosta Iesuita lib. 3. de Christo Revel. cap. 21. *Nihil perinde mihi videtur Scripturas aperire, atque ipsa Scriptura: itaque diligens, attenta, frequensque lectio, tum meditatio, & collatio Scripturarum omnium, summa regula ad intelligendas Scripturas mihi semper visa est.* Item Maldonat. Iesuita Comm. in Math. cap. 20. vers. 1. *Sunt inter Catholicos, qui huc tantùm spectare parabolam putant, ut probet Christum, præter omnium opinionem, aliis plus, aliis minus quàm sperabant, daturum esse: mihi non videtur alio Interprete, quàm ipso Euangelista opus esse.* Vides ergo Ianseni, ex Scripturis, secundum tuos proprios DD. interpretationis veritatem, aut falsitatem argui? Sed dices, atqui aliquando sunt multæ opiniones. quid tum? Veritas unica est. Invenitur illa in Scriptura, quia veri regula est, nec per traditionem, aut Ecclesiam, sed ipsam Scripturam. Rectè Chrysostom. hom. 13. in Genes. *Ad ipsum*, inquit, *divinæ Scripturæ scopum incedamus, quæ seipsam interpretatur, quamvis sacra Scriptura cùm nos tale quicquam docere vult, se ipsam exponit, & auditorem errare non sinit.* Quod ad verba institutionis cœnæ Dominicæ, si affectus seponantur, & sola Scriptura, ac sana Philosophia, Scripturæ nullibi adversaria,

versaria, in consilium adhibeantur, non possunt non clarissima esse fidelibus. Quod ad 72. opiniones, dubito an calculum bene inierit. Illud certò scio, & supra aliquoties probatum est, inter Papanos super eorum interpretationem, multò acrius certari, quàm inter Orthodoxos: Cadmæosque fratres non sibi invicem solùm adversari, sed ut victores habeantur, Concilia Conciliis, Papas Papis, Patres Patribus, ac traditiones traditionibus opponere, ut à Chrastovio, aliisque ex nostris ostensum est. Videat quæso, Lector, tractatum Christophori de Capite Fontium de necessaria correctione doctrinæ Scholasticæ.

Quæstio trigesimasecunda.

32. *Si verò una Scriptura per aliam explicanda est, quâ certitudine fidei, ex Scripturis haustâ demonstrabis duobus inter se de interpretatione dimicantibus, hanc potius per illam, quàm illam per hanc esse interpretandam?*

Resp. VT veritas, sicut dixi, non nisi unica esse potest: ita una etiam est cujusque loci vera interpretatio; & illa præferenda semper est quæ maximè antecedentibus, & consequentibus, aliis similibus Scripturæ locis, & fidei analogiæ respondet. Rectè Basilius lib. Moral. Reg. 72. cap. 2. *Oportet auditorem probare omnia quæ à Doctoribus dicuntur, & quæ Scripturis consona sunt suscipere; & quæ aliena rejicere.* Eoque interpretationis judex manet ipsa Scriptura, eaque ostendit, quæ interpretatio recipienda, quæ verò rejicienda sit. Egregiè August. lib. 2. de Baptis. contra Donat. cap. 6. *Afferamus non stateras dolosas, ubi appendamus quod volumus pro arbitrio nostro, dicentes hoc grave, hoc leve est. Sed afferamus divinam stateram de Scripturis sanctis, tanquam de thesauris Dominicis, & in illa quid sit gravius appendamus, imo non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus.*

Quæstio ultima, sive trigesimatertia.

33. *Et quia multa fide credenda non sunt categoricè in Scripturis posita, sed per legitimas consequentias inde derivanda sunt: Ex qua Scriptura constabit illos nexus consecutionum vi rationis humanæ factos esse certitudine fidei infallibiles? Si enim tales non sunt, impossibile est conclusionem eos certitudine superare, sed humanam, & Aristotelicam tantummodo facient fidem.*

Resp. NIhil egisset Dn. Episcopus, si hic Gontherii & Verroni Scepticismus non clausisset agmen quæstionum. Quærit ex qua Scriptura, probemus consequentiarum sequelam, & argumentationum ex Scripturæ locis rationem. Variis illud non tantum probare possumus argumentis, è Scriptura: sed exemplo etiam Servatoris nostri Math. 22. vers. 29. Qui ex eo quod Deus dicitur esse *Deus Abrahami, Isaaci, & Iacobi,* secundum sanæ ratiocinationis regulam contra Sadducæos mortuorum resurrectionem probat. Vt animadvertit quoque Origenes, hom. 22. in Math. ait: *Queritur hic Salvator qui dicit ad Sadducæos, Erratis nescientes Scripturas, neque potentiam Dei. Indicat enim quoniam in quibusdam Scripturis positum est, ut in resurrectione nuptiæ non sint, hominibus videlicet factis ad similitudinem Angelorum. Quæ ergo Scriptura est docens, quoniam in resurrectione neque nubunt, neque uxores accipiunt? Et in qua Scriptura vel legis, vel Prophetarum discimus quoniam erunt, qui resurrexerunt sicut angeli in cælo. Manifestè enim hoc in veteri Testamento non legitur scriptum; & quærat, qui vult si poterit invenire. Nos autem dicimus quia scriptum est, non tam in ipsis sermonibus manifestè ista dicentibus sed mysterio indicantibus secundum intellectum moralem.* Excipe quantum velis, Ianseni, ad hunc locum, non tamen eum eludes, aut tenebras offundes. Moliti quidem hoc sunt socii tui Gontherius, & Verronus, sed dolos, & ineptias eorum ad ἰχεμυθίαν usque detexit Cl. Vedelius: qui quia omnia quæ de hac re dici possent dixit in Rationali Theologico, hic subsisto. Et ita respondimus ad Sceptico-Libertinas Iansenii quæstiones, quas parasitus ejus Fromondus tantopere in sua Crisi extollit. Si ullum colorem in Theologia duxisset, dissimulasset Voetii silentium, & non pro lucro, sed existimationis Episcopalis mantelo duxisset. Etenim gratiæ ei debentur, qui non detegit vesaniam eorum qui soli se sapere putant. Potuisset Iansenium prostituere Voetius, noluit

luit vero: quia non invidebat ei episcopatum, nec tragulam injicere cupiebat benevolo Hispanici senatus affectui. Ego etiam hominis maciem, & male sanum ingenium detexissem nunquam, ni ursisset, aut verius flagitasset Fromondus. Si autem Episcopus se traductum, & vlcturis in carne eruditionis punctis notatum doleat, non mihi, sed suo hyperaspistæ imputet. Scapham scapham vocavi. In quæstionibus stolidis, & vanis diluendis, non potui non stoliditatem & ineptias authoris notare. Quod si verò aut ei, aut lepido Fromondo, quæ eruditionis, veritatis, ac bonæ causæ fiducia superest, rogo atque obsecro eos, ut tum generales, tum speciales meas responsiones ad quamque quæstionem examinent: quæ scripsi defendam; nec ullum coccysmum, aut replicam contra verba mea prolatam, responsione, & solidâ solutione defraudari cum bono Deo patiar.

Pergerem ad examen capitis 59. quod & à Voetio præteritum esse, non semel pro sua prudentia ringitur Fromondus: sed paucis antè, ne ulla supersit graculis garriendi materia, expendere volo caput IX. Spongiæ. Eo Iansenius more suo, hoc est Thrasonicè, repetit, & interpolat quæstiones, quas antè diluimus: & ut Voetius, volens nolens fateri cogatur, ad dictas quæstiones se respondere non posse, nisi confugiat ad verbum non scriptum, ac traditiones. Magnificè pariter ac ineptè commendat traditiones: utque probet ad quæstionum præcedentium solutionem eas producendas esse adducit *Augustinum lib. 11. contr. Faust. cap. 5. l. 11. cap. 2. ib. item ib. l. 13. cap. 4. eundem lib. 15. de Civ. Dei cap. 23. Item Hieron. præf. in lib. Iudith. Athan. in Synopsi. Euseb. l. 3. Hist. cap. 19. Item lib. 6. cap. 19. Tertullian. lib. 4. contra Marcion. cap. 5. ac denique Concil. Carthag. 3. can. 47.* Resp. I. Cum ipsi Papani DD. ut supra ostendimus, pro libitu, quandocunque nempe non favent, Patres rejiciant, imo contumeliosè traducant, si horum testimonia, quod tamen neutiquam faciemus, in universum rejiceremus, immunes nihilominus ab eorum contemptu, ac vilipendio essemus. Vt enim rectè alicubi Bernhardus: *De quibus Scriptura non tradit, nec præceptor exspectandus, nec prohibitor auscultandus.* II. Confundit, & miscet omnia Episcopus, & quemadmodum desperabundi milites, præter arma, saxa quoque & quicquid manibus objicitur, arripiunt, ita etiam ille. Quicquid favere tantùm specie tenus videtur, conscribillat ex Patribus, & ad nugarum suarum patrocinium obtorto collo rapit. III. Augustinus, & Eusebius, qui præ aliis maximè favere videntur, tantùm dicunt per traditionem & successionem continuam probari libros Canonicos. At quis hoc nostrum negat? Non excludunt Patres alia argumenta, nec dicunt per solam traditionem, & successionem hoc probari. Contradicerent enim sibi ipsis, quia alias uti solent iis argumentis, quæ supra ad probandam divinam authoritatem solorum librorum Canonicorum, adduximus. Præ cæteris Eusebius, quem etiam laudavimus. Admittimus traditionem, & successionem ut ex ea probetur αὐθεντία librorum Canonicorum: sed tantùm ut argumentum secundarium, & humanum, quòd nec solum sufficit, nec per se fidem divinam ingenerare potest animo hominis infidelis. Ratio est, quia æquè orthodoxi, ac hæretici custodes sunt librorum Canonicorum, tam Iudæi, quàm Christiani. Iustin. Martyr in cohortat. ad Græcos: *Quod etiamnum apud Iudæos pietatis nostri libri asserventur, divinæ id de nobis opus est providentiæ. Ne enim ex Ecclesia eos proferentes, occasionem quasi suppositi à nobis, aut corrupti sint, maledictis nos incessere volentibus præbeamus, ex illorum Synagoga producimus; ut ex ipsis huc usque apud eos conservatis libris, ad nos nostramque doctrinam à sanctis viris edita jura, liquidò, & manifestò pertinere appareat.* IV. Probationem quam ex Patribus producit, tantùm aliquibus quæstionibus (iis nempe, quibus agit de libris Apocryphis, ac Canonicis) velificatur? At quot tales sunt? quid autem reliquis fiet? V. At magnum mysterium latitat in Hieronymi testimonio, qui præf. in lib. Iudith. dicit: *Quia hunc librum* (Iudith) *Synodus Nicæna in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquievi petitioni vestræ?* Quid verò prodest? Ne hilum. Dicit Hieronymus *legitur*, cui hoc non sit suspectum. Si Synodus Nicæna inter Canonicos recepit librum Iudith, & de eo certò constitit Hieronymo, quâ fide, quave

conscientiâ

conſcientiâ eum à libris Canonicis excludere potuit Præf. in lib. Sal. & in prol. Galeato. Aut quâ fronte de eo dixit Epiſt. 10. ad Furiam: *Si tamen hoc volumen recipitur.* Nec nos tantùm ita naſuti ſumus, & ſcrupuloſi in recipiendo hoc Hieronymi teſtimonio, ſed nobiſcum multi ex Papanis DD. Eraſmus dilectiſſimus PP. filius in Cenſura ad dictam Hieronymi Epiſt. *Non affirmat*, inquit, *Hieronymus approbatum fuiſſe hunc librum Iudith in Synodo Nicæna, ſed ait in numero ſacrarum literarum legitur computaſſe.* Sed excipiet fortè contra Eraſmum Ianſenius cum ſuo Fromondo, quanquam Cenſores Expurgatores Belgici illa verba in Eraſmi Cenſura inducenda eſſe non præceperunt: contra Stapletonum, Lindanum, & Acoſtam quid adferre poſſit non video. Ita vero Stapletonus lib. 2. de author. Script. cap. 4. *Hieronymus*, inquit, *hoc de Synodo Nicæna tantùm ex fama referre videtur: Synodus legitur (inquit) computaſſe.* Lindanus Panopl. lib. 3. cap. 3. *Nam ſi Nicæna Synodus olim hunc librum in canonem redegerat, cur, annis 80. poſt eum non accenſet Laodicena? cur NaZianZenus ejus non meminit? ſed legitur computaſſe (ait Hieronymus) quod mihi dubitantis ſuſpicionem ſubindicare videtur, &c. Adhæc ſi verè legitur, quod ait Hieronymus legi, librum Iudith concilium Nicænum inter Canonicos computaſſe; quid ſibi vult quod idem præfatione in libros Salomonis ſcribit, Eccleſiam libros Iudith, Tobiæ, Machabæorum legere quidem, ſed inter Canonicas Scripturas non recipere.* Hæc Lindanus, furibundus aliàs papicola. Acoſta verò Ieſ. ita ingenuè profatur lib. 2. de Chriſto Revel. cap. 13. *Hieronymus librum Iudith è Canone eximit.* Sed quid tandem miſer Ianſenius ex dicto Hieronymi loco concludit? eum nempe authoritate Synodi Nicænæ eſſe commotum, ut *in Latinum verteret* librum Iudith. Quid hoc ad traditiones autem? Vult miſer diſputator, ut Voetius ambabus ulnis amplectatur Chimæricas traditiones, & adducit authoritatem Synodi Nicenæ; quis hęc non rideat, & explodat? Adhoc ex Hieronymi loco ſolùm educitur qualemcunque authoritatem Synodi Nicænæ, aut ejus ſaltem famam motivum ei fuiſſe ad transferendum librum Iudith. Vltro damus hoc competere traditioni, aut ſucceſſioni, ſed an illud ſufficiens *ad convincendos eos, qui Scripturas negant:* ut loquitur ipſe Ianſenius, pag. 67. & probari vult à Voetio? non exiſtimo vel eum ipſum hoc dicturum eſſe. VI. Adducit Concilium Carthaginenſe tertium quod inter alia can. 47. ſic ſtatuit: *Hoc pro confirmando iſto Canone innoteſcat, quia à Patribus iſta accepimus in Eccleſia legenda.* Agnoſco canonem, ex quo vulgò authoritatem librorum apocryphorum probare laborant Papani. Sec nec ille, aut totum Concilium ex quo profertur quicquam officere poteſt veritati. Demus omnia in Carthaginenſi 3. Concilio legitimè fuiſſe peracta, & hunc canonem non eſſe ſuppoſititium, nihil tamen detrimenti accipiet Catholica fides. De eo enim Concilio ita Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 3. dicit: *Concilium illud nationale fuit, nec ferebant leges univerſæ Eccleſiæ, ſed tantùm Epiſcopis* Africæ: & poſtea ibid. *Non poteſt hoc provinciale Eccleſias alias obligare.* Quid quod Canon hic, meritò ſuſpectus habeatur. Putat Surius eum non eſſe Concilii Carthaginenſis tertii, ſed alterius fortè Carthaginenſis VI. aut VII. Nec immeritò. anni enim diſcrepant. Carthaginenſe 3 in quo & Auguſtinus ſedit, & celebratum eſt ſub Papa Siricio, in canone autem 47. mentio fit Bonifacii. Sic enim in ejus clauſula legitur: *Hoc etiam fratri, & conſacerdoti noſtro Bonifacio, vel aliis earum partium Epiſcopis pro confirmando iſto canone innoteſcat.* At quis hæc conciliet? aut quis concedat, quod Surius poſtulat ut ſit Capitulum XXIV. Concilii Carthaginenſis VI. aut VII. cum Balſamonis Græci canones, eorumque verſio ne veſtigium ejus referant. Quicquid ergo ex hoc canone profertur, ſuâ ſponte evaneſcit. Abundè autem ut opinor, ſatisfecimus Ianſenio, nec in poſterum de Voetii negligentia conqueri poterit ejus paraſitaſter Fromondus. Vtinam ſaltem omnia hæc examinare vellet, ut nobis occaſio daretur veritatem magis illuſtrandi. Sed hoc vix ſperare audemus.

CAPVT XLVIII.

Proteſtantes purgantur à Manichaiſmo, Novatianiſmo, Simonianiſmo, Iovinianiſmo, Eunomianiſmo, Vigilantii erroribus, & Aërianiſmo. Calvinus defenditur contra ſtolidam vehementiam Ianſenii.

I. ACcedo ad examen capitis LIX. Spongiæ Ianſenii, urget enim & cogit clamoſus Fromondus: cui ſi crederem, ab illo velut Veſuvio monte mihi metuerem. Ita quippe de terribili hoc portento contra Voetium cornicatur pag. 208. *Plurima tibi non nova, ſed nova antiqua, id eſt veteres, & deſitas olim hæreſes à Reformatoribus tuis recoctas, & novatas oſtendit cap. 59.* Spongiæ. *Sed tangere ea metuiſti tanquam purgatorii tui ignem.* Et ut cuivis conſtet hominem ex animo hæc profari, iterum ſuper illud gloriatur in calce ſui libri. Nec tantùm ſuper illud ſed etiam ſuper caput XXXVI. ſuæ Criſeos, quod collegit ex ſtercoribus dicti capitis 59. Fateor me nihil ad rancidas, & inſipidas mitrati rabulæ calumnias adferre poſſe, quod non à noſtris DD. dictum ſit millies: ſpero tamen orthodoxum lectorem hoc moleſtè non laturum eſſe, quia non mea ſponte hæc diverticula quæſivi, ſed ad ea impudenti pertinaciâ adverſarii impulſus ſum. Quæ ſupra ad caput XXXVI. notavi, non repetam. Cauſæ ſuæ robur nullibi invenire potuit Fromondus, prçterquam in fatua exarmati Ianſenii Spongia: quæ ergo ei dicta ſunt, etiam dicta ſunt Ianſenio, quem exſcripſit. Sed ad rem: Prima hæreſis quam Ianſenius pag. 290. nobis exprobrat eſt Manichæa (quæ enim de libero arbitrio, Deo authore peccati, & fidelium liberis ſine baptiſmo diſcedentibus garrit, ea antè in Fromondo caſtigavimus.) At cur Manichæi ſumus? *Calvinus*, inquit, *docet nos aqua baptiſmi non mundari lib. 4. Inſtit. cap. 15. §. 2. Hæc eſt ipſiſſima hæreſis Manichæa, de qua Auguſtinus hæreſi 46.* Reſp. 1. Demus, quod tamen falſiſſimum eſt, hic Calvinum eſſe hæreticum, quid hoc officiet ſplendori aut religionis, aut Eccleſiæ noſtræ? Millies diximus reformationem, & confeſſionem noſtram non ſubſiſtere in Calvino, ſimilive Doctore. 2. Manichæi in totum contemnebant Baptiſmum aquæ, ipſamque aquam repudiabant. Calvinus verò & orthodoxi omnes aquam velut neceſſarium ſignum requirunt, docentque baptiſmum eſſe neceſſarium neceſſitate præcepti. Hoc ſolum dicit Calvinus, quod nos omnes credimus, aquam baptiſmi ex opere operato non mundare à peccatis: ſed baptiſmum illam purificationem polliceri, imò obſignare, quç fit per aſperſionem ſanguinis Chriſti, qui per aquam propter mundandi, abluendique ſimilitudinem figuratur. Si hoc eſt Manichaicum, Manichaiſmum docet ſacra Scriptura, & Manichæi fuerunt Patrum plerique. Hieronym. in Eſaiæ c. 4. *Homo tantùm aquam tribuit, Deus autem Spiritum ſanctum, quo ſordes abluuntur, & ſanguinis peccata purgantur.* Gregor. Nazianzenus ſerm. 1. de Baptiſmo: *Vti enim modò natus puellus à criminibus, & pænis liber eſt: ita etiam regenerationis puer, non habet cujus nomine cauſam dicat, ut qui regio dono cauſæ dictioni exemptus, & à rationibus vitæ reddendis liberatus ſit. Hoc beneficium autem non aqua largitur (eſſet enim omni creatura ſublimior) ſed Dei præceptum, & Spiritus, qui myſticè ad noſtram libertatem venit. Aqua verò ſubſervit, ad oſtendendam purgationem. Quoniam enim ſordibus, & cæno fædatum corpus, aquâ lavantes, purum reddere ſolemus: propterea etiam in myſtica actione eam adhibemus, re ſub ſenſum cadente, incorporeum ſplendorem ſignificantes.* Cyrillus Hieroſ. Catech. 3. *Cùm enim duplex ſit homo, ex anima & corpore compoſitus, duplex quoque purificatio requiritur, incorporea quidem incorporeo, corporea verò corpori. Et aqua ſanè mundat corpus, ſpiritus autem ſignat animam, ut abluti in corpore aquâ mundâ, & repurgati in corde, accedamus ad Deum. Qui itaque in aquam deſcenſurus es; non aquæ ſimplicitati mentem adhibe, ſed Spir. ſancti virtute ſalutem ſuſcipe.* Author qq. ex V. & N. Teſtam. quæſt. 59. *Qui baptiſmum putat carnali ratione conſiſtere, hic non eſt ſpiritualis: nec donum cæleſte poterit conſequi, qui ſe per aquam, non per fidem, immutari credit. Aqua enim cernitur, ſed qui non videtur Spiritus, operatur ut fides in eo ſit.* Nec tantùm ita PP. ſed & Scholaſtici DD. ſenſerunt, Bonaventura 4. diſt. 1. q. 3. *Non aliquo modo dicendum eſt, quòd gratia contineatur in ipſis*

sacramentis essentialiter, tamquam aqua in vase, vel medicina in pyxide. imo hoc intelligere est erroneum. Sed dicuntur continere gratiam, quia ipsam significant. Et quia nisi ibi sit defectus ex parte suscipientis, in ipsis gratia semper confertur, ita intelligendo, quòd gratia sit in anima, non in signis visibilibus. Guilelm. Parisiensis lib. de Sacram. cap. 5. *Si quis quæsierit utrum sanctificatio ex aqua sit, sciendum est, quòd non, sed ex solo Deo datore, qui invocatus ad hoc adest, & assistit, & operatur intus, ad similitudinem, & proportionem ejus, quod aqua habet operari exterius.* Vides, Ianseni, quos viros ignorantiâ tuâ inter Manichæos sub Calvini nomine retuleris?

II. Dein Novatianis nos accenset. Ita enim pag. 290. dicit: *Docetis omnes, peccati remissionem non à sacerdotibus, sed solum à Deo esse expectandam. Hæc autem fuit hæresis à mille trecentis annis Novatianorum.* Resp. 1. Si nihil aliud docuerunt Novatiani, quàm peccata à solo Deo remitti, tam procul remoti fuerunt ab Hæresi, quàm Iansenius à bona mente. Quid enim certius, quàm solum Deum peccata remittere? Sciebant illud Scribæ & Pharisæi Marc 2. v. 7. & Luc. 5. v. 21. *Quis*, inquiunt, *potest remittere peccata nisi solus Deus?* Nec Servator noster eos reprehendit, quòd errarent in hoc axiomate, & in majore propositione, sed in ejus applicatione, & assumptione. Quamvis autem Apostoli, reliquique Euangelii ministri dicantur peccata remittere, propriè tamen soli Deo convenit, his ministraliter tantùm ascribitur. Rectè Ambrosius lib. 3. de Spir. sanct. cap. 19. *Homines autem in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non jus alicujus potestatis exercent. Neque enim in suo, sed in Patris, Filii, & Sp. sancti nomine peccata dimittunt. Isti rogant: divinitas donat: humanum est obsequium, sed munificentia est supernæ potestatis.* 2. Fallitur miser Episcopus, nimisque apertè prodit, quàm sit peregrinus in historia Ecclesiastica, ac antiquitate. Inspexisset Lindanum & didicisset, quæ fuerit opinio Novatianorum, in doctrina de pœnitentia. Ita enim lib. 4. Panopl. c. 64. inquit: *Novatiani, ob arrogantissimam puritatis, ac sanctimoniæ opinionem, apud populum se Catharos, id est puros, esse jactitabant, & de Ecclesia pœnitentiam submovebant.* Nec Socrates, quem adducit, aliud testatur. Sed ob aliam heterodoxiam Novatianis accenseri meremur? *Unctionem*, inquit pag. 191. *sacri chrismatis non solùm non confertis, sed contemnitis. Quæ fuit à mille trecentis annis hæresis Novatianorum, ut ait Theodoretus.* Resp. 1. Si Theodoretus solus constituat Ecclesiam, evincet Iansenius Novatianos fuisse hæreticos, quia chrisma non præbebant iis quos tingebant, quamquam de iis hoc historicè solum refert Theodoretus. 2. Christiani *qui habent unctionem à sancto illo*, 1 Ioh. 2. v. 20. non indigent materiali oleo, cujus in Scriptura nec vola, nec vestigium comparet. Sylvester, teste Platina, primùm instituit inunctionem baptismatis, cùm antea ejus usus aut liber, aut nullus fuisset. Si nos propterea in hæreticorum tribum referendi sumus, quòd amplecti nolimus Papæ deliria Scripturæ adversantia, excusari quoque non potest Hieronym. ait enim Dialog. 4. advers. Lucifer. *Confirmationem per inunctionem, institutam potiùs ad honorem Sacerdotii, quàm ad legem necessitatis.*

III. Sed & Simoniani sumus, quia *doctrina nostra est, non esse in Eucharistia carnem Domini Salvatoris Iesu Christi, sed tantum per eam significari, quod ante mille quingentos annos in Simonianis damnavit Ignatius apud Theodoretum.* Resp. 1. Nihil egisset Episcopus, si titulis Antichristianæ Synagogæ Ecclesiam nostram non honorasset. Duræus, Bellarminus, & qui non ante eum hoc fecerunt, sed aliâ ratione. Hi præ cæteris Simonianis nos accensent, quòd cùm illis doceamus nos solâ fide justificari, Deum esse authorem peccati, & Adam perdidisse imaginem Dei. Ille verò ideo tantùm quod cum eis erremus in doctrina de Eucharistia. Sed nec primus hoc excogitavit, sed è suo Bellarmino hausit, qui libro 1. de Euchar. cap. 1. contendit contra Scripturam, & historicos omnes primos Simonianos & Menandrianos in doctrina de Eucharistia errasse, cùm etiam pueri sciant Capernaitas, Papanorum patriarchas, omnium primos fuisse. 2. Theodoret. dial. 3. quem hic etiam adducit Iansenius in referendo Simonianorum errore fidem Ignatii sequitur, cujus epistolam ad Smyrnenses citat. Verba autem quę ex illa adducit, hodie in nullis editis Codd.

comparent. Vnde non injuriâ mihi ſuſpecta eſt hæc epiſtola.Confirmat ſuſpicionem Euſeb. l. 3. Hiſt. Eccl. cap. 36. ubi ita de ea loquitur: *Hic Ignatius cum Smyrnæis ſcriberet, verbis neſcio unde ſumptis uſus eſt.* Hieronym. quoque lib. 3. Dialog. contra Pelagianos in dubium vocat, cùm ait: *Ejus teſtimoniis ſi non uteris ad authoritatem, utere ſaltem ad antiquitatem.* Quid quòd Trithemius Abbas Spanheymenſis eam velut incertæ fidei omiſit, nec accenſet aliis epiſtolis ab Ignatio ſcriptis. 3. Sed demus Epiſtolam hanc Ignatii probæ notæ eſſe, & non falli Theodoretum in ejus citatione, num nos tamē conſortes ſumus Simonis magi? Simon filius perditionis cum, ut ex Epiphanio liquet, negaret Chriſtum in carnem veniſſe, & ſe in ejus locum obtruderet, (quod & poſtea Menander fecit,) non potuit non etiam Chriſti σφραγῖδας, ac ſigilla rejicere, & hoc eſt quod apud Theodoretum dicit Ignatius. At quid nobis cum hoc errore commercii intercedit? Tantùm verò abeſt, ut à Theodoreto, Simoni mago comparemur: Dialog. 2. quo diſputat contra eum, noſtram ſententiam, velut fundamentum ſubſternit, ut probet Chriſtum habuiſſe verum corpus: *Divina*, inquit, *myſteria, hoc eſt panis & vinum in Eucharistia ſunt corporis revera exiſtentis ſymbola.*

IV. Ioviniani etiam ſumus, *quia ſcilicet tradimus, & ſuademus ſacras Deo virgines nuptiis jungi poſſe.* pag. 191. Reſp. 1. Hoccine hæreticum? Immotum ſtat axioma Apoſtoli: *Præſtat nubere, quàm uri*: longeque præferendum eſt ſanctum & legitimum conjugium, vix virginali, hoc eſt, fucatæ virginitati. Nec officiunt nuptiæ, vitæ ſanctimoniæ, aut ſacro miniſterio: ut non ſolùm docet Apoſtolus Paulus, ſed ingenuè etiam fatetur Eſpenſæus in Comment. ad 1 Tim. 3. *Nuptiæ*, inquit, *licet plurimum difficultatis habent, ſic tamen aſſumi poſſunt, ut vitæ perfectiori impedimento non ſint, rarò licet & planè difficile id ſit. Apoſtolus ad Titum hæreticis nuptias damnantibus ora obſtruit, rem adeo pretioſam oſtendens, ut cum ea poſſit quis ad ſanctum Epiſcopatus ſolium ſubvehi.* 2. Hieronymum præ zeli vehementia, modeſtiæ, & æquitatis leges violaſſe in refellendo Ioviniano, ſupra ſemel atque iterum ex ipſis Papanis DD. oſtendi.

V. Donatiſtæ etiam ſumus. Quia ut loquitur pag. 191. *Monachorum nomen, atque inſtitutum ridemus, & deteſtamur.* Reſp. 1. Admodum ridiculus eſt Epiſcopus. Probare debet jam olim nos judicio veteris Eccleſiæ hæreſium eſſe convictos, & adducit Auguſtinum, qui nec Donatiſtas ut hæreticos traducit quòd monachatum contemnerent, ſed tantùm redarguit, ac refutat. 2. Si monachatum in univerſum deteſtaremur, non peccaremus magnopere, non enim inſtitutus eſt à Chriſto, aut ejus apoſtolis, neque etiam in uſu fuit tribus primis ſeculis, fatente ipſo Bellarmino: de Eremitis quorum pater fuit Antonius. lib. 2. de Monach. cap. 5. Et de omnibus Monachis Polyd. Virgil. lib. 7. Invent. cap. 1. *Quidam*, inquit, *altius repetentes, Eliam, & Ioannem Baptiſtam ejus rei autores faciunt: ſed ut ille plus quàm propheta, ita ille plus quàm Monachus cenſeri debet: alii Antonio aſſignant; alii cuidam Paulo Thebæo. Sed Antonio hujus rei initium jure optimo acceptum referri debet, qui etſi non ante omnes fuit, primus tamen Monachorum dogma inſtituit: is vixit anno ſalutis humanæ* 361. 3. Monaſteria antiqua, non improbamus per omnia, fuerunt enim libera collegia, non aſtricta ullis votis obedientiæ, continentiæ, & paupertatis: nec tam monaſteria, quàm ſcholæ ſacrarum literarum, & diſciplinarum. Si ſuperſtitiones, impuritates, & ſcelera quæ paulatim in ea irrepſere deteſtemur, nihil novi, aut indecori facimus. Præeunt nobis ipſi Papani DD. idemque quod nos, dicunt, & vituperant. Eſpenſæus Comm. in ep. ad Timoth. l. 3. Digreſſ. cap. 12. *Erant*, inquit, *olim cænobia, collegia, & ἀσκητήρια, id eſt, exercitationes in quibus orationi lectio, lectioni ſuccedebat oratio, ut eſt apud Hieronymum, ac proinde Epiſcoporum ſeminaria. Vindicavimus monachiſmum veterem ab imperitiæ nota, quem utinam propius ſequatur recentior: vix nunc viceſimum quodque cænobium literatorium invenies; hodierno tempore malunt hæc verſa penitus, quàm ad originem reverſa.* Item ibid. *Sunt quos vel deſperatio, vel certè magna animi anxietas, ex Regibus, Cæſaribus, nedum ex Epiſcopis Monachos effecit. Duo olim Monachiſmum glorioſum reddiderunt, vitæ meritum, & eruditio Scripturarum. Verùm monachomaſtix, monacho imperitiorem proverbialiter dixit,*

dixit, utinam hoc in loco vanus, & mentitus. Nec ſcio, quâ ratione iſti Monachi, qui vulgò mendicantes vocitantur, qui ſolùm precarium quæſtum faciunt, unde ſeſe ſuſtinent, debeant ſemper in mendicando hærere, quando ſatis conſtat, Apoſtolos non ocioſos exſpectaſſe ab aliis victum. Monachi in Ægypto, teſte Chryſoſtomo, exercuerunt ſe manibus operando. Caſſand. quoque in lib. Conſult. art. 25. *Quàm longè Monachatus hodie à prima ſua origine degeneravit, & quantis abuſibus contaminatus, & deformatus ſit, ſatis per ſe manifeſtum: nam paulatim religio vera, & ſolida, in ſuperſtitionem, & inanem ſpeciem religionis converſa eſt, & accreſcentibus opibus decrevit pietas, & in ejus locum larvæ cæremoniarum ſucceſſerunt, in quibus, veræ pietatis operibus neglectis, ſumma totius religionis conſtituta ſit. Si monachatus in ea forma perſtitiſſet, quæ deſcribitur ab Athanaſio, & Patribus, nunquam tam graves reprehenſiones incurriſſet. Manent adhuc veſtigia communis, & canonicæ vitæ, ſed in ædificiis, ac nominibus tantùm. Alii abſurdo, & monſtroſo nomine Canonici ſeculares dicuntur, hoc eſt, regulares irregulares dici cæperunt: quare haud injuria Albertus Cranzius, Canonicum ſecularem vocat monſtrum ſine exemplo, regularem ſine regula, canonicum ſine canone.* Et ſic à Donatiſtarum contubernio nos vindicavimus: ſi volupe ſit Epiſcopo, litiget cum Eſpencæo, ac Caſſandro.

VI. Poſtea Eunomio, & Vigilantio nos accenſet, quæ enim de conſortio Ioviniani, & Aërii garrit ſect. 10. 11. 12. & 15. ea jam ante in Fromondo ejus compilatore diluimus. Sed quare Eunomio, & Vigilantio ſumus ſimiles? *Sanctos*, inquit pag. 293. *non eſſe invocandos, aut colendos, totis viribus inculcatis, nec nobis cum illis, aut illis nobiſcum quicquam eſſe commercii: Martyrum reliquias deteſtamini: honorem iis exhibitum idololatriam eſſe clamatis.* Reſp. 1. Papæ! quot non conglobantur calumniæ? Falſiſſimum eſt nos docere, nihil nobis commercii cum Sanctis intercedere. Audi Caſſandrum, Ianſeni, In conſultat. art. 21. *In Apologia ſua*, inquit, *Proteſtantes triplicem honorem Sanctorum probant: quorum primus eſt gratiarum actio, quòd Deus eos tantis gratiis cumulabat. Secundus, ex eorum exemplis fidei confirmatio. Tertius, imitatio fidei, atque virtutum, earumque honorifica commemoratio.* An hoc non eſt Sanctos verè honorare? Falſiſſimum quoque eſt, quòd deteſtemur reliquias Sanctorum. Merito, ac debito honore eorum oſſa, ac corpora afficimus, hoc eſt, in terra ſepelimus, aut ſicubi effoſſa reperiantur, defodimus, ac debito loco recondimus. Videant verò Papani, qui ea effodiunt, ſecant, & mutilant, quomodo ſacrilegii notam effugiant. Ita enim Gregor. Magnus Regiſtr. lib. 3. ep. 30. opinatur. *Intolerabile*, inquit, *eſt omnino, atque ſacrilegum Sanctorum corpora tangere.* 2. Sed quâ fide accenſemur Eunomianis? Punicâ. Hieronymus adv. Vigil. cap. 3. dicit: *Omnes Eunomiani baſilicas Apoſtolorum, & Martyrum non ingrediuntur.* Nos verò quotidie hoc facimus, & hic quidem Vltrajecti ringentibus, ac frementibus omnibus papicolis Euangelium, ac verbum Dei, per gratiam ejus, prædicamus in templo dicto olim Martini, Iacobi, Nicolai, Petri, Iohannis, &c. quamvis vellemus à conſecratione ſolenni iis nunquam talia nomina indita eſſe. Quòd ad Vigilantium verò, ei inſignem injuriam faciunt Papani rabulæ. *Eum* Hieronymus *convitiis planè ferreis verberavit*, ut ait Villavincentius Dominicanus Monachus lib. 4. de rat. ſtud. Theol. cap. 6. obſ. 7. quæ triplicavit Bellarminus, cum ſuis gregalibus, inter quos poſtremiſſimus eſt Ianſenius. Falluntur autem miſerandum in modum omnes, quando Hieronymi librum contra eum ſcriptum adducunt. Non docet, aut defendit eô loci Hieronymus aut Sanctorum, aut reliquiarum adorationem, ut ſupra oſtendimus. Imo acriter oppugnat. Nec aliud liquet ex Epiſt. 53. quę eſt ad Riparium. Vt liquet ex iis, quæ ſupra ex ea adduximus. Quæ autem Vigilantii fuerit opinio, ex uno Hieronymo ſolùm colligi poteſt. Erravit autem tam graviter Hieronymus, ut ejus ipſum Bellarminum pudeat. Credidit enim, ut liquet ex cap. 2. cont. Vigilant. ſanctos eſſe omnipræſentes, ac omniſcios. At quid abſurdius? Iudice ipſo Bellarmino, qui ita ait lib. 1. de Beatit. Sanctor. cap. 29. *Alii dicunt Sanctorum animas, ſicut etiam Angelos, mirâ quadam celeritate naturæ, quodammodo eſſe ubique, & per ſe audire preces ſupplicantium: quam rationem videtur habere Hieronymus, in libro contra Vigilantium: ſed neutra eſt ſufficiens.*

Nam neque Angeli; neque animæ beatæ, etiamſi præſentes ſint, poſſunt cognoſcere naturaliter preces noſtras, quando ſolâ cogitatione oramus. Et præterea ad cognoſcendas preces quæ eodem tempore fiunt in diverſis locis, non ſufficit celeritas, ſed requiritur vera ubiquitas, quam nec Angelorum, nec hominum Spiritibus convenire credimus.

VII. Eodem jure quo Vigilantio nos accenſet Ianſenius, accenſet quoque Iconomachis. *Imagines*, inquit pag. 293. *tanquam idola frangitis. Patronos habetis præclariſsimos hæreticos Iconomachos, ab octingentis annis in Concilio Nicæno ſecundo, à tota Eccleſia Græca, & Latina damnatos.* Reſp. 1. Speciosiore cum colore Felicianis nos accenſuiſſet, quàm Iconomachis in Synodo Nicæna II. condemnatis. Quid verò obſtat veritati hæc Synodus, quam condemnavit Concilium Francofurdienſe, & Pariſienſe cum toto Occidente, atque occidentali imperio: ac cui per omnia adverſatur Elibertinum Concilium, ut & Conſtantinopolitanum Concilium ſub Copronymo celebratum, cui interfuerunt Epiſcopi 330. 2. Frangimus publica authoritate imagines, tanquam idôla, quia nihil aliud ſunt. Idôlum & imago non magis differunt quam ὄνος, & aſinus, τράγος, & hircus. Teſte Hieron. in cap. 37. Eſaiæ, Card. Palæoto lib. 1. de ſacris, & prof. imag. cap. 13. Nec non ipſo Molano, quondam Profeſſore Lovanienſi in Cenſ. ad Nomencl. Adr. Iunii cap. de Inſtr. & ſupell. Eccleſ. *Non malè*, inquit, *nomenclator imaginem, ſtatuam, ſculptile, ſimulacrum, idolum, & cætera pro iiſdem habet; meminerit tamen Lector quædam uſu Scripturæ, & Scriptorum Eccleſiæ in malam partem capi.* Eadem habet Gregor. de Valentia lib. 3. de Idolol. cap. 8. *Idolum*, inquit, *Græcè imaginem, ſive ſimulacrum ſignificat.* 3. Si imagines ſint pura puta idola, quis Chriſtianus ea non frangat, & templis exterminet? Eraſmus Paparum deliciolum in lib. de Concord. Eccleſ. *Qui*, ait, *ſævierunt in imagines, non prorſus abs re concitati ſunt ad eum Zelum: nam horribile crimen eſt idololatria, hoc eſt, ſimulachrorum cultus, qui tametſi jam olim ſublatus eſt è moribus hominum, tamen periculum eſt, ne technis dæmonum eôdem revolvantur incauti.*

VIII. Denique Aëriani ſumus quia *Epiſcopum à Preſbytero poteſtate non diſtinguimus.* Reſp. 1. Si hæc eſt hæreſis, præſtantiſſimos Patrum ſocios habemus. Ita enim lego apud Bellarm. lib. 4. de Eccleſ. Milit. cap. 9. *Michael Medina lib. 1. de ſacr. Orig. affirmat non modò ſanctum Hieronymum idem in hoc cum Aërianis hæreticis ſenſiſſe; verùm etiam Ambroſium, Auguſtinum, Sedulium, Primaſium, Chryſoſtomum, Theodoretum, Oecumenium, Theophylactum.* Ne verò Ianſenius excipiat, omnes illos ignoraſſe hunc Aërii errorem condemnatum fuiſſe, diſcat velim ex ſuo Greg. de Valent. tom. 4. Diſp. 9. qu. 1. p. 2. *Eos poſt Aërium ſcripſiſſe.* 2. Demus autem pleroſque etiam ex PP. contra Scripturam inter Preſbyterum, & Epiſcopum diſtinxiſſe? Quid tum? Cynoſura veritatis, judex & index hæreſium eſt ſola ſacra Scriptura. Quòd autem ſecundum ejus ſtylum non differant Preſbyter, ac Epiſcopus, multis argumentis, ac teſtimoniis probavit Cl. Voetius lib. 2. Deſp. Cauſ. Pap. Sect. 1. cap. 9.

IX. Hactenus redarguimus calumnias, quibus onerare laborat Epiſcopus Eccleſias noſtras. Rogo verò omnes, qui hæc legent, ut candidè, ſyncerè, ac ſine præjudicio judicare velint de hæreſibus, quas nobis Papicolæ objiciunt. Si valebit eorum argumentum, hæretici ſummi erunt Chriſtus, ac Apoſtoli. Docuerunt enim omnia ea, quæ ut hæreſes in nobis inſectantur. Finem jam facerem, niſi quid pro Calvino dicendum eſſet, in quem haud ſecus ac ſi cum Papa tyrannidem in Eccleſia, ſine exemplo, & contra Scripturam exercuiſſet, ſecundum furibundam ſuam ſtultitiam ita detonat Ianſenius, pag. 294? *Vnam tamen damnabilem impietatem non poſſum non addere, quam Patriarcha veſter evomuit, Chriſtum Ieſum diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertuliſſe: eum de ſalute animæ timuiſſe: ei elapſam eſſe deſperationis vocem, quam quemquam hæreticorũ præcedentiũ, vel ipſum diabolum apud inferos tam impudenter eructaſſe, fateor nondum legi, aut didici.* Reſp. 1. Credo equidem tibi injurato. Libros quos legiſti pauci ſunt, & Theologica ſcientia, quâ tantopere apud idiotas, & entia ſimplicia, te infers, vix ſemunciâ valet. Interpretatus es Lovanii ſacras literas: ſi Commentatores, quibus vulgo uti ſoletis, non oſcitanter evolviſſes aut diligenter ordinarias poſtillas legiſſes,

legiſſes, eadem in iis deprehendiſſes, quæ tam immodeſtè, & inverecundè (ſed tamen ex profunda Theologiæ ignorantia) in Calvino inſectaris. 2. Nihil ſcripſit, aut docuit de agonia Chriſti Calvinus, quòd non reſpondeat amuſſi Sacræ Scripturæ, interpretationi Patrum, & Gloſſis Pontificiorum DD. ut cum Deo cæcis etiam oſtendam. Dixit: *Chriſtum Ieſum diros in anima cruciatus damnati, ac perditi hominis pertuliſſe*. Sed nunquid hoc devotionem, & pietatem ſapit? An non extra Chriſtum æternùm futuri eramus miſeri? an non horrendos & intolerandos inferni cruciatus ſuſtinuiſſemus? Quis Chriſtianorum hoc neget? Neceſſe ergo fuit ut Chriſtus ſponſor noſter, ea quæ nos commeriti eramus, ſuſtineret, ſentiret, ac ſuperaret, ſi nos non omnium creaturarum futuri eſſemus miſerrimi. Hinc apud Eſaiam dicitur cap. 53. verſ. 4. Quod citatur Math. 8. verſ. 15. *Sanè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit*. Ibid. verſ. 6. *Iehova traduxit in eum noſtras omnium iniquitates*. 1 Petr. 2. verſ. 24. *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo*. Et quia ſentiebat in anima ſua furorem & iram Dei, cum qua luctabatur, exclamavit admodum flebiliter Math. 26. verſ. 38. *Vndiquaque triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*. Ad quem locum Maldonatus Ieſ. in Comment. ita dicit: *Sunt ex Scholaſticis, qui dicunt Chriſtum fuiſſe triſtatum tantùm in inferiore animæ parte, quæ in corpore eſt: At Chriſtus ſignificat triſtitiam omnes animæ ſuæ partes occupaſſe: melius igitur alii, qui dicunt diſpenſatione quadam eſſe factum, ut Chriſtus triſtitiam in animæ partem ſuperiorem admiſerit, quando voluit, & quâ ratione voluit. Eleganter enim Auguſtinus in Pſal. 87. Hujuſmodi affectus, ſicut carnem humanæ infirmitatis, & mortem carnis, Dominus Ieſus non conditionis neceſſitate, ſed ratione voluntatis ſuſcepit. Damaſc. lib. 3. de fid. Orthod. cap. 20. ſcripſit, hoc inter noſtras intereſſe, quòd noſtræ voluntatis præveniunt actionem, Chriſti ſequantur; nos non niſi nolentes paſſiones habere, Chriſtum non niſi volentem habuiſſe. Deinde, quòd noſtræ ex neceſſitate, & ex peccato originali naſcuntur: Chriſti, nec ex neceſſitate, nec ex originali peccato, ſed ex miſericordia natæ ſunt. Nam eſurivit pro nobis, ſitivit pro nobis. Negari Chriſtum timuiſſe mortem, ſalva Scripturæ authoritate num poſſit? Nec propterea timidior multis martyribus cenſendus eſt, ſed fortiſſimus, qui non niſi voluit, timebat. At ſi voluntate ſuâ timuit, inquies, cur timere voluit? poſſim ego uno verbo reſpondere. Si voluntate ſuâ mori voluit, cur mori voluit? Vtique pro nobis timere voluit. Triſtis eſt anima mea, &c. Idem quod David Pſal. 114. in perſona Chriſti dixit, Circumdederunt me dolores mortis, pericula inferni invenerunt me. Majore admiratione dignum eſt, quamobrem Chriſtus tantopere mortem apprehenderit, ut ſanguinem ſudaret. Reſpondet Thomas p. 3. qu. 46. art. 6. quia non ſolùm mortem, verùm etiam mortis potiſſimam cauſam, omnium hominum peccata animo concipiebat. In quam ſententiam Ambroſ. in Luc. 22. piè ſanè, & eleganter ſcripſit. Chriſtus minus contuliſſet mihi, niſi meum ſuſcepiſſet affectum: ergo pro me doluit, qui pro ſe nihil habuit; ſuſcepit triſtitiam meam, ut mihi lætitiam ſuam largiretur, & veſtigiis meis deſcendit ad mortis ærumnam, ut nos ſuis veſtigiis revocaret ad vitam.* An non eſt hoc tantundem dicere, quàm Calvinus dixit? Sed urgebit fortè phraſin Ianſenius *perferre in anima cruciatus damnati, ac perditi hominis*. Sed regula juris eſt, ne vis fiat in verbis. Quid quod eadem locutione uſi ſint Patres. Cyprian. de paſſ. Chriſti: *Damnatus eſt, ut liberaret damnatos, doluit ut ſanaret infirmos*. Nazianz. Orat. 2. de fil. *Vnivit id quod condemnatum erat, ut totum à condemnatione liberaret, omnia pro omnibus factus*. Nec tantum Patres, ſed & Cardinalis Cuſanus Excit. lib. 10. Ex Sermone. *Qui per Spiritum. Paſſio*, inquit, *Chriſti, quâ major nulla eſſe poteſt; fuit ut damnatorum, qui magis damnari nequeunt; ſcilicet ad pœnam uſque infernalem. In ejus nomine dicit Propheta; dolores inferni circumdederunt me, eduxiſti tamen ab inferno animam meam. Sed ipſe ſolus eſt, qui per talem mortem intravit in gloriam illam, illam pœnam ſenſus conformem damnatis in inferno, pati voluit, certè in gloriam Dei patris ſui, ut oſtenderet quod ei obediendum ſit uſque ad extremum ſupplicium. Secundò* exprobrat Calvino Ianſenius, quòd dixerit *Chriſtum de ſalute animæ timuiſſe*. Sed idem dicit Maldonatus in Math. cap. 26. *Vt pro nobis*, inquit, *mori voluit, ſic pro nobis timuit, & pro nobis doluit. Nam*

mortis

mortis præludia, & tristitia, & sanguineus sudor erant. Nec tantùm ille, sed ante eum Doctor doctorum Thomas Aquinas part. 3. qu. 46. art. 5. *Passus est in anima per tristitiam, tædium, & timorem. Anima etiam secundum vires interiores apprehendit omnes causas justitiæ. Quod Christus ut satisfaceret pro peccatis omnibus, assumpsit tristitiam, maximam quidem quantitate absolutâ, non tamen excedentem regulam rationis.* Postremò, dixit Calvinus, *Christo elapsam esse desperationis vocem.* Sed nec hic peccatum est. Idem dicunt, & docent Papani DD. Maldonat. Comment. in c. 27. Math. *Cùm Christus Deus & homo esset, ita Deus hominem, quasi divinitatem suam cohibens pati permittebat, ut si purus homo esset. Vt purus homo, se à Deo derelictum esse queritur, non quòd se à Deo derelictum esse sentiret, sed quòd ita se pati sentiret, quemadmodum si ab eo derelictus fuisset. Quamobrem ex hominis à Deo derelicti more clamat, (Deus meus cur me dereliquisti?) ut hominis extrema patientis supplicia, & à Deo derelicti personam exprimat, Christus hæc verba non pro nobis, sed pro se ipso exprimit.* Item Iansen. in Concord. cap. 137. *Cæpit contristari, Græcè ἀδημονεῖν, quæ vox non propriè mærere significat, sed graviter angi, & penè exanimari, & deficere præ mærore: & hic locus valet adversus hæreticos, qui negarunt in Christo fuisse animam humanam.* Ozorius Ies. tom. 1. in Domin. 2. quadrag. *Dolor excessit in immensum omnes hominum dolores.* Ecquid, Ianseni, erubescis ad maledicam tuam ignorantiam? nunquid jam doles quòd Calvinũ ut blasphemum lapidibus obruendum esse, scripseris, pag. 296? Scio, frontem perfricuisti, & cor obdurasti. Sed vide sis, ne quis ex Doctoribus tuis, inter quos multi (ut opinor) vivunt longè te eruditiores, aliquando nomen tuum ad hæreticæ pravitatis inquisitores deferat. Detestaris enim tanquam inauditam hæresin, & intolerandam blasphemiam, totius Christianismi sententiam, quam docent, & defendunt, vulgò, omnes tui DD. Nos quidem malè metuimus. Sed ita ut etiam speremus (bene enim tibi cupimus, quia tam grande & illustre sidus es Leerdamensis reip.) Inquisitores memores fore dicti Euripidis:

τὸ μὴ εἰδέναι μὲν ἐκλύει κάκης.

CAPVT XLIX.

Proponuntur Iansenio, & Fromondo XCIX. *Quæstiones.*

Sed & ego tandem loqui, ac quæstiones proponere debeo. Sat diu in contundenda Fromondi futilitate, & Iansenii ignorantia occupatus fui, cum stultis insanivi; & qui liber eram præfinitò verba feci, ut graculis ac picis os opprimerem. Per diverticula, anfractus, avia, & devia omnia me trahi passus sum: excussi, dilui, detexi omnia: nihil præterii, nihil dissimulavi. Difflavi Spiritu Christi, & veritatis ficulna folia, pertudi ulcera, denudavi scabiem: & hæc omnia tantùm spe, ac exspectatione similis humanitatis, & diligentiæ. Excussi multa, quæ simplici negatione indigebant, ne indocti ac inepti adversarii metus, aut diffidentiæ me apud vulgus, & causæ ignaros arguerent. Potuissem in authores digitum intendere, nolui tamen, ne simplices putarent me latebras quærere. Vtinam verò Fromondus, utinam Iansenius, pari diligentia, pari fide, & sinceritate hoc meum scriptum, & quibus illud obsigno, quæstiones expendere vellet. Proposuit Iansenius XXXIII. quæstiones stultas, & ridiculas: iis jam exarmatis oppono XCIX. partim positiones, partim quæstiones, easque serias, solidas, cordatas, & quæ omnes jugulum papatus spectent. Proponerem centum, sed nolo. In Eleusiniis sacris occultabatur semper quid visentibus, ne languesceret redeundi studium. Si ad ea mihi fuerit responsum tam solidè ut respondi Iansenio, præteritis illis, & in sanguine suo relictis, amplius quàm trecenta alia proponam, quæ omnia ejus sunt indolis, ut exercere pigros ventres, & exacuere hebetia ingenia queant. Vnum solum stipulor, ne Fromondus cum mendaci suo *centies millies* Lectores obtundat. Sed ad rem.

I. Vtrum insaniebat, an hæretico spiritu erat correptus bellus ille canonista Antonius Buccapadulius, qui est Gregorius XIII. cum in literis suis (quæ præmissæ sunt tom. 1. Bibl. Regiorum) ad carissimum suum filium, Philippum II. Hispaniarum regem Catholicum, per

secreta-

secretarium suum ita scriberet: *Nam quod ad Theologiam attinet, quæ est summa Philosophia, his libris* (loquitur de libris V. & N. T.) *omnia nostræ Religionis, & Divinitatis mysteria explicantur. Quod vero attinet ad eam partem, quæ Moralis nominatur, hinc quoque omnia ad omnes virtutes præcepta colliguntur, quibus quidem duabus partibus omnis nostræ salutis, & felicitatis ratio continetur, ut nihil possit esse horum librorum lectione dignius, nihil fructuosius, nihil omni hominum generi accommodatius, nihil majori doctrinâ, & sapientiâ refertius?* Necessum est alterutrum sit verum: Aut Papam hic errare, ac hæreticum esse, aut falli conciliabulum Tridentinum quod sanxit Sess. 4. decr. 1. *Traditiones sine scripto pari pietatis affectu, & reverentia cum Scriptura suscipiendas esse*: nec non Episcopos & doctores qui plebem à Scriptura arcent, homicidas esse, quia non admittunt eam ad fontem vitæ, ut ex eo curetur.

II. Cur Papa hodie, ut olim sæpius, non audet terminare controversias, quæ tanto fervore, & studio partium ad hunc usque diem in Papismo agitantur? Sanè Paulus V. non ausus fuit decidere, veritus scilicet odium, controversiam, quæ tot clamoribus de conceptione Virginis Mariæ inter Dominicanos, & Franciscanos, ejusque præcipuos adjutores Iesuitas ventilatur. Sed ut placeret regi Hispaniarum Philippo III. politicè & subdolè promulgavit bullam prid. kal. Sept. Anno 1617. quâ utrisque silentium imperat. Quanti verò fiat ejus plumbum & anulus, declarant adversaria scripta, quæ utrimque postea sunt edita.

III. Si Papa est vicarius Christi, cur est προσωπολήπτης? & inferiores, quos non metuit V. C. Rempub. Venetam (quando proscribit Iebusitas, & carceri mancipat flagitiosos Abbates, & Canonicos) excommunicat, cùm tamen Clemens VII. pepercerit Imperatori Carolo V. à cujus Legatis obsidebatur Romæ, & nuper Paulus V. Philippo III. Hispaniarum Regi, qui tamen papalem potestatem sibi arrogare ausus est in Sicilia? nisi fortè curia Romana *Det veniam corvis.*

IV. Spiritus Papæ, qui habetur infallibilis, non personæ Paparum, sed cathedræ adhærere dicitur: de ea verò Bellarminus non veretur dicere lib. 3. de Verbo Dei cap. 10. *Quod verbum Pontificis docentis ex cathedra, aliquo modo verbum Dei sit.* Quæritur an cathedra hæc materialis, an immaterialis, spiritualis, an corporea sit? & unde constet cathedram non falli, & quod ex ejus instinctu promulgat Papa (quem omnes quà hominem agnoscunt errare posse) rectè ab eo intelligi, clarè, & verè promulgari, nec perverti? Si quidem constat nullum discipulum ita ingeniosum, & diligentem esse, ut ubique assequatur mentem, & sensum sui præceptoris.

V. Quæritur an Dominus Deus Papa, qua Papa possit esse hæreticus? credunt Reformati omnes. Negant verò Papani, idque jure, si illud agnoscerent, in abyssum subsideret cathedra Petri. Quamvis autem cordatiores inter eos in nostram sententiam transierint, ut *Gerson, Almayn, Alphonsus de Castro, Catharinus, Lyranus*, &c. Et hodie adhuc tota Sorbona: nihil tamen præter cæcam pertinaciam negantes in sententia obdurat. Eos verò quicunque sint, per amorem Papæ, quo insaniunt rogo ut respondeant ad sequentia dilemmata. Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 2. statuit opinionem, *quæ docet Pontificem, ut pontificem posse esse hæreticum, esse erroneam, ac hæresi proximam.* In ea autem ipsa opinione fuit Adrianus VI. popularis meus, fatente Bellarm. ib. Inde duos hos cornutos syllogismos construo: *Aut verum dixit Adrianus VI. aut falsum. Si verum dixit, sanè Papa ut Papa, potest esse hæreticus. Si verò falsus fuit, necessariò iterum sequitur Papã ut Papam posse esse hæreticum: & sic ipse Adrianus VI. fuerit hæreticus, quia in hæretica & erronea opinione fuit.* Deinde Sententiam hanc, Papam ut papam esse hæreticum, dicitis esse de fide. Largior hoc errori vestro; & ita argumentor: *Si est de fide Adrianus VI. qui hoc negavit, aut est hæreticus, aut non est. Si est hæreticus, vera est nostra, & omnium sanorum Theologorum sententia, & collabitur cathedra. Si non est hæreticus, sequitur non esse de fide credere Papam, ut Papam non posse esse hæreticum, nec proinde novam sophisticam esse ridiculam hanc distinctionem. Atque sic iterum totus cadit Papismus.*

VI. Nemo Pontificius potest conscientiam suam subjicere Papæ decretis, & sanctionibus,

quia ex nullis indiciis certò ei constare potest, decreveritne hoc Papa, quà Papa, an verò quà homo, nec liquidò scit an non ex falsis delationibus, indiciis, & testimoniis, (quo casu Papam errare posse omnes fatentur) tale decretum condiderit. Præsertim cum subsequentes Papæ abrogent plerumque decreta antecedentium, quòd ipsi credant ea ab homine, non verò à Papa ex cathedra decreta esse.

VII. Dicit Bellarminus lib. 1. de Matrimonio cap. 11. *Non potest inferior dispensare in lege superioris; proinde nec homo in lege Dei.* Ergo alterutrum verum est: Aut Papa est superior Deo, aut est sacrilegorum maximus, quando in gradibus matrimonialibus, & de conjugio jam consummato dispensat contra legem Dei, & naturæ.

VIII. Papæ non solùm Græcorum, Armeniorum, Russorum, & Abassinorum Ecclesias, inferno adjudicant, sed omnes etiam sanctos Patres, qui vixerunt usque ad Gregorium M. nec eos solum, sed ipsos etiam, ô horrendam tyrannidem! Apostolos, & eorum discipulos. Ita enim proclamat Bonifacius VIII. cap. 1. Vnam sanctam, in fine Extrav. comm. de major. & obed. quod capitulum & hodie in postrema editione corp. canon. legitur: *Subesse Romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus omnino esse de necessitate salutis.*

IX. Papæ semetipsos furoris, hypocriseos, & tyrannidis omnium apertissimè arguunt, totamque hierarchiam, somnium solùm ac delirium esse pueris quoque produnt. Clemens enim V. bullam illam fatui Bonifacii (ut eum vocabat Philippus Gallorum rex) extravagantem, quæ in dictum Philippum maximè condita erat, revocavit, abrogavitque: nec non contrariâ bullâ totum regnum Galliarum Papali tyrannidi exemit. Decretum ejus abrogationis hodie adhuc juri Canonico est infartum, cap. 2. Meruit. Extravag. comm. de privileg. & hunc in modum sonat: *Meruit charissimi filii nostri Philippi regis Francorum Illustris, syncera affectionis ad nos, & Ecclesiam Romanam integritas, & progenitorum suorum præclara merita meruerunt: meruit insuper regnicolarum puritas, ac devotionis synceritas, ut tam Regem, quàm regnum favore benevolo prosequamur. Hinc est, quòd nos Regi, & regno per definitionem, & declarationem bonæ memoriæ Bonifacii VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit, Vnam sanctam, nullum volumus, vel intendimus præjudicium generari: Nec quod per illam Rex, Regnum, & regnicolæ prælibati, ampliùs Ecclesiæ sint subjecti Romanæ, quàm antea existebant: sed intelligantur in eodem esse statu, quo erant ante definitionem præfatam, tam quantum ad Ecclesiam, quàm etiam ad Regem, Regnum, & regnicolas superiùs nominatos.*

X. Nunquid Baronius insigniter fatuitatem suam prodit, quando in Annalibus passim usque ad sanguinis sudorem probare laborat ab initio, Galliarum Reges Papæ fuisse subditos, cum Clemens V. pontifex ex cathedra testetur eos ante definitionem Bonifacii VIII. fuisse immunes ab ejus jugo, & in posterum hanc eorum libertatem confirmet?

XI. Gregorius de Valentia Esavita celeberrimus Annalys. lib. 8. cap. 7. dicit: *Qui dicunt Concilium esse supra Papam, pugnant illi revera cum primatu Pontificis Romani.* Bellarm. l. 2. de Concil. cap. 17. *Pontifex est absolutè supra Concilium generale, & nullum in terris supra se judicium agnoscit: contraria sententia non est toleranda.* Quid ergo fiet miseris Gallis, qui illam opinionem per manus à majoribus suis acceperunt? Quicquid crepent, & clamitent Loyolæ excrementa, nullum Gallum, ne quidem ipsum serenissimum Regem, nisi ante ejuraverit hanc opinionem, absolvere possunt. Quòd secus faciant, id Iebusiticæ eorum conscientiæ, quam parvi pendunt, modò *Dolosi spes affulserit nummi* ex diametro adversatur.

XII. An non præsens Papa Vrbanus VIII. meritò dicitur propudium fidei Papano-Catholicæ, ac sanctissimæ cathedrę, & si non hæreticus, saltem semi-hæreticus est habendus? Omnino. 1. Quia non compescit suâ authoritate filios suos, regem Galliarum & Hispaniæ, qui hodie tam atrox bellum inter se gerunt. 2. Quia oculos suos pascit cladibus orbis Christiani. 3. Quia non excommunicat alterutrum ex dictis regibus. 4. Quia non compescit consiliarios suos Cardinales; quibus potestatem facit armis contra se invicem certandi, & exercitus ducendi.

XIII. Facit-

XIII. Facitne hæc omnia Papa Vrbanus VIII. ex humana infirmitate, an ut Papa? Si ex humana infirmitate, cur non deponitur? Si ut Papa, omnino est fatuus. Vt Papa enim est dominus totius orbis terrarum, secundum Alvarez, Hostiensem, Sylvestrum, & alios multos teste Bellarmino lib. 5. de Rom. Pontif. cap. 2. addo Bozium, qui ita in Ep. Nunc. ante libr. de Temp. Eccles. Monarch. ad Clementem VIII. inter alia scribit: *Pontificem esse caput totius Ecclesiæ, & potestatem habere circa omnia temporalia, quæ cadunt in usum humanum, ostendam ex Patribus, Theologis, Canonistis.* at quis nisi demens cum compescere possit, non castigat, & punit eos qui res suas, & prædia vastant, vexant, urunt, & perdunt?

XIV. Quibus fulcris hodie nititur Papæ potestas, cum fulmen excommunicationis sit factum ridiculum; & principes, à quibus metus proficiscitur, non tam fatui sint, ut in Palestinam contra Turcas, & Saracenos proficisci velint, nec etiam, nisi per legatos forte, specie tenus, senionis male-olentes pedes osculari, eique jus in se, subditos, & regnum concedere? Dolis, & artibus pseudo-politicis, Brachio seculari, potentiâ regis prædominantis, & potentioris, cum quo ita fœdus & amicitia colitur, ut nihilominus occulte foveantur partes ei adversæ, ne si illæ dominari incipiant, sedi periculum, & exitium creetur. His scilicet artibus per centum & amplius annos jam Roma consistit.

XV. Fides ratione certitudinis ab Apostolo ad Hebr. 11. dicitur esse ὑπόστασις. Suarez de triplici virt. Theol. Sect. 8. Disp. 5. *Censet rem esse de fide certam,* credere; id quod Pontifex *definit ex cathedra esse regulam fidei.* Quæritur bene, an male dixerit? Si bene? Papani debent credere absque ullo scrupulo, aut hæsitatione, contradictoria esse simul vera, ita & non esse idem, tenebras esse lucem, & lucem tenebras, quia sexcentæ sunt bullæ definitæ ex cathedra, hoc est ut ibid. exponit Suarez, *authenticè propositæ universæ Ecclesiæ,* quæ ex diametro sibi invicem adversantur, & æquè sibi sunt oppositæ ut est, ac non est. Sin verò malè dixit. Cur non arguitur? cur hoc in ejus libris non inducitur?

XVI. Papanorum conscientiæ nulli judici sunt subjectæ, præterquam Domino Deo Papæ. Non Deo? non Christo doctori infallibili? Sordet Deus, vilis est iis Christus? strictior, & severior in exigenda obedientia suorum decretorum est Pontifex. Christus potestatem facit perscrutandi de se, ac doctrina sua. Ioh. 5. vers. 39. Deus quoque vult tantum inquiri bonas, & antiquas vias. Ierem. 6. vers. 16. Papæ autem credendum est etiam vitia præcipienti, nec disputare, aut disquirere licet de ejus decretis. Bellarm. de Pont. lib. 4. cap. 5. *Si autem Papa erraret præcipiendo vitia, vel prohibendo virtutes, teneretur Ecclesia credere vitia esse bona, & virtutes malas, nisi vellet contra conscientiam peccare.*

XVII. Quot sunt Papani totidem Papæ sunt: quisque est sibi Papa, hoc est, pro lubitu, & arbitrio dispensat de Papæ, & factionis ejus decretis. Ita multi negant se invocare sanctos, & imagines, plurimi sine consensu Episcopi legunt Scripturam, alii non observant, aut observare volunt stata jejuniorum tempora. Paucissimi sunt qui agnoscant infallibilitatem Papæ. Nulli qui velint in omnibus eis obsequi. Respondeat, & neget aut Fromondus, aut Iansenius. Neque est hæc infirmitas, sed pertinax, & malitiosa inobedientia.

XVIII. Clamatur in Papatu sine missione Ecclesia, Ecclesia, cum tamen doctissimi, & illuminatissimi DD. ignorent quid aut ea sit, aut ubi lateat. Quidam congregationem fidelium, alii Concilium; quidam Patres, aliqui Episcopos, nonnulli Papam cum Concilio, alii Papam cum consistorio, esse opinantur. Seducta turba Chimæram, monstrum, aut animal in Vtopia esse credit. Æternum nemo explicare, ostendere, & definire eam poterit: talem nempe, cujus facies respondeat factioni Antichristianæ. Aut si explicetur, erit ridiculus mus. Hoc est, Ecclesia corpus Christi, & universitas, virtualiter & repræsentativè consistet in uno Papa. Ita Gretz. lib. 3. de Verbo Dei cap. 10. Gregor. de Valent. Disp. Theol. tom. 1. Disput. 1.

XIX. Quid significat hæc Carbonarii, ejusque sectatorum locutio, hoc seculo: *Credo, quod sancta Ecclesia credit?* hoc est, Credo idem, quod Papa credit.

XX. Christi præcepta data Apostolis fuerunt secundum Papanos inefficacia, nec quis iis parere, aut se subjicere potuit usque ad Ecclesiæ definitionem, hoc est ante interpretationem Papæ. Cusan: ep. 3. *Dico nulla esse Christi præcepta, nisi quæ per Ecclesiam pro talibus accepta sint.* Et qui Christum docentem audivere, ô blasphemiam! audiverunt verbum Diaboli, quia illud verbum Ecclesia in aliquibus jam aliter interpretatur, quàm auditores illi, & Apostoli qui id consignarunt, & explicarunt. Clamabunt Papicolæ, me calumniari, sed ego dico eos blasphemare. Audiatur Hosius de Expresso Dei verbo: *Quod*, inquit, *Ecclesia docet, expressum Dei verbum est, & quod contra sensum, & consensum Ecclesiæ docetur expressum diaboli verbum est.* Si ergo in uno tantùm dogmate ex confessione Adversariorum probavero Ecclesiam aliter docere, quàm aut Christus aut Apostoli docuerunt, infallibili etiam consequentiâ evicero, secundum Hosium, eorum verbum, esse verbum diaboli. Benedictus Montanus in 1 Cor. 14. *Etsi Apostolus linguâ intellectâ preces velit celebrari, tamen sancta Ecclesia justissimis de causis contrà statuit.* Item Iohann. Ragusius Orat. in Concil. Basil. de Comm. sub utraque specie: *Licet*, inquit, *in lege veteri prohibitæ fuissent lege divina imagines visibiles, nedum ipsius Dei, nihilominus Ecclesia aliter ordinavit.* Et quorsum particulares DD. adduco, cum concilium Tridentinum æque insaniat: Sess. 5. can. 2. *Licet*, inquit, *ab initio Christianæ religionis non infrequens utriusque speciei usus fuerit: tamen sancta mater Ecclesia, progressu temporis, latissimè jam mutatâ illâ consuetudine, gravibus, & justis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, & pro lege habendam decrevit*, &c.

XXI. Papani Deum ipsum mendacem faciunt. Dicit Deus apud Esaiam cap. 46. v. 10. *Consilium meum stabit, & omnem delectationem meam facturus sum.* Ipsi contra non in praxi solum ejus consilium, & judicium in verbo expressum convertunt, & commutant, sed de eo, etiam ô impudentiam! gloriantur. Nicol. Cusanus ep. 3. *Mutato judicio Ecclesiæ, mutatum est Dei judicium.*

XXII. Quicquid blaterent Papani nullum habent judicem controversiarum. Verum enim judicem, Scripturam tanquam mutam rident & explodunt. Patres, ut ut crepent, non ultra recipiunt, quàm faveant præconceptis erroribus, & factioni. Quemadmodum supra ostendimus. Concilia quoque pluris non faciunt. Pigius Hierar. Eccles. lib. 6. cap. 13. *In fidei definitionibus errasse etiam universalia sanctorum Patrum Concilia comperimus.* Cusan. Concord. Cathol. lib. 2. cap. 3. *Multa Concilia ritè convocata errasse legimus.* Bellarm. l. 2. de Conc. cap. 11. *Ante confirmationem Pontificis, Concilium non est infallibilis authoritatis.* Superest ergo extrema anchora, Papa nempe, quem supremum judicem esse somniant. Salmer. Comm. in Epist. Pauli in gen. disp. 10. *Cùm Scriptura obscura est, & difficilis, nec per eam solam lites obortæ terminari queant; superest, ut certum aliquem Iudicem nobis designatum adeamus: at hic alius non est habitus, quàm is, qui semper fuit Romanus Episcopus.* Bellarmin. reverentiæ ergo Concilium ei adjungit lib. 3. de Verb. Dei cap. 3. Sed cæcum hunc suum judicem quàm ipsi miserè derident? 1. Fingunt eum fatuum esse, & omni ratione destitui: docent enim de eo, quòd possit errare in præmissis, & medio; nunquam tamen in conclusione. Hoc est secundum Papanam Logicam ita argumentari: *Omnis asinus rudit, Omnes fratres minores sunt asini*, Ergo; *Omnes fratres minores sunt diserti oratores, & morigeri Papæ filii.* Simile exemplum refert & refellit Gregor. de Valent. cap. 2. de Cælibat. de Leone Papa, qui Serm. 8. de Iejunio ex loco Luc. 21. [Attendite ne corda vestra graventur ebrietate, crapulâ, aut curis hujus vitæ] *collegit Ecclesiæ ministros debere à conjugio abstinere, siquidem cum matrimonio maximæ conjunctæ sunt curæ.* Idem de Valent. lib. 8. Analys. fid. cap. 3. *In disputationibus, quæ circa quæstiones fidei publicas versantur, vel alioqui in controversiam vocantur, consulta Ecclesia, concludendo quidem, & asserendo nunquam errat, in mediis autem ipsis, & argumentis hallucinari & aberrare potest, salvâ promissâ Ecclesiæ infallibilitate in conclusione.* Staplet. lib. 8. de Doctr. Princip. cap. 14. *Pontificis doctrina est discursiva in mediis, & prophetica in conclusione.* Hinc etiam docent non opus esse, ut Pontifex adhibeat aliquam diligentiam in

indagan-

indaganda veritate. Greg. de Valent. loco pr. laud. *Sive Pontifex in definiendo studium adhibeat, sive non adhibeat, modò tamen controversiam definiat, infallibiliter certè definiet.* Sed an non hoc est Pontificem deridere, & ejus judicium apud pueros quoque prostituere? Et tamen nunquam ad illas incitas Sophistæ sivissent se redigi, si non conscientia dictasset millies Pontificem ex falsis præmissis ratiocinatum fuisse? Sed quomodo consistere potest homuncionis unius infallibilitas, cui conceditur negligentia, & libertas argutandi ex falsis præmissis? Si ita procedat non credit ipse Bellarminus eum infallibilem fore. Ita enim lib. 1. de Conc. cap. 11. ait: *Non debet Pontifex expectare divinam revelationem, sed ordinarium medium adhibere.* 2. Nullus est qui diffiteatur ad interpretationem Scripturarum infallibilem, quam soli Papę assignant Sophistæ, requiri cognitionem linguarum. Et tamen destitutus est plerumque ridiculus hic judex. Bellarm. lib. 2. de Verbo Dei cap. 15. *Pontifices non possunt judicare de linguis.* Quid ergo est Papa, nisi larva sine cerebro. Clament sophistæ cathedram, Papam quà Papam, Ecclesiam, Ecclesiam, hilum tamen non proficient. Immota stat nostra thesis.

XXIII. Papana factio non est Ecclesia, neque ei convenit Ecclesiæ definitio: ne quidem si vox Ecclesiæ politicè accipiatur. Non est Essentialis Ecclesia ut Bellarm. loquitur lib. 3. de Eccl. cap. 2. quia agnoscere debet factiosum Papam, nempe tyrannum illum, & Christi antagonistam. At qui dominaturientem quem, & turbulentum in rep. hominem sectatur, non Ecclesiæ, sed factionis est membrum. Non virtualis etiam Ecclesia, quia unus homo, Papa nempe Romanus, non potest esse universitas, ne quidem virtualiter. Si enim est virtualis Ecclesia, est etiam radix omnium membrorum Ecclesiæ, & ex eo, ab eo, & in eo sunt omnes fideles. At si Papa post mortem in infernum abeat, an descendet etiam cum eo tota Ecclesia? Quid quod, secundum hoc delirium Papa omnes fideles generare, & producere deberet, quemadmodum è radice pullulant, & pronascuntur folia, & fructus. At quis tam demens, ut hoc credat? Denique nec consistorialis potest esse Ecclesia; Ecclesia enim notat concionem convocatam legitimâ ratione in locum publicum, quis verò eo nomine cælum sua authoritate convenientem in privatas ædes, Ecclesiam vocet? Demus verò legitimum senatum constituere curiales? Quid tum? Senatum, aut reip. Ephoros nemo sanus ipsam remp. aut esse statuet, aut vocabit?

XXIV. Volunt Papani in vera Christi Ecclesia, esse & bonos & malos, electos & reprobos. Imo Costerus non verecundatur scribere Apolog. cap. 1. parte 3. *Quòd Christus habiturus sit membra damnanda.* Quàm vero hoc absurdum! Membra erunt in inferno, cùm corpus atque caput sint in cælo, & nihilominus tamen erunt dicenda membra ejusdem corporis. Dic quæso, Fromonde, quot hic fiant miracula? Dices non amplius esse membra, quando sunt in Inferno: atqui eo ipso probas, ea nunquam fuisse. Quod de ovibus suis Christus dicit Ioh. 10. de membris etiam verissimum est, nemo ea aut avellere, aut rapere potest.

XXV. Papani Christo, de quo omnes Christiani credunt, quod corpus habuerit perfectum, & propter summam integritatem ab omni nævo, & imperfectione liberum, corpus monstrosum, tumore, carnis excrescentiâ, & aridis membris affingunt. Bellarm. lib. 3. de Eccl. Milit. cap. 9. *Aliqua Christi membra sunt mortua, & arida.* Nec est quòd quis excipiat aliam rationem esse mystici ejus corporis. Sed quid ergo sunt impii in isto corpore, cui adhærere videntur? Superflua excrementa. Costerus Ies. Apol. part. 3. cap. 12. *Vt flegma, pituita, sanies, sanguis, saliva, sanguis abundans viventis hominis neque membrum sunt, neque partes, & tamen non sunt extra corpus; ita impii ad superfluos humores referuntur, qui suo tempore, ubi maturi fuerint, cum stercoribus egeruntur.*

XXVI. Cur tam pertinaciter Iebusitæ certant pro reprobis, ut etiam sint membra Ecclesiæ, ac Christi? Rationem reddit Bellarm. lib. 3. de Eccl. Milit. cap. 4. *Si sic*, inquit, *non esset, sequeretur Papam malum non esse caput Ecclesiæ.* Eia quàm lepidè! Ergo confitente Iebusita Papæ mali esse possunt, in quorum gratiam Christus & Ecclesia ejus fingenda est monstrosa. At quando stercoreus Papa egeritur, an non contaminatur sancta & infallibilis Cathedra? Non

 opinor,

opinor, dicet Dn. Fromondus, neque enim quod invisibile est, contaminatur re invisibili. Argutius somnium non subiit phantasiam inter proximas decem noctes.

XXVII. Quid est Ecclesia Catholico-Romana? Civitas continens in se universum terrarum orbem, omniaque ejus vitia. Domus in qua conclusa est tota civitas. Fenestra nequitię, in qua habitat & consistit tota domus, hoc est, σιδηρόξυλον, monstrum monstrosissimum, & amica unio contradictoriorum. An ergo aliud est Ecclesia Romana, aliud Catholica? Omnino. Fatetur Bellarminus de Baptismo, in quo aliud fit secundum Ecclesiam Romam, aliud secundum Ecclesiam Catholicam. Audiatur ipse, ut erubescat Iansenius lib. 1. de Sacram. in Gen. cap. 27. *Vt quis*, inquit, *baptizetur, necesse est, ut intendat minister facere, quod facit Ecclesia Romana; Imo verus est baptismus, etiamsi intendat non facere, quòd Ecclesia Romana facit: sufficit intendere facere, quod facit Ecclesia Catholica.*

XXVIII. Estne factio Romana antiqua? Omnino. Fuit enim ante Christi nativitatem, & proindè prior est Ecclesia Hierosolymitana. Dominantur in ea vitia, præ cæteris idololatria, ac superstitio Antiquæ Romæ. quid prohibet ergo, quo minùs eadem putetur esse ratione successionis cum Roma Ethnica, & æquè insigniatur elogio antiquæ, ac ejus Pater diabolus, cui augustus hic titulus tribuitur Apoc. 12. vers. 9. Bern. ep. 125. *Bestia illa de Apocalypsi cui datum est os loqui blasphemias, & bellum gerere cum sanctis, Petri cathedram occupat, tanquam leo paratus ad prædam.*

XXIX. Misellі Papicolæ dicere non possunt jure humano, an divino Romana sedes primatum obtineat. Concilium Constantiense non jure divino, sed tantum positivis Ecclesiæ decretis jus hoc niti putat. teste Stapleton. lib. 13. de Doctr. Princ. cap. 15. Alii à Christo accepisse putant, inter quos præcipuus est Pelagius Papa apud Gratian. dist. 21. cap. *Quamvis*. Dominicus à Soto juri Ecclesiastico acceptum refert, teste Gregor. de Valent. lib. 7. cap. 12. Bellarm. lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 12. Distinguit inter successionem & rationem successionis. Successionem vult esse à Christo, rationem successionis ex facto Petri. *Quòd*, inquit, *Episcopus Romanus, quia Episcopus Romanus est, sit Petri successor, ex facto Petri ortum habuit, non ex prima Christi institutione.* Sed ipse sibi non satisfacit in straminea hac distinctione: ita enim postea inquit: *Licet forte non sit ex jure divino Romanum Pontificem Petro succedere, tamen id ad fidem Catholicam pertinet.* Quid ineptius cogitari posset? De articulo principali, & creditu maximè necessario non constat, authoritate divinâ, an humanâ nitatur? *Forte* Papa jus habet succedendi Petro, *fortè* non habet. Quis hic acquiescat? Credo magis Gersoni, qui ita de Potest. Eccles. *Papalis authoritas si non est à Deo, & Christo immediatè, à tota Ecclesia institui non poterat.*

XXX. Vt Romana factio sit vera Christi Ecclesia, quia habet successionem, fit miraculum Logicum. Ex alterutra præmissarum negante educitur affirmans conclusio. Bellarm. l. 4. de Eccl. Mil. c. 8. *Notandum est*, inquit, *hoc argumentum, à legitima successione ductum, non necessariò probare, ibi esse Ecclesiam, ubi est successio: sed præcipuè ad probandum, ibi non esse Ecclesiam, ubi non est successio.* Et postea ità argumentatur: *Si non est Ecclesia ubi non est successio, tum sequitur hic* (Romæ) *esse Ecclesiam, quia hic est successio.* In forma si disponatur argumentum, tale est: *Vbi non est successio, ibi non est Ecclesia: Sed Romæ est successio, Ergo Romæ est Ecclesia.* Notate miraculosum hunc syllogismum collegistæ Lovanienses.

XXXI. Nihil in Papatu majore cum strepitu auditur, quàm *traditio, traditio*. Est autem traditio doctrina, non scripta, *non quòd*, ut dicit Bellarm. lib. 4. de Verb. Dei cap. 2. *nusquam scripta est, sed quia non invenitur scripta in ullo libro Apostolico, etiamsi scripta sit in libris veterum Patrum.* Talem verò traditionem ne unam quidem aut nominare, aut ostendere Sophistę possunt. Quòd ad *Eucharistiam dandam baptizatis tantùm, diem dominicam, pædobaptismum, symbolum Apostolicum, nomen ὁμοουσίου, canonicorum librorum numerum*, ea non ex traditione, sed necessaria & infallibili textuum sacrorum consequentia probantur. Reliquæ nugæ, ut *Assumptio corporis Mariæ, Jejunium quatuor temporum, unctio mortuorum, quadragesima, aqua benedicta, panis azymus in Eucharistia*, &c. ne quidem ex

Patribus, nedum Apostolica traditione probari possunt, sed à Papis instituta sunt.

XXXII. Certant miselli ad sanguinem pro traditionibus, earumque necessitate, sed simulac in se descendunt, eas inutiles esse fatentur. Supra th. 1. probavimus ex Gregorio XIII. Consonat ei Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei c. 2. *Scriptura*, inquit, *regula credendi certissima, tutissimaque est.* Quis verò tam demens, qui si ad oppidum quod per viam tutissimam pervenire potest, ingredi velit eam quæ à latronibus obsidetur, & periculo se exponere.

XXXIII. Si verum sit, ut omnino est, & nos contra omnes clamores sophistarum defendemus, prætensas traditiones esse tantùm vana deliria, & somnia, an non cum omni suo apparatu, ac ornatu sponte concidit, & evanescit Papismus? Omnino. Lindan. lib. de Optim. genere Interpr. in præf. *Traditio Ecclesiastica, omnis planè nostræ Christianæ religionis est puppis, & prora, indubitatumque salutis, & castrum, & propugnaculum.* Andrad. de Orthod. Explic. lib. 2. *Traditionum authoritatem si tollas, nutare jam, & vacillare videbitur Ecclesia.*

XXXIV. Vincent. Lyrinensis in libello de hæres. cap. 3. definiens Ecclesiam Catholicam inter alia dicit: *In ipsa Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum, hoc est enim verè propriéque Catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat.* Si ausint sophistæ, unam traditionem non scriptam, hoc est, papalem ad hanc normam *Vbique, semper*, & *ab omnibus*, exigant?

XXXV. Papani sua fide non habent authentica Biblia. At dicunt nos ab iis accepisse: Sed quomodo nudo vestimenta detrahi possunt? Atqui tamen prostant Biblia apud eos & leguntur? Quid tum? An qui cisternam in ædibus habent, in quam ex fonte aqua fluit, ipsum fontem possident? Habent Biblia, sed Clementina. Habent libros Canonicos, sed appendice apocryphorum librorum oneratos. Non magis eorum biblia sunt biblia, quàm statuæ humanæ homines, aut exemplaria, prototypa. Et ut nemo qui exemplar falsatum instrumenti habet, ipsum instrumentum se habere gloriari potest, ita nec illi de Bibliis.

XXXVI. Cur non licet vulgo, in Papatu legere Scripturam? Quia evertit Papam, ejusque idololatriam, & tyrannidem. Fatetur Pichius supra à nobis allatus.

XXXVII. Vter Pontificum habendus est pius, Pius IV. an Clemens VIII? Ille verbis tenus populo fecit potestatem legendi Scripturum, hic in totum sustulit? Videatur Azorius lib. 8. Inst. Moral. cap. 26.

XXXVIII. Nemo pontificius legens vulgata Biblia, in conscientia certus esse potest se legere verbum Dei: quia nescit an non post paucos annos emersurus sit aliquis Pontifex, qui eadem libertate utatur in Biblia Clementina, quâ usus est Clemens in Biblia Sixti V. Qui nempe plurima mutet, interpolet, corrigat, ac contradictoria credi jubeat.

XXXIX. Conciliabulum Tridentinum, & Pius IV. Episcopis, & Parochis potestatem faciunt, quam usurpare non possunt nisi sint Dii, omniscii & καρδιογνῶσται. Permittunt enim iis, teste Azorio loco proximè citato, *ut possint permittere lectionem Bibliorum in vulgari lingua illis, quas intellexerint ex hujusmodi lectione, non damnum, sed augmentum fidei capere posse.* At quis mortalium hoc scire potest?

XL. An olim inter membra Ecclesiæ Beroënsis & Colossensis etiam mulieres fuere, item sutores, sartores, ac pistores? Ratio dubitandi est, quia illuminati scilicet Iebusitæ Anglo-Remenses dicunt præf. in nov. Test. *Non est existimandum sacra Biblia olim Sutorum, sartorum, pistorum, mulierum manibus conteri.* Cùm tamen Apostolus scribens sanctis ac fidelibus fratribus in Christo Iesu, qui Colossis erant, velit verbum Iesu Christi habitare in iis πλουσίως. Col. 3. v. 16. Et de Beroënsibus legitur Act. 17. v. 11. Quòd examinaverint Scripturas.

XLI. Ridiculi fatui sunt Papani DD. quando docent, & disputant Scripturam sanctam nec esse, nec esse posse judicem controversiarum: cum tamen eam ad controversiam maximam, & capitalem (an nempe Papa sit infallibilis, & supremus Ecclesiæ Episcopus) dijudicandam advocent. Ita legas apud Bellarm. *Probatur Petri Monarchia ex loco Euangelii Math. 16.* &c. Item, lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 10. *Petrum esse summum monarcham Ecclesiæ*

probamus

probamus ex istis Scripturis [Tu es petra; Tibi dabo; Tu pasce; Tu confirma] sensus ex textu obvius, evidens, invictus: Adeste Lutherani, hic volumus vincere, veritas de vobis triumphabit. Tu Thraso, qua fronte in hoc plaustro triumphare audes? Scripturam negas esse judicem, eam rides, & ut mutam insectaris? Ergo, ut probes Papam non esse tyrannum, fis semi-hæreticus.

XLII. Quanta est secundum Papanos authoritas conciliabuli Tridentini? ab eo dependet veritas doctrinæ prædicatæ à Christo, & Apostolis, nec non conciliorum omnium. Eo cadente, cadit ὀρθοδοξία universa. Si dubites Papista, audi Bellarm. lib. 2. de Effic. Sacram. cap. 25. *Si tollamus authoritatem præsentis concilii in dubium revocari possunt omnium aliorum Conciliorum decreta, & tota fides Christiana.*

XLIII. Qualis fuit factio Papana ante conciliabulum Tridentinum? Secundum Bellarminum domus sine fundamento. Nam si dependet ab eo, sine eo etiam immota subsistere non potuit? Quorsum ergo jactatur ejus antiquitas? Solidavit demum, & firmavit eam Conciliabulum Tridentinum.

XLIV. Cujus sunt decreta, quæ facta sunt in Tridentino conciliabulo? Non concilii, sed Papæ. Ita enim Bellarm. lib 2. de Concil. c. 11. *Ante confirmationem Pontificis, concilium non est infallibilis authoritatis.* Ergo non Spiritus concilii, sed Papæ ea rata credulis facit.

XLV. An in conciliabulo Trident. Episcopi fuerũt judices, an statuę κωφα πρόσωπα, & Gnatones Dn. Dei Papæ? Posterius est verissimum. Quisquis ibi nolebat secundas facere, Papæ blandiri, ac ejus spiritui credere, conciliabulo ejiciebatur. Sic per Cervinum pulsus est Iacobus Nichiantes Episcopus Clodiæ fossæ, quòd nollet probare decretum, quo traditiones humanæ verbó Dei æquiparabantur. Dn. Guilelmus Venetus ejectus est, cùm diceret concilium esse supra Papam: item Petrus Paulus Vergerius Episcopus Iustipolitanus, cùm negasset Legendas Gregorii, & Christophori esse veras. Cornelius Mussus quoque Episcopus Bipontinus, teste ipso Cano lib. 12. loc. Theol. cap. 12. explosus est cùm diceret Christum, in cœna non suum sanguinem, & corpus obtulisse. *Quid mirum verò? Contra Papam verum dicere, est contra juramentum Episcoporum*, Vt ait Æn. Sylvius Epist. ad Capitolium Moguntinum.

XLVI. Spiritus sanctus descendebat super Christum in forma columbæ, in qua forma descendit supra Papam, aut apparet in ejus conciliabulis? In forma bubonis. Fascicul. rerum expetend. & non expetend. *In quodam*, inquit, *concil: Romano Iohanni 23. Papæ in sublimi cathedra præsidenti, non columba, in cujus forma Spiritus sanctus se patefecit, sed terribilis bubo apparuit.*

XLVII. Crepant vulgò, Papani Doctorculi, quatuor prima concilia Oecumenica, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense. Sed quàm sint furiosæ ranunculæ miserè nimis produnt. Non probant ullum concilium nisi à Papa sit convocatum, & per eum approbatum, sed hoc de nullo ex quatuor his conciliis dici potest? Gregor. de Valent. Analys. fid. *Concilium universale quod ab universali pastore, Romano Pontifice, non indicitur, Concilii nomine indignum est.*

XLVIII. Synodus Apostolica de qua Act. cap. 15. non convênit secundum Papanos in Christi nomine, quia scilicet non fuit congregata à Domino Deo Papa. Bellarm. lib. 1. de Concil. cap. 12. *Proprium est pontificis munus Concilium congregare. Et hoc est in nomine Christi congregari, vicarii ejus authoritate convenire.* Videor audire clamantes rabulas, *Petrus interfuit, Petrus interfuit.* Sed probetur Petri auspiciis concilium hoc convenisse, ejusque unius spiritu directum fuisse.

XLIX. Concilia eatenus authoritate sunt prædita, quatenus nihil derogant Papę. Quamdiu verò pseudo-politicis artibus, hoc axioma Pontifex poterit defendere, securus erit à lapsu & exitio. Bellarm. lib. 1. de Concil. cap. 7. *Concilium,* inquit, *Constantiense fuit reprobatum à Martino pontifice, quantum ad eam partem, quâ statuit Concilium fuisse supra Papam.*

L. Si nulla alia argumenta forent, ex quibus probaremus Papam esse Antichristum, & Romanam factionem esse meretricem Babylonicam, hoc instar omnium esse posset, quòd glorientur gnatones regnum imaginarium illius, sive Ecclesiam, ut vocant, in quam tyrannidem

exercet,

exercet, sempiternam fore. Ita etiam meretrix illa magna Apocalypſ. 18. verſ. 7. de ſe jactat: *Sedeo regina, nec ſum vidua, nec luctum videbo.*

LI. Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 6. Vt probet ex loco Math. 18. ubi dicitur *Dic Eccleſiæ*, non probari ſummum tribunal, & judicium rerum Eccleſiaſticarum eſſe penes univerſitatem fidelium, per Eccleſiam ejus præſulem, aut dominum Deum Papam intelligit. Eandem etiam gloſſam repetit lib. 2. de Concil. cap. 19. At quàm ea ridicula! Papa quando accuſatur à concilio dicet ſibi ipſi, examinabit ſeipſum, judicabit ſeipſum, audiet ſeipſum, & ſi nolit ſeipſum audire, erit Ethnicus & Publicanus, non gregi (quando enim ille cognoſceret) ſed ſibi ipſi. Notate I. CC. raram hanc litigandi praxin.

LI. Quid ſunt indulgentiæ? Piæ, hoc eſt lucrificæ, fraudes. Sed hoc dicunt hæretici? Non: ipſi quoque caudati Catholici. Gregor. de Valent. lib. 5. de Indulg. *Erant Catholici quidam ante Lutherum, quorum opinionem Thomas part. 3. qu. 25. art. 5. refert, qui indulgentias pias fraudes eſſe duxerunt.*

LII. Quinam Scriptores maximè officiunt Papæ, ejuſque idololatricæ, & factioſæ doctrinæ? 1. Qui in Scripturas commentantur, iique non hæretici ut loquuntur, ſed viri maximè Catholici, Epiſcopi, Suitæ, Monachi, &c. Quicquid enim gregales, aliique qui controverſias tractant ex Scriptura ad malæ cauſæ patrocinium adducunt, ab his negatur, & evertitur. Nec aliter fieri poteſt: Sol ſcripturarum occæcatis conſcientiis & ingeniis etiam lucet, & per eas tanquam rimas radios ſuos jaculatur. Adhoc Calvini, Buceri, Bezæ, Bulengeri, Brentii, &c. commentarii evolvi non poſſunt, quin ſimul quid veritatis, ſive ut ſophiſtæ loquuntur, hæretici adhæreat. Quod dico eſt veriſſimum, & inductione exemplorum per omnes controverſias oſtendi poſſet, ni quiſque per ſe ad hoc præſtandũ ſufficeret. inſpiciantur modo commentarii Hieronymi ab Oleaſtro, Ianſenii, Maſii, Salmeronis, Maldonati, Pererii, Pinedæ, Caſtrii, Alcaſar, Toleti, Riberæ, Zanchez, Eſpencęi, Lorini, Muis, Cornelii à Lapide ſimiliumque. 2. Docti, & ſubtiles controverſiarum Scriptores: quantò enim doctiores, & ſubtiliores ſunt, eò magis factioni, & cathedræ nocent. Fidem faciunt ſcripta Zuareſii, Vaſquez, Bellarmini, Cani, Gregorii de Valentia, Stapletoni, aliorumque. Dum enim accuratè ſtatum controverſiæ ſtatuunt, & argumenta ſuæ ſententiæ expendunt, ac adverſariorum refellunt, nihilque præterire volunt, aut miſerè à theſi aberrant, aut ſibi obloquuntur, aut nimia ſubtilitate, & diſtinctionum argutiis cauſę infirmitatem produnt. 3. Semidocti, & garruli Cardinales, monachaſtri, ac academici doctorculi, V. C. Perronus, Eccius, Cochlæus, Tapperus, Xaintes, Genebrardus, Cottonus, Coſterus, Gouda, Ianſenius, Fromondus, &c. Miſelli, quia neque ſtatus controverſiarum, neque earum momenta, & argumentorum contrariorum difficultatem norunt, non poſſunt non filium perditionis, & ejus ſcabiem ac ulcera proſtituere.

LIII. Qui ergo favent, & proſunt cauſę Papatus, ſi præcedentes omnes obſint? Fratres ignorantiæ, clamoſi aſini, timidi damæ, lapidei ſacrificuli, melancholicæ cloppæ, ac in ſumma omnes qui non diſputant, ſed captivato antè ingenio ad ravim uſque clamant *Eccleſia non poteſt errare, Eccleſia non poteſt errare*, &c. *Papa eſt audiendus*, &c. *ſanctiſſima ſedes Romana*, &c. *Et fides antiqua*, &c. Sanè decuplo plus proficiunt hi pertinaci, & conſtanti ignorantiâ, quàm alteri pręſumptuosâ & vanâ eruditione.

LIV. Nullus Pontificius, quiſquis etiam ſit, certioratâ, & acquieſcente conſcientia ullum librum Papiſticum, ne quidem roſarium, aut catechiſmum Tridentinum legere poteſt. Cùm enim per leges papales non liceat laico doctrinam, quæ in illis proponitur ad ſacram Scripturam examinare, ſcire etiam certò non poteſt, an doctor, cujus librum legit, convenienter papæ, & imaginariæ Eccleſiæ loquatur. Quia ignorat an non idem eventurum ſit ei, quod evenit Maſio, Fero, Didaco, Stellæ, Genebrardo, Hieronymo ab Oleaſtro, Eſpencæo, Oſorio, authoribus nonnullis in Bibliotheca Patrum, quorum nomina relata ſunt in Indicem expurgatorium, editum Madriti anno 1584. juſſu Cardinalis Toletani. Sane nullum dubium eſt quin propediem heroibus his acceſſuri ſint Bellarminus, Baronius, Canus, Bannes, Suarez aliique triarii. Quid quod identidem mutentur juſſu

Paparum Breviaria,Missalia, Pontificalia,Ritualia,similesque librorum quisquiliæ.

LV. Purgatorium,Missa,indulgentia,cultus imaginum,sanctorum,reliquiarum,&c. nituntur præ cæteris revelationibus, teste Bellarm. lib. de purg. & Salmer. comm. in 1 Cor. 15. quid verò illæ sunt? aut deliria, aut illusiones diabolicæ,aut ignoti genii apparitiones. Nulla enim sunt signa, indicia, aut probationes ex quibus cæcis certò constare queat,eas factas esse aut à diabolo,aut ab alio bono Genio. Imo ipsi disertè fatentur dæmones simulare posse animas defunctorum, ut supra ex Pererio, & Delrione ostendimus. Probo verò Thomæ prudentiam, qui eas omnes explosit. Ita enim ait part. 1. quæst. 1. art. 8. *Nititur fides nostra revelationi Apostolis,& Prophetis factæ,qui Canonicos libros scripserunt, non autem revelationibus (si quæ fuerunt) aliis Doctoribus factæ.*

LVI. Cur Papani mirabilarii, & immundi, indoctique sacrificuli inter nos (ubi tamen maximè foret necessarium) nulla aut miracula edunt,aut dæmonia ejiciunt?An quia diabolus sub nostro sole irrideri non cupit, & fugam simulare? An quia nimis superstitiosi sumus in examinandis omnibus miraculorum circumstantiis? An verò imputandum est nostræ infidelitati, quòd mendaciis credere nolimus.

LVII. Quid sentiendum est de miris (aut ut loquuntur sophistæ miraculis) quæ edita esse dicuntur ad Mariæ Lauretanæ,Aspericollensis, Sichemensis,&c?Sunt aut meræ imposturæ,aut curationes naturales, aut illusiones diabolicæ.

LVIII. Quando Papani exorcistæ (quod aliquando fieri, nolim negare) validis suis adjurationibus, putidis verbis, magicis medicamentis, &c. diabolum cogunt energumenum deserere, nunquid tum meritò diabolus deridetur, quòd compellatur verbis, exprobrationibus, & odoribus cedere? Minimè. Nullum dubium est,quin diabolus triumphantes magistellos rideat,& quantum potest,illudat. Non enim cedit iis nugis, sed cedere se simulat, imo subducit se nonnunquam ut miseri, quibus Deus immittit efficaciam erroris ut credant mendacio,in superstitione, & idololatria justo judicio confirmentur.

LIX. Sed nunquid horret diabolus crucem, nomen Iesu, Dei, &c. quibus blasphemè abuti solent exorcistæ? Minimè: ne quidem ipsam Eucharistiam quam panacæam esse somniant contra eum. Eam auferre potest. Sub cruce verò latitat & apparet, nec non concionandi vices disertè sæpe & magno cum zelo obit. Vt multis ostendit præstantiss. Voetius in Desp. Causa l. 2. sect. 2. cap. 10. pag. 176. & seqq.

LX. Papani illæsâ obduratâ suâ conscientiâ, magnâ cum devotione aliquando familiarem suum amicum, dominum diabolum adorare possunt. Docet hoc Vasquez in part. 3. disput. 110. cap. 5. Vbi quærit an sit peccatum adorare radium luminis, vel speciem crucifixi sub qua dæmon delitescit: sententiamque eorum, ut manifestè falsam explodit, qui statuunt ejusmodi apparitionibus deferendum cultum sub conditione, *Si es Deus*, ac definit quem securè radium illum apparentem adorare posse, nullâ adhibitâ conditione. Verba quia nimis multa sunt, non ascribo. Adi, quisquis es Papista, ipsum Vasquez,& contremisce.

LXI. Insaniunt Papani in colenda, aut verius prostituenda virgine Maria: eam verò esse ἐθελοθρησκείαν,cujus nec præceptum, nec vestigium in Scriptura extat,fateri coguntur doctissimi quique inter eos. Lorin. in Act. cap. 1. vers. 14. *Valde*, inquit, *pauca de matre Christi traduntur in Scriptura, quia primùm judicandus fuit Christus, & Christi virtus cognoscenda: sed postea factum, ut encomiis fuerit celebrata virgo, miraculis illustrata, templis, festis*,&c. Quodque Salmeron tom. 11. Tract. 37. de ejus assumptione fatetur, verissimum est de ejus cultu: *Multa*, inquit, *nunc in dubium revocarentur jam definita, si ad illa tempora rediremus, quibus nondum erant discussa, & decisa.* Ergo solis Papæ decretis nititur idololatricus hic cultus.

LXII. Quamvis expresse dicat Deus Esaiæ cap. 42. v. 8. *Ego sum Iehova, & illud est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo.* Non verentur tamen Papani Doctores scribere, & docere, præter Deum, etiam alios ut angelos,&c. religiosâ veneratione coli posse. Ita Bellarm. lib. 1. de beat. Sanct. post longam disputationem, concludit, *angelos jure meritòque religioso cultu prosequendos esse*. Quid quòd Suita Maldonatus sic impudentissimè scribat in Comment.

in

in cap. 5. Math. *Impius & imperitus Lutheranorum, & Calvinistarum error est, nullum nisi Deo, religionis honorem tribuentium.* An hoc non est Deo obloqui, & idololatriam docere?

LXIII. Quid sentiendum de candela Atrebatensi? Trunci, stipites, ac lapides sunt qui ei religionem & miraculum assignant. Per duas horas solummodo in medio foro sub dio collocetur, & apparebit facile aut impostura sacerrimorum monachorum, aut diaboli.

LXIV. Crepant passim Papani miracula, ut stabiliant idololatricum cultum Sanctorum, aut reliquiarum. Demus, quod tamen falsissimum est, omnia hæc miracula vera, ac genuina esse, an inde stabilimenti quid accedet eorum idololatriæ? Minimè. Gerson. tom. 2. Opusc. contra oppugnantes Carthusienses, quòd pauca, &c. *Probatio*, inquit, *sanctitatis per miracula plurimum est suspecta; quia ut supra dictum est, malis sunt communia, & multa non Christianæ, sed Magicæ artis ostentamenta sunt, quæ à simplicibus quasi sanctitatis miracula acceptantur.*

LXV. Quid deferendum est visionibus, quæ vulgò in Papatu jactantur? tantum, quantum detulit Papa Gregorius XI. morti vicinus de quo ex re est audire Gers. tract. de Exam. Doctr. *Experti*, inquit, *pluries loquimur, & Gregorius XI. testis fuit idoneus, sed tardus nimis. Hic positus in extremis, habens in manu sacrum Christi corpus, protestatus est coram omnibus, ut caverent ab hominibus tam viris, quàm mulieribus sub specie religionis loquentibus visiones sui capitis, quia per tales ipse seductus,* &c. Notate claustralia carcinomata.

LXVI. Quibus benedictionibus prosequendi sunt patres Suitæ, reverendi illi Loyolæ pulli. Iisdem, quibus eos prosequitur Vniversitas Cracoviensis, in libro qui inscribitur *Gratis*. In eo enim hæc formula legitur: *Deus destruat vos* (Iesuitas) *& evellat de tabernaculo suo, qui speratis in multitudine divitiarum vestrarum, & prævaluistis in vanitate vestra.*

LXVII. Quis est augustissimus titulus, quo insigniri possunt obedientes Iprensis Episcopi filii, & quotquot secundum cæcam ignorantiam vulgò se Catholicos esse gloriantur? Si Papistæ vocentur: si quis mihi non credat, adeat Baronium in Martyrol. ad 16. Octob. d. Vbi in notis ultra hominem in hoc nomine gloriatur. Et cur non gloriaretur? Nam ut Andrad. scribit de omnibus Catholicis animulis lib. 1. Defens. Synod. Trid. *Fide Papæ, nostra continetur, & ex ejus unius authoritate salus omnium pendet.*

LXVIII. Fitne injuria antiquis Patribus, quando à rabiosi Papæ satellitibus castrantur, & orthodoxa eorum fides aptatur ad modulum Romani Antichristi? Minimè. Vt enim Gretzerus testatur in libr. de modo corrig. antiq. auth. Vitrici sunt non Patres quando convenienter hæreticis, hoc est Prophetis, ac Apostolis loquuntur. Sed cur non eandem gratiam faciunt sacræ Scripturæ? Sufficit scilicet ei convenire Papæ interpretationem.

LXIX. Casus novus, & inauditus. Si Pontifex habeatur ab omnibus mortuus, & conclamatus (ut nuper simulavit lepidus Vrbanus VIII.) & Cardinales legitimè, ac debitis cæremoniis adhibitis alium legant, eumque coronent, & adorari jubeant, quæritur an Spir. Papæ, hoc est, infallibilitatis super hunc, an alterũ quiescat? Si dicant sophistæ errorem esse: miserè se, & stercoreum suum Deum prostituunt. Spiritus Papalis super unum tantùm quiescit, in quem per foramen cathedræ scil. flat: quæ ratio reddetur cur novus ille qui electus est, quia sedem tenet, non cognoscat etiam se per errorem esse lectum, quandoquidem cathedra infallibiles Scripturæ interpretationes ei inspirat.

LXX. Quid sanctimoniæ situm est in Iosephi anhelitu, qui exceptus esse dicitur ab angelo cùm lignum finderet, & in ampulla conclusus magna cum devotione servatur prope Blesas in pago dicto *Courchiverni?* Aut quid in eo coli, aut adorari potest?

LXXI. Cur idololatræ ultra Ægyptios ridiculi inter reliquias suas non ostendunt umbram Petri, miracula enim fecisse dicitur Act. 5. v. 15. Etenim miraculosè & illa visibilis fieri posset!

LXXII. Quid promeruit miser Rochus præsentaneus ille scilicet pestilentiæ medicus, quem contra Pestem etiam invocari vult Marchinus, & cujus reliquias magna cum veneratione colunt Veneti, quòd hactenus necdum sit canonizatus? An ejus oblitus est Papa. Minimè: auriculam

riculam sæpius vulserunt Veneti: verùm non ex meritis, sed gratia canonizantur Sancti.

LXXIII. Cur non insaniunt tantopere idolatræ in colendis Apostolis, Prophetis, & Patriarchis, quàm obscuris, ignotis, fictis, & novis suis sanctis? Verum esse docet Gabr. Biel lect. 32. in Can. *Indiscretus*, inquit, *est ille cultus dum quidam quæstum pietatem æstimantes, propter solas quotidianas distributiones, aliquem simplicem martyrem, confessorem, vel virginem solennioribus ceremoniis agunt, in pulsibus, luminibus, vestibus sacris, cantu, organis, quàm festa Apostolorum, imo quandoque quam festa beatissimæ virginis, vel Christi.* An quia quæ nova, gratiora quoq; sunt!

LXXIV. Papani quamvis septenario sacramentorum numero superbiant; revera tamen unum tantùm, baptismum nempe, habent. Confirmatio enim, ordo, pœnitentia, matrimonium, & chrisma nec sacramenta sunt, nec esse possunt, nec agnoscuntur ut talia aut à Christo, & ejus Apostolis, aut à Patribus qui vixerunt sex primis seculis. Eucharistia quoque quia in ea volunt signum fieri ipsam rem signatam, & panem transformari in reale Christi corpus, sacramentum est non sacramentum.

LXXV. Nullus Pontificius salva conscientia Papanæ missæ potest interesse, aut reverentiam exhibere hostiæ. Scire enim nequit an sacrificus, qui sæpe ebrius est, aut statuæ similis, intentionem habeat consecrandi. Intentio autem illa est necessaria, ad deificandum panem. Imo nec acquiescere potest in absolutione quam post confessionem à sacerdote accipit, quia ad eam quoque requiritur ejusdem intentio. Bellarm. lib. 3. de Iustif. cap. 8. *Non potest quis*, inquit, *certus esse certitudine fidei, se percipere verum Sacramentum, cum sacramentum sine intentione Ministri non conficiatur, & alterius intentionem nemo videre possit.*

LXXVI. Ex eodem fundamento certò inferri potest nullum clericum cujuscunque etiam ordinis sit, certum esse posse, se legitimè esse ordinatum: quia ignorat intentionem ordinantis Episcopi.

LXXVII. Ridicula, & histrioniæ similis est sacrificulorum absolutio. Non potest enim nisi conditionaliter pronunciari, quia nullus confessionarius scire potest an confitens omnia peccata enumeraverit, & seriò ac ex animo eorum illum pœniteat. Qualis autem est absolutio, quam ipse absolvens valituram esse dicere certò non potest? sane quicquid crepent sophistæ, scenica ac jocularis tota est.

LXXVIII. Papæ instar Ethnicorum Imperatorum, die coronationis suæ tesseras continentes remissionem peccatorum in turbam conjicere, aut eandem absentibus dare, aut invictis deferre solent, teste Tolet. lib. 1. de Instr. Sacerd. cap. 14. Quid verò sentiendum est de hac histrionia? Blasphema, sacrilega, & in Deum contumeliosa est.

LXXIX. Quid judicandum est de can. 2. sess. XXII. conciliabuli Tridentini, quo omnibus sub pœna anathematis injungitur, ut credant Christum his verbis; HOC FACITE *in mei memoriam*, instituisse Apostolos Sacerdotes Novi Testamenti, & jussisse offerri corpus & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini, adhoc constituisse Sacerdotes successores Apostolorum in hoc sacerdotio? Glossa quam conciliabulum clarissimo textui assuit, non tantùm violenta & inepta est, sed etiam sacrilega, impia, & blasphema. Mirandum verò Paulum mysticam hanc interpretationem hujus HOC FACITE non intellexisse, & ita immediatè illa verba exponere: *Nam quotiescunque ederitis de hoc pane, & biberitis de hoc poculo, mortem Domini annunciate donec venerit.* Non video etiam quâ ratione excusari possint Mathæus, & Marcus quòd hanc essentialem formulam cœnæ dominicæ, in quâ conciliabulum Tridentinum institutionem & antiquitatem Missæ invenit, omiserint.

LXXX. Creduntne ipsi Papani Doctores huic glossæ conciliabuli Tridentini, & in conscientia certi sunt missam à Christo institutam esse? Minimè gentium. Ipse Baronius tom. 1. Annal. ad annum 53. §. 13. Sacrificium Eucharistiæ inter traditiones non scriptas refert. Mirandum verò, quàm circa illud fluctuet Gregorius de Valent. lib. 1. de Sacrif. Missæ cap. 4. inquit: *Si missa non esset instituta à Deo, esset tamen legitimus cultus.* Ibid. *Si maximè ille cultus à Deo institutus non esset, concludi tamen non posset ab istis non esse legitimum.* Et paulò post: *Deus humanas constitutiones non damnat.*

LXXXI. Quid

LXXXI. Quid offertur in missa pro peccatis vivorum, & mortuorum an corpus Christi, an panis consecratus, an panis simplex? Omnino panis tantùm simplex. Sic enim sacerdos in ea parte missæ, quæ offertorium dicitur, & præcedit consecrationem, precatur: *Suscipe hanc immaculatam hostiam pro innumerabilibus peccatis meis, & pro omnibus Christianis vivis, atque defunctis.* Et similiter super calicem necdum consecratum loquitur: *Offerimus tibi Domine, calicem salutis tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu divinæ tuæ majestatis pro nostra, & totius mundi salute ascendat cum odore suavitatis.* Vt ut præfractus & pertinax est, fateri tamen hoc compellitur Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 27. *Negari*, inquit, *non debet panem & vinum aliquo modo offerri in Missa. Hæc propositio patet primùm ex ipsa liturgia. Nam cum ante consecrationem dicimus, suscipe sancte Pater immaculatam hanc hostiam, certè pronomen hanc demonstrat ad sensum, id quod manibus tenemus, id autem panis est.* Sed quam efficax est sacrificium hoc panis, ad expianda peccata vivorum, & mortuorum? Ridiculi etiam sunt sophistæ, & seipsos confundunt, quando docent missam eandem esse cum sacrificio Christi.

LXXXII. An non Papanorum idololatria, longè magis detestanda est quàm Ægyptiorũ, qui Ibin, porrum, cæpe, &c. Lapporũ; qui olim pannum rubrum colere, & adorare solent? Omnino. Non solùm enim frustulum panis adorant, sed ut ipsi fatentur, ei attribuunt vim expiandi peccata. Ne me calumniari dicant, audiant Patrem Costerum, cujus hæc ingenua vox in Enchir. cap. 8. extat: *Tolerabilior*, inquit, *est eorum error, qui pro Deo colunt statuam auream, aut argenteam, aut alterius materiæ imaginem, quomodo gentiles Deos suos venerabantur, vel pannum rubrum in hastam elevatum, quod narratur de Lappis; vel viva animalia, ut quondã Ægyptii, quàm eorum, qui frustum panis colunt.*

LXXXIII. Clamant ad rabiem Papani apage tropum, clarè scriptum est *hoc est enim corpus meum.* Mirandum verò eos, qui proprietatis verborum tam pertinaces volunt videri, ita abhorrere à propriâ acceptione vocis *frangere*, & *effundi*: statuunt enim corpus Christi frangi sine fractione, ejusque sanguinem sic effundi, ut nec moveatur, nec venis exeat.

LXXXIV. An non stulta, & absona transsubstantiatio facilius, & efficacius peragitur in fanis [illegible] imago, aut Echo auditur? Omnino. Siquidem spectabili Doctori Fromondo credimus tota energia quinque vocum est in ultima syllaba *um*, quæ in aëre paulisper pendula inaudita, & incredibilia efficit miracula. At audiamus ipsum Doctorem in digno se tractatu de sect. Cont. Ita cap. 37. p. 135. inquit: *Ostendimus, vocem aut syllabam novissimam, finitâ pronunciatione, & significatione totâ, brevissimo tempore fortasse* (egregia Theologia) *in aëre permanere & hunc igitur sonum intensivè, & extensivè divisibilem potest Deus pro physico instrumento* (intelligis scilicet quid sit physicum instrumentum) *arripere.*

LXXXV. Papanorum pseudo-Theologia, quia sub anathemate in conciliabulo Trid. sess. 6. can. 9. sanxit, *ne quis credat certitudinem fidei, aut se gratiam Dei esse consecutum*, non plus consolationis in vita ac morte afflictis conscientiis adferre potest, quam Theologia naturalis Gentilium, aut Turcarum.

LXXXVI. Papani neminem morti vicinum consolari possunt, aut ei proponere gaudia vitæ futuræ, nisi ejurent propriam doctrinam, & in castra nostra transfugiant.

LXXXVII. Papanorum fides, quam habent secundum principia doctrinæ suæ, deterior est fide diabolorum. Diaboli enim quamvis fidem habeant, spe, ac certitudine omni destitutam, saltem distinctè, accuratè, ac specificè cognoscere possunt id quod credunt teste Iacobo cap. 2. vers. 19. Quod tamen non conceditur plebi Pontificiæ. Sufficit ei fides implicita.

LXXXVIII. Papani si meminissent principiorum Theologiæ suæ, & conformiter iis loquerentur, nullos hęreticos, ne nos quidem, Inferno adjudicarent, aut condemnarent. Docent enim opera non renatorum etiam mereri, hominemque mereri gratiam, si faciat, quod in se est. At quis hęreticorum (ut cum insanientibus loquar) hoc non facit? Andrad. l. 3. Defens. Conc. Trid. *Atque adeo cùm sine fide impossibile sit, quemquam ita placere Deo, ut sempiternis, cælestibusque præmiis adficiatur, non tamen omnia fide carentium opera illi displicere existimandum est, ut crimina sint cruciatibus, suppliciisque digna.*

Richard. *Si homo facit, quod in ſe eſt, Deus dat gratiam.*

LXXXIX. Nullus Pontificius, quiſquis etiam ſit, ſecundum principia Papanæ Theologiæ, cum Paulo Phil. 1. v. 23. ex animo dicere poteſt: *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Non enim ſecundum maleſanam ſuam Theologiam certus eſſe poteſt ſe poſt hanc vitam meliorem inventurum eſſe. Miſer ſpem pretio emit, & ſperare tantum poteſt id, quod verè fideles ſe certò conſecuturos ſciunt. Si verò quis aliquam certitudinē, fidemque ſuam prætexat, noſter eſt.

XC. Quid opinandum eſt de Pontificiis iſtis, qui legunt, & magni faciunt ea loca in Bernardo, Lanſpergio, Thoma à Kempis, &c. in quibus ſola proponitur gratiâ, & meritum Chriſti: opera autem ut ſtercora computantur. Oſtendunt aut ſe aliter in conſcientia ſentire, quàm ex pertinacia mera contra nos defendunt: aut ſe ſcotomate eſſe percuſſos, & non poſſe videre quid maleſanæ ſuæ Theologiæ patrocinetur, vel obſit.

XCI. Papanorum doctrina annihilat prorſus Chriſtum, quia ſtatuit hominem naturæ ſolius ſubſidio ad ſummam perfectitudinem, veramque beatitudinem pervenire poſſe. Andrad. l. 3. Defenſ. Conc. Trid. *Quid igitur,* inquit, *eſt quod priſcis illis naturæ ſeculis, & cùm nondum ſeſe divina bonitas tam largè, ac copiosè effuderat, non illam Dei notitiam fuiſſe, etiam ad ſalutem ſatis arbitremur, ad quam aditus illis hominibus patere poterat.*

XCII. Ieſuitici Papani, quales plerique ſunt, qui in fœderata hac Belgica à clementiſſimis noſtris Magiſtratibus foventur, ſi congruenter axiomatis profeſſionis ſuæ ſe gerant & vivant, non poſſunt eſſe boni, fideles, ac quieti ſubditi. I. Quia ſtatuunt juramentum fidelititatis, quod magiſtratui præſtant à Papa poſſe diſſolvi. Docet hoc Bellarminus integro tractatu, in Reſp. nempe ad Apol. quo jure fidelit. communiſque Suitarum eſt ſententia: *Quodcunque juramentum fidelitatis, quacunque ſolemnitate præſtitum, & ſuſceptum, Papali authoritate abrogari poſſe.* II. Inſtillant ſuis diſcipulis, *Non licere Chriſtianis tolerare regem hæreticum, ſi ille conetur ſubditos ad ſuam hæreſin pertrahere.* Bellarm. lib. 5. de Rom. Pontif. cap. 7. Suares lib. de Cenſur. diſp. 15. ſect. 6. Imo Parſonus Anglus, eò progreditur, ut ſcribat in Philopat. ſect. 2. pag. 109. *De fide certum eſt, quemcunque Principem Chriſtianum, ſi à religione Catholica manifeſtò deflexerit, & alios avocare voluerit, excidere ſtatim omni poteſtate, & dignitate, idque ante prolatam Papæ ſententiam; poſſeque & debere ſubditos, ſi vires habeant, iſtiuſmodi hæreticum ex hominum Chriſtianorum dominatu ejicere.* At quid magis vincula obedientiæ laxare poteſt, quàm impium & diabolicum hoc axioma! Illud tamen quotuſquiſque Pontificiorum inter nos non imbibit?

XCIII. Tantùm abeſt ut Ieſuitici Pontificii fideles ſint ſubditi, ne boni quidem ſunt viri, nec quis ex noſtris tutò cum eis commercia agitare, aut contractus celebrare poteſt, gerunt enim mentem injuratam, etiamſi linguâ centies millies jurent. Audi, orthodoxe, eorum magiſtros, & cave tibi. Tolet. lib. 4. de Iuſtruct. Sacerd. cap. 21. *Notandum eſt aliquando teneri hominem, non ſolùm ſecundum mentem propriam jurare, ſed etiam ſecundum mentem aliorum, id eſt, uti verborum ſignificatione communi, quam qui audit, mente concipit: quamvis non ſemper teneatur ad hoc, ſed aliquando licet uti æquivocatione, & decipere audientem.* Sic etiam docet Filincius tract. 40. cap. 2. n. 49. 50. 51. 52. & paſſim omnes Iebuſitæ. Si enim adſit aliqua rationabilis ſolùm cauſa, permittunt ſub juramento abſolutè negare verbis, quod quis verum eſſe cognovit.

XCIV. Quid exiſtimandum eſt de Iebuſiticis æquivocationibus, & mentalibus reſervationibus? Idem quod de iis judicat Bened. Barneſius in libro contra eas ſcripto, & probato à Sorbona Pariſienſi: ubi ſic in præf. loquitur: *Æquivocatio eſt principium confuſionis Babylonicæ; maledictio populi Chriſtiani, pertinet ad doctrinas dæmoniorum, juſtitiæ repugnat, firmiſſimum ſolatium Chriſtianorum evertit, & Lucianiſmum ſapit, mendacium, & ſycophantiam fovet, virtutem omnem enervat, pacem reip. peſſumdat, dogmaque ipſum Machiavellianum eſt. Atheiſmo viam ſternit, ſanctitatem omnem, & confeſſionem fidei noſtræ tollit; blaſphemias contra Chriſtum, fidem, Script. ſacras, Eccleſiam, & ſanctos armat, apologiam pro Priſcillianiſtis, & antiquis hæreticis mendaciorum magiſtris, miniſtrat; in univerſum*

ſocietatem

societatem humanam lædit, & in ejus locum inhumanam, & diabolicam collocat, perjuria fovet, Reges ad tyrannidem & crudelitatem contra subditos, necessariò impellit; Principibus, maximè hæreticis, omnem adimit securitatem de fidelitate suorum subditorum, &c.

XCV. Quid æque horrendum esse potest, quàm quod Iesuitæ confitentibus permittunt? Docent enim eos non peccare mortaliter, si inter confitendum mentiantur. Eman. Sa in Aphorismis; *Mentiri in confessione de peccatis venialibus, aut de aliàs confessis mortalibus, veniale tantum peccatum est*. Tolet. lib. 3. Instr. Sacerd. cap. 9. *Mentiri in confessione grave est peccatum, quamvis non semper sit veniale.*

XCVI. Quales sunt confessiones quæ apud Iesuitas fiunt? Delicatiores Sybariticis delitiis ipsis patribus; laquei verò tantùm confitentibus. Patres quippe tam impudicas his quæstiones proponunt, ut curiosis interrogationibus semetipsos ad libidinem inflamment. Hinc illa cautio apud Tolet. lib. 5. de Instr. Sacerd. cap. 13. *Confessarius si fortè dum audit confessiones, in tales incidit pollutiones, non ob id tenetur, non audire alios, nisi sit periculum complacentiæ in pollutione, &c.* Quòd verò laqueis constringantur confitentes, testatur Cassander in Consult. art. 11. *Equidem*, inquit, *credo de hac re controversiam nullam fuisse futuram, si non salutaris hæc confitendi medicina ab imperitis, & importunis medicis, multis inutilibus traditiunculis infecta, & contaminata fuisset; quibus conscientiis, quas extricare & levare debebant, laqueum injicerunt, & tanquam tormentis quibusdam excarnificarunt.*

XCVII. Quid opinandum de cæca Iebusitarum obedientia, tantopere illis commendata à patre Loyola? Turbarum fons, perjuriorum ac scelerum scaturigo est, ridicula aliquando, sæpius etiam noxia rebuspubl. nec tantùm à Deo improbata, sed ab ipso etiam Thoma Aquinate. Ita enim ait in Quæst. Disput. de Consc. art. 5. *Vnusquisque tenetur actus suos examinare ad scientiam, quam à Deo habet, sive sit naturalis, sive acquisita, sive infusa; omnis enim homo debet secundum rationem agere.*

XCVIII. Papistæ qui inter nos habitant secundum conscientiam possunt interesse nostris sacris, non verò nos eorum. Nihil enim adferre possunt, quod sauciet eorum animos, nos autem multa, veluti invocationem sanctorum, adorationem hostiæ, imaginum, &c.

XCIX. Nullus rex, princeps, aut resp. securitatis studiosa inter imperii sui terminos Iebusitas tolerare potest. 1. Quia docent non esse homicidium occidere principem hæresios aut à Papa condemnatum, aut manifestum. Eman. Sa in Aphorism. *Tyrannicè gubernans justè acquisitum dominium, non potest spoliari sine publico judicio. Latâ verò sententiâ potest quisque fieri executor.* Bellarm. contra Barklaium cap. 7. *Pontificum mos est, primùm paternè corripere Principes, deinde per Censuram Ecclesiasticam Sacramentorum communione privare, denique subditos eorum à juramento fidelitatis absolvere, atque authoritate regiâ, si res ita postulat, privare. Executio ad alios pertinet.* Hinc laudare solent parricidas. Bellarm. sub nomine Mathæi Torti factum Clementis Monachi qui occidit Henricum III. Galliarum regem sic laudat: *Vltus est Deus Christum suum, dum per alium sacratum virum, alioqui militiæ imperitum, & inermem, regem eundem non sine manifesto divinæ providentiæ miraculo interfecit.* Nec ille solùm sacerrimum hunc parricidam laudat, sed etiam Mariana Ies. lib. 1. de Rege, & Regis Instit. cap. 6. *Specie*, inquit, *aliàs literas in manus tradendi, cultro quem herbis noxiis medicatum manu tenebat, supra vesicam altum vulnus inflixit. Insignem animi confidentiam, facinus memorabile.* Et paulò post: *Cæso rege ingens sibi nomen fecit, cæde cædes expiata, & manibus Guisii ducis perfidè perempti, regio sanguine est parentatum.* 2. Docent clericos impune posse rebellare contra reges, nec incurrere crimen majestatis. Eman. Sa; *Clerici rebellio in regem non est crimen læsæ majestatis, quia non est subditus regi.* Bellarm. lib. de Cleric. cap. 28. *Summus pontifex clericos exemit à subjectione Principum.* 3. Tantam reverentiam asscribunt confessioni, ut censeant nullo casu confessario licere, arcana in ea sibi soli patefacta revelare, ne, si spectent ad salutem regis, reip. & universi. Tolet. lib. 3. de Instr. Sacerd. cap. 3. *Obligatio sigilli est tanta, ut nullâ prorsus causâ, neque etiam propter salvandam vi-*

tam

tam propriam, nec propter salutem totius reip. possit confessarius peccatum pœnitentis revelare, &c. *Quod si aliquando acciderit confessarium ab iniquo judice compelli ut revelet, & sub juramento, potest confessarius dicere se nescire tale peccatum, quamvis enim sciat, non scit, ut revelet.* At quæ latior fenestra ad turbas concitandas excogitari posset?

Habetis Ianseni, & Fromonde quæstionum undecentum ἐπίμετρον, refellite, arguite, conculcate eas, si Papatus existimatio vobis seria est. Prævivi pertinaciter, sequimini me ut ego iterum vos. Non tua Fromonde futilitas, ignorantia, & Thrasonismus tædium, aut bilem mihi moverunt. Scutum veritatis, bonæ causæ, & modestiæ opposui bullis suâ sponte evanescentibus. Cryptas, fibras, ambages, & diverticula vesicæ exploravi, nequid spiritus iterum ebullituri, alicubi latitaret. Excussi, examinavi, perpendi, dilui, & confutavi omnia, ne Fromondus forem, qui secundum fatuitatem suam existimabat vellicationibus, & coccysmis Desperatam Papatus causam, solidè & nervosè à Voetio comprobatam in integrum restitui posse. Parui importunitati adversariorum, ut prodessem Ecclesiæ, & ipsi agnoscerent ignorantiam ac vesaniam suam. Vtinam verò omnia puncta, & commata hujus mei scripti examinare, & expendere vellent, agnoscerent aut infirmitatem malæ causæ, aut deplorarent suam insaniam, quòd corpori conclamato & deposito medicinam facere aggressi sint. Quid etenim Fromondus nisi ridiculus musculus, & rana? prodiit in theatrum ut βρεκεκὲξ, κόαξ, κόαξ suum proderet. Sed quid inter mures ac nobiles ranas co loco qui per omnia scarabæum refert, cujusque scriptio tota stercorea est? Iansenius quoque an non prognatus videtur è vespertilionum gente? Naufragium eruditionis, fidei, & existimationis fecit, eoque latitat ne si in lucem iterum prodeat, contundatur ab adversario, & utrâque alâ impudentiæ, & maledicentiæ misere multetur. Fallitur autem bonus Episcopus, si post pedum se latitaturum putet. Scimus quis architectus sacerrimi, ac mendacissimi libri, Martis Gallici sit. Vide sis mi præsul, ne Alexander Patricius decreto serenissimi Galliarum regis, aliquando carnifici tradatur, Doctoresque Sorbonici non tantum eum impudentiæ, & calumniæ, sed & hæresios apud Dominum Deum Papam convincant. Nos nec optamus, nec desideramus. O si seducti Sylvæ-Ducenses modò eum & hyperaspisten Fromondum nossent: caussa tam miserè prodita excitaret eos ad inquisitionem veritatis: nec non ignorantia, & impudentia utriusque vice ducis, & facis forent. Enimvero Iansenii præsumptuosa ignorantia suspectam etiam optimam causam reddere, & Fromondi affectata loquentia amplius desperatissimā arguere (nedum scabiosum Papatum) posset. Miseri homunculi! Causam ventris, & inertiæ dum agere student, prostituunt. Monerem eos ut in se descenderent, sed authoritate sapientissimi Salomonis prohibeor. Proverb. enim cap. 27. v. 22. dicit: *Si contunderes stultum pistillo in mortario, non recederet ab eo stultitia ejus.* Iterum si scribant, quod neutiquam tamen (ut ut exagitati & rogati etiam sint) eos facturos credo, etiam atque etiam illos moneo, ut cum Carneade helleboro se expurgent, & quassabundum caput pituitâ arrogantiæ, fastus, præsumptionis, & confidentiæ exonerent. Non sufficit ad hoc tobacum, cantharus & fritillum. Malo inveterato non nisi efficacissima adhibenda sunt medicamenta. Sin respuant præsentaneum hoc remedium, instar Gallicorum Mirloretorum in scenam cum cymbalis, & tintinnabulis prodeant, fortasse enim non minus hæc suavi morbo auxiliabuntur quam sacra Anticyræ herba. Legi enim aliquando Asclepiadem phreneticorum mentes, per symphoniam, suæ naturæ reddidisse. Deinde velim, gnaviter Bellarminum, aut saltem manuale Becani evolvant, ut ex eo discant, quis controversiæ status sit, ne à thesi aberrent, & cathechumenis nostris ridiculi fiant. Illud scio nihil ab iis aut scribi, aut excogitari posse, quod non suâ sponte ad rupes veritatis, instar undæ à vento concitatæ dissiliturum, & Dei Opt. Max. gloriæ promovendæ serviturum sit. Eundem illum Deum animitus precor, ut Sole veritatis, & justitiæ illustret tenebricosas Sophistarum mentes, ut ipsi agnoscant suas tenebras, & in iis confundantur: aut si justo judicio eos instar ferri & silicis obdurescere siverit: misereatur saltem indocti ac seducti popelli, ut semel videat errores ductorum suorum, deprehensisque ambagibus novæ viæ ad exitium abducentis, avide roget quæ sit antiqua, arcta, & recta illa via, ac porta quæ ducit ad regnum cælorum. Hoc da, hoc largire Deus ob pretiosa merita unici tui filii, cui tecum cum Spir. sancto ut triuno, æterno, ac infinito Deo sit laus & gloria in t cclesia æternùm, Amen, Amen.

F I N I S.